D. M. PRÜMMER O. Pr.

MANUALE JURIS ECCLESIASTICI

I.

DE PERSONIS ET REBUS ECCLESIASTICIS IN GENERE

Manuale Iuris Ecclesiastici in usum Clericorum, praesertim illorum, qui ad Ordines religiosos pertinent. Edidit P. Fr. **Dom. M. Prümmer** O. Pr.

Prius prodiit:

Tomus II huius operis: **Ius Regularium speciale.** In usum scholarum. Cum approbatione Rev. Archiep. Frib. et Super. Ordinis. 8° (XXVIII et 358 p.) *Fr.* 5.50; linteo relig. *Fr.* 6.50.

Acta Pontificia, Romae:

«Auctor huius operis quam maxime brevitati, perspicuitati, facilitati discipulorum intuitu studet. Per quaestiones ac responsiones procedens, omnia quae studio et communi praxi necessaria sunt, quacumque superfluitate resecata, iuris nostri capita tradit. . . . **Nil clarius, facilius et discipulorum mentibus aptius dici poterat.** Nil igitur dubitandum quin *Manuale* hoc, suo nomini in cunctis respondens, maximo cum gaudio a discipulis suscipiatur.»

Études, Paris:

«Ce manuel est un bon traité classique sur le droit spécial des réguliers. Après avoir bien divisé sa matière, l'auteur procède méthodiquement par questions. **L'exposé est bref, succinct, mais surtout d'une parfaite limpidité.** C'est dire le mérite de l'écrivain et la valeur de l'ouvrage. . . .»

The Dublin Review, London:

«. . . The author has studied with great care to give the actual jurisprudence of the Church and indicate the sources of further explanations. All obsolete and merely theoretical queries are let alone, and the very latest decisions of the Roman Congregations are utilized. . . . Father Prümmer deserves every congratulation for his **clearly-written** and **up-to-date work,** which will enable students to acquire an ample knowledge of Canon Law.»

La Ciudad de Dios, Madrid:

«La presente obra, á más de llenar todas las condiciones necesarias para texto, cuales son la brevedad, claridad y precisión, contiene hasta las últimas resoluciones de los Sumos Pontífices, que tanto han modificado los privilegios de los Regulares.»

Theolog.-prakt. Monatsschrift, Passau:

«Wir haben Grund, dem Verfasser aufrichtigen Dank zu wissen. . . . **Die Klarheit der Anordnung, das Beiseitelassen alles unnötigen Beiwerks, die Leichtfaßlichkeit der Sprache machen das Studium angenehm.** Dabei wird uns ein Inhalt geboten, geschöpft aus besten Quellen und geformt nach berufenen Gewährsmännern (St Thomas, Piat), der geeignet ist, alle Studenten und Lehrer des Kirchenrechts zu interessieren, vorzüglich jene, welche selbst dem Ordensstande angehören.»

MANUALE IURIS ECCLESIASTICI

IN USUM CLERICORUM,
PRÆSERTIM ILLORUM, QUI AD ORDINES
RELIGIOSOS PERTINENT.

EDIDIT

P. FR. DOM. M. PRÜMMER O. PR.

TOMUS I:

DE PERSONIS ET REBUS
ECCLESIASTICIS IN GENERE.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMIX.
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE, S. LUDOVICI
AMERICAE.

DE PERSONIS ET REBUS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

IN USUM SCHOLARUM

St. Albert's College Library

EDIDIT

P. FR. DOM. M. PRÜMMER O. PR.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMIX.
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE, S. LUDOVICI AMERICAE.

Ex mandato Reverendissimi Patris Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum legimus opus, cui titulus «Manuale iuris ecclesiastici», ab admodum Reverendo Patre Dominico Prümmer Ord. Praed. compositum, ac dignum iudicamus ut in lucem edatur.

Fr. **Ceslaus M. Paban-Segond** Ord. Praed.,
Sacr. Theol. Mag. ac Regens studiorum in Collegio Viterbiensi.

Fr. **Albertus Blat** Ord. Praed.,
Lector SS. Canonum in Collegio Pontificio S. Thomae, Romae.

Attentis approbationibus quae supra, opus ad quod referuntur typis dari permittimus.

Romae, die 12 Maii 1908.

Fr. **Hyacinthus M. Cormier,**
Magister Generalis Ord. Praed.

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 7 Martii 1909.

‡ **Thomas,** Archiepps.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

PROLOGUS.

Manuale praesens in multis differt ab aliis huiusmodi libris. Etenim in illo frustra quaeres plures tractatus, e. gr. de Ecclesia, de irregularitatibus, de censuris, de matrimonio etc., quos invenis in aliis compendiis iuris canonici. En rationes ob quas auctor longa experientia ductus a via trita declinaverit:

1. Relatio inter theologiam moralem et ius canonicum. Iuxta modernam consuetudinem fere ubique terrarum vigentem manualia theologiae moralis provinciam iuris canonici invaserunt atque fere totam eius materiam occupaverunt. Sic in libris secus sane praeclarissimis auctorum modernorum de theologia morali editis vix ulla quaestio canonistica non tangitur. — Nemo quidem sapiens nescit esse arctissimum nexum inter theologiam moralem et ius canonicum, sed nihilominus lugendi effectus orti sunt ex eo quod studentes clerici addiscant ius canonicum ex manualibus theologiae moralis. Etenim saepe saepius studium iuris canonici inde valde mancum remanet. Immo experientia comprobante non unus contemnit atque parvi facit ius canonicum dicens: Quid ad me ius canonicum? In praxi quotidiana sacerdotali non egeo iure canonico, et si egeam, satis superque habetur iuris

c 12 077

doctrina in meo manuali theologiae moralis. Exinde factum est ut non pauci clerici ne habeant quidem manuale iuris canonici, et si habeant, post finita studia praeparatoria pulvis densus iacens super illum haud obscure ostendit, quam raro evolvatur. — Sin autem theologia moralis non excurreret extra proprium campum, et praesertim si profundius et vividius explicaret omnes virtutes theologicas moralesque earumque vitia opposita, sicuti fit in secunda parte Summae theologicae S. Thomae, tunc certissime maiorem utilitatem afferret. Tunc etiam iuris canonici disciplina separatim tractari posset idque melius, profundius utiliusque. Sed dixerit quis: Quid obstat ne eaedem quaestiones sub diverso respectu tractentur et in theologia morali et in iure canonico? Respondeo: Obstat defectus temporis et virium. — Sane in magnis universitatibus, ubi abundant professores ceteraque adminicula addiscendi, facilius est studentibus, ut audiant eandem materiam et a professore theologiae moralis et a professore iuris canonici. Sed in pluribus seminariis atque in domibus religiosorum pro studiis deputatis solent deficere et vires et tempus. Etenim non raro numerus studentium non est ita magnus, ut congruenter possit deputari professor specialis pro qualibet materia. Insuper tempus praeparationis est tam breve, ut non sufficiat omnibus disciplinis necessariis addiscendis. Quid fit? Disciplinae, quae pro praxi quotidiana magis necessariae videntur, tractantur, at ceterae — inter quas heu! recensetur ius canonicum — omittuntur aut cursim traduntur in theologia morali. Quilibet vel mi-

nime versatus in moderna educatione clericali mihi assentiet. Quae quidem omnia videntur valde lugenda et propterea mihi proposui conscribere et Manuale iuris canonici et Manuale theologiae moralis in utilitatem eorum studentium, qui versantur in domibus religiosis atque in seminariis. In Manuali iuris canonici ea tantum habentur stilo simplici et claro, quae sunt scitu necessaria pro quolibet sacerdote, praetermissis omnibus, quae prodessent solis illis, qui sunt ex professo canonistae. Summis tantum labiis attingimus ius particulare in diversis regionibus exsistens, ne moles libri nimis excrescat. Brevitatem Manualis esse perquam gratam et studentibus et professoribus confido, et quidem primis, quia sic eorum memoria non aggravatur, alteris autem, quia sic facile possunt addere in lectionibus ea, quae ipsis necessaria videntur pro diversis regionibus circumstantiisque. In Manuali meo theologiae moralis, quod Deo favente proxime editurus sum, tractabo modo magis scientifico simul et practico de virtutibus theologicis ac moralibus. Iam nunc ex isto Manuali amandassem omnes quaestiones canonisticas, nisi a) me retinuisset usus (ne dicam abusus) contrarius aliorum manualium theologiae moralis, qui quidem usus non uno ictu eliminari potest, et b) nisi exspectassem novum codicem legalem iuris canonici, pro quo Summus Pontifex Pius X tam feliciter et strenue laborat. Quando enim iste codex in omnium manibus versabitur, tunc manualia iuris canonici illi erunt conformanda et quidem non tantum quoad doctrinam, sed etiam quoad methodum. Sed cum iste codex nondum sit publici

iuris factus, interim cedendum esse putavi usui hodiedum vigenti, ac proinde in Manuali theologiae moralis sobrie tractabo quaestiones canonisticas, e. gr. de irregularitatibus, de censuris, de matrimonio etc., omittens autem easdem in Manuali iuris canonici. Si enim etiam in Manuali iuris canonici vellem hasce quaestiones tractare, agerem quidem magis scientifico, sed non magis utili modo. Nam Manuale tunc excresceret in maiorem molem (et in maius pretium); sed studentes nihilominus addiscerent eas materias ex manuali theologiae moralis, sicuti hucusque facere consueverunt. Praeterea posito etiam quod eaedem quaestiones tractarentur in theologia morali et in iure canonico, exinde minime consuleretur utilitati complurium studentium. Experientia enim constat studentes (praesertim ingenio non ita excellentes) potius perturbari, taedio affici et obrui quam melius instrui, si eandem quaestionem in diversis disciplinis debeant addiscere. E. gr. studens mediocris ingenii, qui tractatum de Ecclesia audit in propaedeutica, in apologetica, in iure canonico et in dogmatica, non solet melius sed minus callere hanc materiam, quam alter eiusdem ingenii studens, qui eundem tractatum funditus in una disciplina didicit. Quae cum ita sint, satius duxi omittere in hac editione Manualis iuris canonici quaestiones, quae iuxta vigentem usum tractantur in theologia morali vel in apologetica.

2. Methodus minime conformis, qua utuntur hodiernis temporibus diversa manualia iuris canonici. Vix invenies duos auctores, qui eandem methodum sequantur — nisi tamen unus exscripserit alterum, quod

aliquando accidit. Sit unum exemplum prae multis: tractatus de regularibus ab auctore celeberrimo tractatur sub titulo: «De sociali cultu divino», ab alio sub titulo: «De constitutione Ecclesiae», a tertio sub titulo: «De administratione potestatis iurisdictionis», in quo titulo habetur mira farrago trium sequentium capitum: de iudiciis ecclesiasticis, de ordinibus religiosis, et de bonis ecclesiasticis; a quarto sub titulo: «De personis ecclesiasticis», a quinto, cuius opus iam 24 editiones habet, sub nullo prorsus titulo; incipit enim abrupte post tractatum de parocho et vicario cum tractatu de regularibus; et sic deinceps. Quae omnia ad oculos demonstrant, quam diversae sint diversorum auctorum sententiae de ordine sequendo in disciplina iuris canonici. Ceterum haec diversitas opinionum non est propria nostris tantum temporibus. Etenim quot vehementissimos vituperatores nacti sunt Gratianus immo et S. Raymundus ob ordinationem Decreti vel Decretalium? — Quae cum ita sint, inter tot luxuriantes opiniones de ordine methodoque scientiae iuris canonici addiscendae, cum omni humilitate propono methodum, quae mihi utilis visa fuit longa experientia ductus, et cuius suprema norma est: Manuale iuris canonici et Manuale theologiae moralis debent se invicem supplere neque unum contineat tractatus, qui habentur in altero. Modernae methodo incongruae manualium theologiae moralis, interim aliquantisper indulgendum est — necessitate ita flagitante — usque dum novus codex legalis iuris ecclesiastici fuerit publici iuris factus.

Haec sunt quae ad explicandam Manualis huius et theologiae moralis methodum notatu digna visa fuere.

Tum Index rerum alphabeticus tum Catalogus auctorum magna cum cura compositus est, quos qui diligenter inspexerit, inveniet Manuale nostrum multo plura continere vel saltem indicare, quam prima fronte apparet.

Haec sunt, quae praefari necesse visa sunt. Cum S. Augustino (De Trinit. l. 1, c. 3; Migne, Patr. Lat. 42, 822) concludo: «Quisquis haec legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam tendentes ad eum de quo dictum est: Quaerite faciem eius semper (Ps 109, 4)».

Scribebam Friburgi Helvetiorum die 23 Ian. 1909 in festo S. Raymundi de Peñaforte O. Pr.

AUCTOR.

INDEX

secundum ordinem rerum.

INTRODUCTIO IN IUS ECCLESIASTICUM.

Articulus I. De notione et divisione iuris ecclesiastici.

pag.

Q. 1. Quid sit ius ecclesiasticum catholicum 1
Q. 2. Quid igitur significet verbum «ius» 1
Q. 3. Quid sit ius subiective sumptum 1
Q. 4. Quid sit ius obiective sumptum 2
Q. 5. Quid sit ius ecclesiasticum subiective sumptum . . 3
Q. 6. Quid sit ius ecclesiasticum obiective sumptum . . 3
Q. 7. Quaenam sint praecipuae divisiones iuris ecclesiastici obiective sumpti 5

Articulus II. De scientia iuris ecclesiastici.

Q. 8. Quid sit scientia iuris ecclesiastici 7
Q. 9. Quaenam sint scientiae auxiliares et adminicula iuris ecclesiastici 8
Q. 10. Quaenam sit utilitas et praestantia scientiae iuris ecclesiastici 10
Q. 11. Quaenam sit optima methodus scientiae iuris ecclesiastici 11

PARS I.

DE FONTIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

CAPUT I.

DE FONTIBUS IURIS ECCLESIASTICI IN GENERE.

Q. 12. Quid usu veniat nomine fontium iuris ecclesiastici . 14
Q. 13. Quid et qui sint fontes exsistendi iuris ecclesiastici . 14
Q. 14. Quid et qui sint fontes cognoscendi iuris ecclesiastici 15

CAPUT II.

DE FONTIBUS EXSISTENDI IURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS.

pag.

Q. 15. Utrum ius naturale sit revera fons exsistendi iuris ecclesiastici 15
Q. 16. Quomodo Sacra Scriptura sit fons iuris ecclesiastici . 17
Q. 17. Quomodo Traditio sit fons iuris ecclesiastici . . 17
Q. 18. Quid sit legitima consuetudo et quomodo vim legis obtineat 19
Scholion. De legibus civilibus . . . 25
Q. 19. Quomodo constitutiones Summorum Pontificum sint fontes exsistendi iuris ecclesiastici 26
Q. 20. Quomodo distinguantur pontificiae constitutiones . 29
Q. 21. Quomodo decreta Romanarum Congregationum sint fontes iuris ecclesiastici 30
Q. 22. Quomodo Concilia oecumenica sint fontes iuris ecclesiastici 32

CAPUT III.

DE FONTIBUS EXSISTENDI IURIS ECCLESIASTICI PARTICULARIS.

Q. 23. Quinam sint praecipui fontes exsistendi iuris ecclesiastici particularis 36
Q. 24. Quid notandum sit de Concordatis 36
Q. 25. In quo consistat essentia Concordatorum . . . 38
Q. 26. Quaenam sit necessitas et utilitas Concordatorum . 42
Q. 27. Quid notandum sit circa formam Concordatorum . 43
Q. 28. Quomodo Concordata derogentur et abrogentur . . 44
Q. 29. Quomodo Concordata sint fontes iuris ecclesiastici particularis 45
Q. 30. Quomodo Concilia particularia sint fontes iuris ecclesiastici 45
Q. 31. Quomodo «Statuta» sint fontes iuris particularis . . 50
Q. 32. Quomodo Rescripta sint fontes iuris ecclesiastici . 50
Q. 33. Quomodo privilegia sint fontes iuris ecclesiastici particularis 53

CAPUT IV.

DE FONTIBUS COGNOSCENDI IURIS ECCLESIASTICI.

Praenotamen 54

Articulus I. **De collectionibus iuris ecclesiastici universalis usque ad Gratiani Decretum.**

pag.

Q. 34. Quaenam sint collectiones principaliores iuris ecclesiastici usque ad Gratiani Decretum 56
Q. 35. Quid notandum sit circa collectiones iuris ecclesiastici ante Concilium Nicaenum I (a. 325) 56
Q. 36. Quaenam sint principaliores collectiones iuris ecclesiastici in Oriente 58
Q. 37. Quaenam sint principaliores collectiones iuris ecclesiastici in Occidente usque ad saeculum VIII . . 60
Q. 38. Quid summarie notandum sit de collectionibus apocryphis noni saeculi 64
Q. 39. Quaenam sint principaliores collectiones saeculi X et XI usque ad Gratiani Decretum 69

Articulus II. **De collectionibus iuris ecclesiastici a Gratiani Decreto usque ad Concilium Tridentinum (1150—1545).**

Q. 40. Quae sint auctor, finis, fontes, divisio et auctoritas Decreti Gratiani 71
Q. 41. Quinam sint praecipui glossatores et commentatores Decreti 72
Q. 42. Quaenam sint collectiones principaliores tempore inter Gratiani Decretum et Decretales Gregorii IX . . 74
Q. 43. Quid notandum sit de collectione Decretalium sub Gregorio IX 75
Q. 44. Quaenam sint collectiones a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII 80
Q. 45. Quid notandum sit de Libro Sexto Bonifatii VIII . 81
Q. 46. Quid notandum sit de collectione, quae vocatur Clementinae 83
Q. 47. Quid notandum sit de duabus collectionibus «Extravagantium» 85
Q. 48. Danturne aliae collectiones posteriores . . . 86
Q. 49. Quid veniat nomine: «Corpus iuris canonici» . . 88
Q. 50. Sintne Concilia Constantiense, Basileense et Lateranense V fontes iuris ecclesiastici universalis . . 89
Scholion. Corpus iuris civilis Romani . 89

Articulus III. **De collectionibus iuris ecclesiastici universalis a Concilio Tridentino usque ad nostros dies.**

Q. 51. Quomodo decreta Concilii Tridentini sint fontes iuris ecclesiastici 90

pag.

Q. 52. Quid notandum sit de collectionibus iuris ecclesiastici post Concilium Tridentinum 92

Articulus IV. **De collectionibus iuris particularis.**

Q. 53. Quaenam sint praecipuae collectiones iuris ecclesiastici particularis 94

PARS II.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Praenotamen 96

CAPUT I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

Articulus I. **De statu clericorum et laicorum in genere.**

Q. 54. Quid nomine personae ecclesiasticae intelligatur . . 97
Q. 55. Quid sit status clericorum 99
Q. 56. Quid sit status laicorum 100
Q. 57. Quid sit hierarchia ecclesiastica 102
Q. 58. Quot gradibus constet hierarchia ordinis . . . 107

Articulus II. **De ipsa sacra ordinatione clericali.**

Q. 59. Quid notandum sit de ministro s. ordinationis . . 112
Q. 60. Quid notandum sit de litteris dimissoriis et testimonialibus ordinandorum 119
Q. 61. Quid requiratur ad validam et licitam susceptionem ordinum ex parte ordinandi 120
Q. 62. Quid sit titulus requisitus ad licitam ordinationem . 126

Articulus III. **De iuribus et privilegiis status clericalis.**

Q. 63. Quaenam sint iura et privilegia status clericalis . 130

Articulus IV. **De obligationibus status clericalis seu de vita et honestate clericorum.**

Q. 64. Quid praescripserit ius de vita et honestate clericorum 132
Q. 65. Quomodo a clericis sit acquirenda sanctimonia vitae necessaria 133
Q. 66. Quid praescriptum sit clericis circa externam modestiam 142
Q. 67. Quousque lex coelibatus obliget clericos . . . 146

pag.
Q. 68. Quaenam saecularia negotia censeantur impedimenta statui clericali incongrua 148
Q. 69. An et quousque lege ecclesiastica clericis prohibitum sit exercitium chirurgiae et medicinae . . . 152
Q. 70. Quaenam civilia officia clericis prohibeantur . . 153

Articulus V. **De amissione status clericalis.**

Praenotamen 155
Q. 71. Quotuplici modo status clericalis possit partialiter amitti i. e. quotuplici modo clericus possit reduci ad communionem laicalem 156

CAPUT II.

DE SINGULIS PERSONIS ECCLESIASTICIS IN SPECIE.

Praenotamen 158

SECTIO I.

DE CLERICIS NULLA PRAELATURA VEL PERSONATU ORNATIS.

Articulus I. **De origine officii parochialis.**

Q. 72. Quaenam sit origo officii parochialis . . . 159
Q. 73. Quid sit parochiale officium 161

Articulus II. **De canonica erectione et suppressione parochiae.**

Q. 74. Quotuplici modo constitui possit nova parochia . 164
Q. 75. Quid notandum sit de erectione parochiae per viam creationis 164
Q. 76. Quid notandum sit de erectione parochiae per viam dismembrationis 165

Articulus III. **De norma canonica parochos constituendi et removendi.**

Q. 77. Ad quem pertineat parochos constituere . . . 169
Q. 78. Cuinam possit beneficium parochiale conferri . . 173
Q. 79. Quomodo beneficium parochiale possit auferri . . 174

Articulus IV. **De iuribus et praerogativis parochorum.**

Q. 80. Quaenam sint praecipua iura parochi . . . 176

Articulus V. **De obligationibus parochorum.**

Q. 81. Quaenam sint obligationes parochi 178

Articulus VI. **De coadiutoribus parochorum.**

pag.
Q. 82. Quotuplicis generis distinguantur coadiutores parochi 183
Q. 83. Quid notandum sit de officio istorum parochi cooperatorum 184

SECTIO II.

DE EPISCOPO EIUSQUE CURIA.

Praenotamen 191

Articulus I. **De institutione episcopi.**

Q. 84. Quid sint episcopi 191
Q. 85. Quomodo episcopi instituantur 192
Q. 86. Quaenam qualitates requirantur in eo, qui debet fieri episcopus 196

Articulus II. **De iuribus episcopi.**

Q. 87. In quasnam categorias iura episcopalia convenienter dividantur 198
Q. 88. Quid notandum sit praecipue de iure iurisdictionis episcopalis 198
Q. 89. Quaenam competant episcopo vi potestatis ordinis . 202
Q. 90. Quaenam sit potestas episcopis delegata eorumque privilegia 202

Articulus III. **De obligationibus episcopi.**

Q. 91. Quaenam sint praecipuae obligationes episcopi . . 204

Articulus IV. **De translatione, renuntiatione et depositione episcopi.**

Q. 92. Quid notandum sit de translatione episcopi . . 210
Q. 93. Quid notandum sit de renuntiatione episcopi . . 211
Q. 94. Quid notandum sit de depositione episcopi . . 213

Articulus V. **De curia episcopali.**

Praenotamen 213

Paragraphus 1. *De capitulo canonicorum.*

Q. 95. Quaenam fuit origo capituli canonicorum . . . 214
Q. 96. Quaenam sint praecipuae divisiones capituli canonicorum 215
Q. 97. Quinam sit finis capituli canonicorum . . . 217
Q. 98. Ex quibusnam personis coalescat capitulum cathedralis 217

pag.
Q. 99. Ad quem pertineat collatio canonicatuum . . 226
Q. 100. Quaenam qualitates requirantur in promovendis canonicis 226
Q. 101. Quaenam sint praecipuae obligationes capituli canonicorum 227
I. Obligationes erga Ecclesiam 227
II. Obligationes erga episcopum 230
Q. 102. Quaenam sint praecipua iura capituli canonicorum . 232
I. Iura quae competunt singulis canonicis . . 232
II. Iura quae competunt capitulis canonicorum . 233

Paragraphus 2. *De vicario generali episcopi.*

Q. 103. Quid sit vicarius generalis episcopi et unde sit huius officii origo 239
Q. 104. Utrum episcopus teneatur instituere vicarium generalem in spiritualibus 241
Q. 105. Utrum episcopus possit plures vicarios generales in sua dioecesi instituere 242
Q. 106. Quaenam dotes requirantur in vicario generali . 242
Q. 107. Ad quae se extendat potestas vicarii generalis . 243

Articulus VI. **De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis.**

Q. 108. Quid sint Patriarchae 247
Q. 109. Quid sint Primates eorumque praerogativa . . 247
Q. 110. Quid sint Metropolitae eorumque iura . . . 248

SECTIO III.

DE ROMANO PONTIFICE EIUSQUE CURIA.

Praenotamen 251

Articulus I. **De ipso Summo Pontifice.**

Q. 111. Quid dicendum sit de electione Summi Pontificis . 252
Q. 112. Quaenam sint praerogativa Summi Pontificis . . 255
Q. 113. An potestas Summi Pontificis possit restringi aut amitti 257

Articulus II. **De Curia Romana.**

Q. 114. Quid nomine Curiae Romanae veniat . . . 259

Paragraphus 1. *De Collegio Cardinalium.*

Q. 115. Unde nomen et officium Cardinalis originem duxerit 260
Q. 116. Quomodo Cardinales creentur 262

pag.
Q. 117. Quaenam sint privilegia Cardinalium 264
Q. 118. Quaenam sint principaliores obligationes Cardinalium 266

Paragraphus 2. *De aliis praelatis et membris Curiae Romanae.*

Q. 119. Sintne alii praelati, clerici vel personae laicae pertinentes ad Curiam Romanam 268
Q. 120. Quid sint et qui sint praelati Curiae Romanae . 268
Q. 121. Quid sint et qui sint curiales Curiae Romanae . 270

Paragraphus 3. *De Congregationibus Romanis.*

Q. 122. Quaenam sit origo Congregationum Romanarum . 273
Q. 123. Quid sit consistorium Cardinalium iuxta modernam praxim 274
Q. 124. Quot et quid sint Congregationes Romanae Cardinalium 275
Q. 125. Quid de singulis Congregationibus Romanis breviter notandum sit 277
1. Congregatio S. Officii 277
2. Congregatio Consistorialis 279
3. Congregatio de disciplina sacramentorum . . 281
4. Congregatio Concilii 282
5. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita 284
6. Congregatio de Propaganda Fide . . . 285
7. Congregatio Indicis librorum prohibitorum . 287
8. Congregatio Sacrorum Rituum . . . 289
9. Congregatio Caeremonialis 291
10. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis 291
11. Congregatio Studiorum 292

Paragraphus 4. *De tribunalibus Curiae Apostolicae.*

Q. 126. Quaenam tribunalia iuxta vigentem nunc disciplinam habeantur in Curia Romana 294
1. S. Poenitentiaria 294
2. S. Rota Romana 295
3. Signatura Apostolica 296

Paragraphus 5. *De officiis Curiae Romanae.*

Q. 127. Quaenam sint officia in Curia Romana iuxta vigentem disciplinam 297
1. Cancellaria Apostolica 297
2. Dataria Apostolica 298
3. Camera Apostolica 298

pag.
4. Secretaria Status 298
5. Secretaria Brevium 299

Articulus III. **De Legatis et Nuntiis Sedis Apostolicae.**

Q. 128. Quid sit officium Legatorum et Nuntiorum Apostolicae Sedis 300

PARS III.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Praenotamen 306

CAPUT I.

DE LOCIS SACRIS.

Q. 129. Quaenam sint loca sacra 307

Articulus I. **De ecclesiis.**

Q. 130. Quid nomine ecclesiae hic veniat 307
Q. 131. Quaenam sint variae species ecclesiarum . . . 309
Q. 132. Quaenam requirantur ad aedificationem alicuius ecclesiae 310
Q. 133. Quaenam notanda sint de consecratione ecclesiarum 312
Q. 134. Quaenam notanda sint de benedictione ecclesiarum 316
Q. 135. Quid sit patronus vel titulus (titularis) ecclesiae . 316
Q. 136. Quid sit exsecratio ecclesiae et quandonam adsit . 318
Q. 137. Quid sit pollutio ecclesiae et quandonam adsit . 319
Q. 138. Quomodo fiat reconciliatio ecclesiae pollutae . . 322
Q. 139. Quid sit privilegium immunitatis concessum ecclesiis 323

Articulus II. **De oratoriis.**

Q. 140. Quid sint et quotuplicis generis sint oratoria . 324
Q. 141. Quid sint et quomodo erigantur oratoria publica . 324
Q. 142. Quid sint et quaenam iura habeant oratoria semipublica 326
Q. 143. Quid sint et quomodo erigantur oratoria privata . 328

Articulus III. **De coemeteriis et sepultura.**

Paragraphus 1. *De ipsis coemeteriis.*

Q. 144. Quid sint coemeteria 331
Q. 145. Debeantne coemeteria benedici vel consecrari . 332

pag.
Q. 146. Possitne coemeterium exsecrari sicut ecclesia . . 334
Q. 147. Possitne coemeterium profanari sicut ecclesia . . 334
Q. 148. Quid sit notandum de pollutione coemeterii . 335
Q. 149. Quaenam immunitas competat coemeteriis . . . 336
Q. 150. Num liceat vendere vel locare locum sepulturae in coemeteriis 336

Paragraphus 2. *De sepultura.*

Q. 151. Quinam habeant ius sepeliendi vel funera peragendi 337
Q. 152. In quo coemeterio quisque Christianus defunctus sepeliendus sit 338
Q. 153. Quaenam sint iura parochi quantum ad sepulturam 339
Q. 154. Quibusnam sepultura ecclesiastica deneganda sit . 340

CAPUT II.

DE ALTARIBUS ET DE SACRA SUPELLECTILI.

Q. 155. Quaenam historice constent de usu, forma, materia et consecratione altarium 342
Q. 156. Quaenam requirantur pro altari fixo . . . 344
Q. 157. Quomodo altare fixum consecratum exsecretur . 347
Q. 158. Quid sit notandum de altari portatili . . . 348
Q. 159. Quid sit sacra supellex 349

CAPUT III.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Articulus I. **De notione et divisione beneficiorum.**

Q. 160. Quid sit beneficium ecclesiasticum 353
Q. 161. Quaenam sint beneficiorum praecipuae divisiones . 359

Articulus II. **De erectione et innovatione et suppressione beneficiorum.**

Q. 162. Quid iure praescriptum sit pro erectione beneficiorum 363
Q. 163. Quid sit et quomodo fiat innovatio beneficiorum . 363
Q. 164. Quid sint translatio et transformatio beneficiorum . 363
Q. 165. Quid iure praescriptum sit de unione beneficiorum 364
Q. 166. Quid sit notandum de divisione vel dismembratione beneficiorum 368
Q. 167. Quid iure servandum sit in suppressione beneficiorum 368

Articulus III. **De variis modis quibus beneficia acquiruntur et conferuntur.**

pag.
Q. 168. Cuiusnam sit conferre beneficia ecclesiastica . . 369
Q. 169. Quibus modis beneficia ecclesiastica communiter acquirantur 370
Q. 170. Quid notandum sit de provisione beneficiorum per modum electionis et postulationis 371
Q. 171. Quid praescripserit ius in libera collatione beneficiorum 376
Q. 172. Quid sit modus acquirendi beneficia per modum praesentationis 380
Q. 173. Quaenam sint principales divisiones iuris patronatus 381
Q. 174. Quaenam requirantur ad legitimam acquisitionem iuris patronatus 383
Q. 175. Quaenam obligationes et iura oriantur ex patronatu 388
Q. 176. Quomodo cesset ius patronatus 393

CAPUT IV.

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

Praenotamen 395

Articulus I. **De facultate Ecclesiae bona temporalia possidendi.**

Q. 177. Utrum Ecclesia habeat ius nativum acquirendi et possidendi bona temporalia 395

Articulus II. **De subiecto dominii bonorum ecclesiasticorum.**

Q. 178. In quo differat dominium seu proprietas a possessione 398
Q. 179. Cui proprie competat dominium bonorum ecclesiasticorum 398

Articulus III. **De acquisitione bonorum ecclesiasticorum.**

Q. 180. Quinam sint praecipui modi, quibus Ecclesia bona temporalia acquirit 402
Q. 181. Quid notandum sit circa oblationes fidelium libere factas pro Ecclesia 402
Q. 182. Quid iure statutum sit circa fundationes ecclesiasticas 404
Q. 183. Quomodo bona ecclesiastica acquirantur per legata et testamenta 406
Q. 184. Quomodo Ecclesia acquirat bona per vectigalia et taxas 408
Q. 185. Quomodo Ecclesia acquirat vel amittat bona titulo praescriptionis 413

Articulus IV. **De administratione bonorum ecclesiasticorum.**

pag.
Q. 186. Quid veniat nomine administrationis bonorum ecclesiasticorum 415
Q. 187. Quinam sint legitimi administratores bonorum ecclesiasticorum 416
Q. 188. Quinam sit aptus modus administrationis . . 416

Articulus V. **De alienatione bonorum ecclesiasticorum.**

Q. 189. Quid intelligatur nomine alienationis bonorum ecclesiasticorum 417
Q. 190. Quaenam sint bona ecclesiastica, de quibus hic agitur 420
Q. 191. Quid statuerit Ecclesia quoad alienationem bonorum ecclesiasticorum 420

Appendix I.
De iudiciis ecclesiasticis 425

Appendix II.
Modus practicus tractandi res in Curia Romana . . 442

Brevis catalogus auctorum seu historia litteraria iuris canonici 451

Index rerum secundum ordinem alphabeticum . . 493

INTRODUCTIO IN IUS ECCLESIASTICUM.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET DIVISIONE IURIS ECCLESIASTICI.

Q. 1. *Quid sit ius ecclesiasticum catholicum?*

R. Illa locutio «ius ecclesiasticum catholicum» sumitur diversis modis, prouti etiam verbum «ius» diversis modis sumi solet.

Q. 2. *Quid igitur significet verbum «ius»?*

R. Omissis variis et multis significationibus verbi «ius», quae pro nostro scopo minus necessariae esse videntur, quae tamen videri possunt in Summa theologica S. Thomae 2, 2, q. 57, a. 1 (cf. etiam Commentarium Fr. Sylvii in hunc art.), ius praecipue duobus modis sumitur sc. ius subiective sumptum et ius obiective sumptum.

Q. 3. *Quid sit ius subiective sumptum?*

R. Ius subiective sumptum, quod ab aliis etiam vocatur ius dominativum, est facultas moralis aliquid agendi, omittendi vel possidendi. In hoc sensu dicitur: ius venandi, ius non solvendi quaedam tributa, conservare ius suum, uti iure suo, laedere ius alienum etc.[1]

[1] Ius subiective sumptum solet distingui in ius ad rem et ius in re. Ius ad rem est facultas legitima non quidem de re ipsa, sed de persona aliqua in ordine ad rem ipsam. «Parit actionem tantum personalem, quae vocatur condictio qua cogere possum per-

Q. 4. *Quid sit ius obiective sumptum?*

R. Ius obiective sumptum definiri potest: «complexus normarum, quibus actiones exteriores singulorum in relatione tum ad alias personas singulares tum ad societatem ordinantur, ut societas et conservari et finem suum assequi possit». Ita Aichner, Comp. iur. eccl. § 1 [1].

Ius obiective sumptum est igitur fere idem ac lex, non tamen prorsus coincidit cum lege, ut docere videtur Wernz, Ius decr. I, n. 45. S. Thomas accuratius dicit S. th. 2, 2, q. 57, a. 1 ad 2: «Lex non est ius proprie loquendo, sed aliqualis ratio iuris.» Lex sive naturalis sive positiva efficit, ut aliquid sit ius seu iustum secundum scilicet quod est conforme legi. Causa efficiens tum iuris subiectivi tum iuris obiectivi est Deus, qui creando hominem ut «animal sociale» simul statuit ius naturale, quo officia socialia regulantur. Omne autem ius positivum derivari debet a iure naturali [2]. Falsa est ergo doctrina multorum modernorum, qui iuris causam ponunt conventionem humanam vel voluntatem fortioris, vel utilitarismum etc. [3] Unde Pius IX merito damnavit in Syllabo sequentes propositiones 56: «Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant»; 59: «Ius in materiali facto consistit et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.»

---

sonam, ut mihi satisfaciat» (Haine, Theol. mor. II, De iust. c. 2, q. 15). Ius in re est facultas legitima disponendi de ipsa re et parit actionem realem, quae vocatur vindicatio. Ius in re est idem ac dominium. Alias divisiones iuris subiective sumpti ut e. gr. ius originarium et ius adventitium, ius alienabile et ius inalienabile etc. hic brevitatis studio omittimus utpote pro praxi non ita necessarias.

[1] Cf. Heiner, Kirchenrecht I 2; Scherer, Kirchenrecht I 1.

[2] S. th. 1, 2, q. 95, a. 2.

[3] Cf. Zigliara, Phil. ethica l. 2, c. 2, a. 3.

Q. 5. *Quid sit ius ecclesiasticum subiective sumptum?*

R. Ius ecclesiasticum subiective sumptum est complexus facultatum moralium Ecclesiae catholicae agendi ea omnia, quae ad assequendum finem sibi a Christo praefixum necessaria sunt.

Ecclesia catholica enim fundata est a Christo tamquam societas perfecta, ut mediante illa homines perveniant ad salutem aeternam. Quia igitur Ecclesia est societas perfecta, inde necessario habet autonomiam, i. e. facultatem absolutam et prorsus independentem leges ferendi fini proprio convenientes. Quia autem insuper habet finem altiorem quam quaelibet societas civilis, hinc media ordinata ab illa ad hunc finem altissimum a nulla societate civili impediri possunt, vel aliis verbis, nulla civilis potestas valet licite limitare aut adimere ius subiectivum Ecclesiae. Unde Pius IX in Syllabo damnavit propositionem 19: «Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.» Quousque in particulari se extendat hoc Ecclesiae ius, latius agitur in tractatu de Ecclesia. Praegnanter et nervose hoc complexus est Leo XIII (Encyclica «Immortale Dei»): «Quidquid est in rebus humanis quoque modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae.»[1]

Q. 6. *Quid sit ius ecclesiasticum obiective sumptum?*

R. Ius ecclesiasticum obiective sumptum est complexus legum a legitima auctoritate

[1] Cf. De Groot O. Pr., Summa Apologetica q. 11.

conditarum, quibus ordo externus Ecclesiae catholicae determinatur et actiones fidelium diriguntur ad finem Ecclesiae proprium.

Dicitur a) complexus legum, quia ius ecclesiasticum non continet consilia tantum, sed leges stricte tales, ad quas observandas fideles non solum coram Deo tenentur, sed etiam iudicio externo Ecclesiae et poenis cogi possunt (cf. De Groot l. c. a. 3).

Dicitur b) a legitima auctoritate conditarum. Legitimi legislatores pro Ecclesia universali sunt Summus Pontifex et Concilia oecumenica. Concilia vero particularia, episcopi et superiores regulares non possunt condere leges universales sed tantum particulares; et ne hoc quidem sine approbatione implicita vel explicita Summi Pontificis [1]. Unde Bouix breviter definit ius ecclesiasticum: «complexus legum auctoritate Papae firmatarum, quibus fideles ad finem Ecclesiae proprium diriguntur» [2].

Dicitur c) quibus externus ordo Ecclesiae determinatur. Non enim omnia Ecclesiae praecepta ad ius ecclesiasticum stricte dictum pertinent, sed ea dumtaxat, quae spectant exteriorem politiam. Hinc e. gr. applicatio Missae etc. proprie non pertinet ad ius ecclesiasticum, etsi Ecclesia de hac statuta dederit et etiam ista materia aliquando in Manualibus iuris ecclesiastici tractetur.

Dicitur d) et actiones fidelium diriguntur ad finem Ecclesiae proprium. Quibus verbis enuntiatur iuris ecclesiastici subiectum: fideles; obiectum: actiones et quidem externae tantum; finis: bonum societatis christianae, quod est finis proximus et beatitudo aeterna, quae est finis remotus.

---

[1] Infra specialius determinabitur, qualem potestatem legislativam habeant Concilia particularia, episcopi, praelati regulares etc.

[2] Cf. tamen Scherer, Kirchenrecht I 112.

Nota. Ius ecclesiasticum vocatur quandoque: ius sacrum (tum ab eius auctore tum ab eius fine); ius pontificium (per oppositionem ad ius caesareum); ius canonicum, quia magna eius pars continetur in Corpore iuris canonici vel quia ex usu antiquissimo *κανών* (regula) designabat legem ecclesiasticam ut distinctam a lege civili *(νόμος)*. De canonibus dogmaticis ius ecclesiasticum iuxta modernam saltem praxim non solet tractari. In Decretalibus autem est specialis titulus: De sanctissima Trinitate.

Q. 7. *Quaenam sint praecipuae divisiones iuris ecclesiastici obiective sumpti?*

R. Ius ecclesiasticum obiective sumptum dividi potest ratione materiae, extensionis, temporis, formae et ritus.

a) Ratione materiae dividitur in ius publicum et privatum. Non est una explicatio istorum terminorum apud diversos auctores (cf. Wernz, Ius decr. I, n. 50, nota 29). Immo aliqui prorsus reiciunt hanc divisionem [1]. Iuxta plures ius publicum est idem ac ius commune, ius autem privatum est idem ac lex privata vel privilegium. Melius tamen intelligitur ius publicum complexus legum divinarum, quibus Ecclesia constituitur ut societas perfecta cum proprio fine. Non immerito hoc sensu ius publicum Ecclesiae comparatur cum iure constitutionali alicuius civitatis. Est tamen haec comparatio non perfecta. Ius privatum est complexus legum ecclesiasticarum ad proprium regimen pertinentium.

b) Ratione extensionis ius ecclesiasticum dividitur in *α*) ius universale, quod obligat in toto orbe christiano, et ius particulare, quod viget tantum in aliquo territorio determinato; *β*) in ius generale,

[1] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 3.

quod omnes fideles obligat, et ius singulare, cui certae tantum personae subiciuntur, e. gr. clerici, regulares; γ) in ius commune, quod statuit ordinem legalem communiter servandam sive pro omnibus fidelibus, et tunc ius commune est simul ius generale, sive pro determinata categoria fidelium, et tunc ius commune est simul singulare, sic e. gr. possumus loqui de iure communi regularium; et ius speciale quod est idem ac privilegium. Notandum tamen est non omnes auctores uti his terminis eodem modo. Sic e. gr. aliqui subdividunt ius particulare in ius patriarchale, provinciale, dioecesanum et regularium.

c) Ratione temporis ius ecclesiasticum dividitur in ius antiquum, novum et novissimum. Iterum non est eadem explicatio huiusmodi terminorum apud auctores. Iuxta explicationem praeferendam ius antiquum est ius a fundatione Ecclesiae usque ad Decretum Gratiani (circiter anno 1150). Ius novum est ius constitutum a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum exclusive. Pro maxima parte continetur in Corpore iuris et ideo vocatur etiam clarius et melius ius in Corpore iuris clausum. Ius novissimum est ius vigens post Concilium Tridentinum usque ad nostros dies. Potest etiam vocari ius vagans extra Corpus iuris etsi haec locutio non sit commendanda.

d) Ratione formae seu modi ius ecclesiasticum dividitur in ius scriptum, quod continetur in authenticis diplomatibus legitimi legislatoris atque debite publicatum est, et ius non scriptum, quod non continetur in authentico Scripto, sed tamen vi legitimae consuetudinis sive Traditionis observatur. Vocatur etiam ius consuetudinarium vel breviter consuetudines legitimae.

e) Ratione ritus ius distinguitur in ius Ecclesiae occidentalis et ius Ecclesiae orientalis. Plures ecclesiae Protestantium sive Acatholicorum sive Schismaticorum

habent etiam suos codices legales, e. gr. Ecclesia Graeca schismatica, sed de illis nihil dicendum nobis est in hoc Manuali. Pariter hic nihil dicendum occurrit de falsis acceptionibus tum iuris in genere, tum iuris ecclesiastici in specie, quia primum pertinet ad Ethicam christianam et secundum pertinet ad tractatum de Ecclesia, cum ex falsa notione Ecclesiae etiam necessario falsae notiones iuris ecclesiastici pullulare oporteat.

ARTICULUS II.

DE SCIENTIA IURIS ECCLESIASTICI.

Q. 8. *Quid sit scientia iuris ecclesiastici?*

R. Scientia iuris ecclesiastici definiri potest: Theologia practica circa leges ecclesiasticas. Aliquando vocatur breviter «Theologia rectrix» [1].

Dicitur a) Theologia, quia scientia iuris ecclesiastici non mere philosophice vel historice debet tractare suam materiam, sicuti faciunt plures auctores Protestantes, sed in ordine ad Deum finem ultimum et auctorem totius Ecclesiae. Hinc revera scientia iuris ecclesiastici est pars theologici studii et usque ad Gratianum etiam solebat non distincte a theologia tractari [2].

Dicitur b) Theologia practica, quia scientia iuris ecclesiastici non sistit in cognitione legum, sed illas in praxim deducit et casus practicos iudicat iuxta normas

---

[1] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 6.

[2] «Inter ceteras theologiae disciplinas Sanctorum Patrum decreta et Conciliorum statuta non postremum occupant locum» ita legitur iam in praefatione Summae saec. 12 quam publici iuris fecit Maassen. Etiam Wernz (Ius decr. I, n. 285) ius canonicum inter disciplinas theologicas enumerat scribens: «Qua in re inde a Decreto Gratiani paulatim magna locum habuit immutatio, et ius canonicum facta est disciplina theologica omnino distincta a theologia scholastica.» Et l. c. n. 53 scribit: «Ius canonicum cum theologia morali constituit partem principalem theologiae practicae.»

legum. Hinc scientiae illius pars est et vocatur «iurisprudentia». Sicuti enim munus virtutis prudentiae est consiliari, iudicare et praecipere, ita etiam officium scientiae iuris ecclesiastici est primo consiliari, i. e. investigare verum sensum legum, deinde iudicare, quid sit rectum in actionibus externis Christifidelium, et tertio praecipere, quid sit in praxi agendum. Theologia autem moralis est etiam Theologia practica; distinguitur tamen a scientia iuris ecclesiastici, quia eius obiectum est dirigere omnes actus humanos ad finem ultimum et ad sanctificationem internam hominum. Obiectum vero scientiae iuris ecclesiastici sunt tantum actus externi fidelium, qui proxime dirigendi sunt ad bonum sociale Ecclesiae et nonnisi ultimo in sanctificationem internam. Hinc autem manifestum est non paucas quaestiones iuris ecclesiastici tractari in Theologia morali licet sub alio respectu.

Dicitur c) circa leges ecclesiasticas ad significandum obiectum materiale huius scientiae. Leges ecclesiasticae supponunt legem naturalem, legem divinam, dogmata fidei, immo ipsam Ecclesiam ut a Christo cum perfectissima potestate legislativa instructam. Propterea scientia iuris ecclesiastici non debet tractari de omnibus istis materiis, quae profecto pertinent magis ad alias disciplinas. Notanter totus tractatus de Ecclesia, qui a pluribus auctoribus in iure ecclesiastico producitur, multo melius in Theologia dogmatica vel in Apologetica traditur. Nam iuxta vetus adagium nulla scientia probat suum obiectum sed supponit. Ergo ius ecclesiasticum non debet probare Ecclesiam eiusque dotes, proprietates, potestatem legislativam et genuinam relationem ad statum civilem, sed haec omnia tamquam nota supponere.

Q. 9. *Quaenam sint scientiae auxiliares et adminicula iuris ecclesiastici?*

R. Cum scientia iuris ecclesiastici sit revera pars Theologiae christianae, ut in praecedenti quaestione

dictum est, et una pars ab alia parte adiuvetur, ipsi quasi lucem praeferre debent Theologia dogmatica circa credenda et Theologia moralis circa agenda. Praeterea Apologetica et adhuc magis historia ecclesiastica maximae utilitati sunt. Ius ecclesiasticum enim non uno tempore conditum est nec etiam omnibus temporibus idem remansit. Mutatis temporibus mutatae sunt etiam quam plures leges ecclesiasticae. Quapropter historia enarrans temporum diversas mutationes quasi clavem praebet ad reserandam profundam rationem legis ecclesiasticae mutatae et mutandae. Praeprimis historia Concilii Tridentini declarationem suppeditat iuris Tridentini, quod haud parvas mutationes iuris antea vigentis introduxit[1].

Adminicula non satis commendanda pro studio iuris ecclesiastici sunt folia periodica, quae diversis in regionibus statutis temporibus eduntur, e. gr. Analecta eccles., Romae; Acta S. Sedis, Romae; Archiv für kathol. Kirchenrecht, Mainz; Le canoniste contemporain, Parisiis; Nuntius Romanus, Romae; Acta Pontificia, Romae. Praeprimis commendandum est Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis, quod iussu Pii X (const. «Promulgandi pontificias Constitutiones» 29 Sept. 1908) inde a. 1 Ian. 1909 Romae editur et continet constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum S. Congregationum et Officiorum scita et praeterea cetera Sanctae Sedis acta, quae ad communem cognitionem sunt utilia.

---

[1] «Praeterea nostra aetate canonistae acatholici non iam obsoletis armis antiquorum theologorum protestantium utuntur, sed praesertim ex historia pro suo modo intellecta et subsidiis modernis instructi doctrinam canonicam catholicorum impugnant. Quare catholici quoque canonistae ut suo tempore iam monuit Devoti (Ius can. univers. I v sq) non solis scutis et hastis Panormitani et Anacleti confidere atque neglecta eruditione historica ad iuris ecclesiastici explicationem accedere debent.» Ita optime Wernz, Ius decr. I, n. 59, III.

Q. 10. *Quaenam sit utilitas et praestantia scientiae iuris ecclesiastici?*

R. Valde utilis immo et necessaria est aliqualis scientia iuris ecclesiastici fere omnibus hominibus et quidem

1. Christifidelibus laicis, quia quodlibet membrum cuiuscumque civitatis debet aliqualiter scire leges patriae suae, secus multum damnum saepe patietur. A fortiori quodlibet membrum Ecclesiae non potest sine gravi suo damno ignorare leges Ecclesiae. Immo et Acatholici cum fructu addiscunt leges catholicae Ecclesiae, ad formandas actiones suas iuxta istas leges, quae praecellunt et iustitia et bonitate leges civiles. Hinc factum est, ut non pauci Protestantes intensum laborem impenderint ad leges Ecclesiae catholicae cognoscendas, e. gr. Richter, Böhmer, Hinschius etc. Hinc insuper factum est, ut tum antiquis tum modernis temporibus legislatores civiles conati sint leges suas aliqualiter conformare legibus ecclesiasticis, e. gr. Codex novus iuris civilis germanici in pluribus paragraphis exaratus est iuxta ius canonicum.

2. Clericis sive regularibus sive saecularibus adhuc utilior, ne dicam prorsus necessaria est scientia iuris ecclesiastici. Eorum enim munus est non tantum propriam vitam, sed etiam gregem sibi commissum dirigere iuxta leges ecclesiasticas. Quod sane fieri nequit sine solida scientia istarum legum. Hinc iam in Decreto Gratiani c. 4, D. 38 Papa Coelestinus statuit: «Nulli sacerdotum liceat canones ignorare.» Et Daniel Concina O. Pr. (Theol. Christ. I, l. 1, diss. 3, c. 14) merito concludit: «Necessaria igitur theologis est et magno usui futura canonum scientia . . . quae si theologus ignoret, suo erit officio ineptus.» Pro quibusdam gradibus ecclesiasticis obtinendis requiritur doctoratus in iure canonico. Cf. infra de curia episcopali. Nostra vero aetate Pius IX, Leo XIII et Pius X

clero solidam sacrorum canonum scientiam graviter commendarunt. Ad studium istius scientiae facilitandum Pius X commissionem creavit pro novo codice legali iuris ecclesiastici componendo (Motu proprio «Arduum» 19 Martii 1904). In omnium votis est, ut opus Papae nostri feliciter regnantis prosperum exitum breviter habiturus sit. — Ex hac utilitate, immo et necessitate scientiae iuris ecclesiastici nullo negotio erui valet praestantia huius scientiae. Insuper haec praestantia demonstratur ex nobilitate obiecti eius. Obiectum enim scientiae iuris ecclesiastici sunt leges ecclesiasticae, quae non sine directione Spiritus Sancti in oecumenicis Conciliis vel a Summis Pontificibus conditae sunt et quae secure ducunt hominem ad finem suum aeternum. Hinc omni tempore nobilissimi homines totis viribus studio iuris ecclesiastici incubuerunt. E. gr. S. Raymundus, S. Antoninus, Benedictus XIV etc.

Q. 11. *Quaenam sit optima methodus scientiae iuris ecclesiastici?*

R. De methodo atque de partitione iuris ecclesiastici reapse tot sunt sententiae, quot sunt capita. Dum alii magnis encomiis extollunt methodum et ordinem Decretalium Gregorii IX, cuius redactor fuit S. Raymundus de Peñaforte Ord. Praed., alii et praesertim Protestantes cum contemptu istum ordinem libri Decretalium tamquam prorsus ineptum reiciunt. Haec de methodo et partitione iuris canonici altercatio — merito hoc nomine locutiones multorum auctorum appellantur — videtur esse tam antiqua quam ipsa scientia iuris canonici. Gratiani Decretum, quod vocatur «Concordantia discordantium canonum» et quod consuevit poni prima pars Corporis iuris, ab aliquibus summis laudibus celebratum, ab aliis vero minimi ductum est. Sic e. gr. Io. Molinaeus (praef. in Ivonis decr. Migne, Patr. lat. 161, 36) scribit: «Qui in Gratiani volumine methodum . . . vestigant, videntur mihi non absimiles iis qui del-

phini in silvis, aut in fluctibus apri venationem instituunt, aut, ut propius eloquar quod sentio, qui ea quaerunt quae nusquam sunt.» Lapsu saeculorum variae methodi et partitiones iuris ecclesiastici propositae sunt et sine dubio unaquaeque aliquod saltem commodum prae se ferebat et illa profecto ceteris antecellebat quae perfectius attingebat finem. Porro quid est finis scientiae iuris ecclesiastici? Responsio in aprico est: perfecta cognitio iuris. Attamen haec perfecta cognitio iuris ecclesiastici hodiernis temporibus a paucis admodum clericis habetur immo et haberi potest, quia tempus studii tam breve, aliae materiae omnino cognoscendae tam multae, et ipsa scientia perfecta iuris ecclesiastici tam difficilis est. Qui cupit et potest habere scientiam perfectam iuris ecclesiastici, sequatur generatim loquendo methodum et ordinem Decretalium a S. Raymundo adhibitum. Hic ordo etiam observatur in libris certe excellentioribus Santi (Leitner), Wernz etc. et iam a saeculis commendatus est. Iuxta istum ordinem solent haberi praelectiones de iure canonico tum in veteribus tum in modernis universitatibus catholicis. Qui autem, etsi non perfectam, tamen sufficientem scientiam iuris ecclesiastici intendit, potest sequi ordinem in hoc Manuali observatum sc. prius studendo tractatum de personis et deinde tractatum de rebus ecclesiasticis. Iam in Institutionibus Iustiniani[1] dicitur: «Omne autem ius quo utimur vel ad personas pertinet vel ad res vel ad actiones.» Fere in omnibus modernis Manualibus Theologiae moralis sufficienter habentur tractatus de matrimonio, de ordinatione et de censuris aliisque poenis ecclesiasticis, qui quidem tractatus certe ad ius canonicum pertinent. Cum autem mos plerumque invaluit has materias in Theologia morali tractare, non est cur ab hoc more recedatur. Pariter nulla ratio adest, cur

[1] § 12 Inst. de iure natur. I 2.

eosdem tractatus parvum Manuale iuris ecclesiastici in usum scholarum destinatum iterum tradat[1]. Econtra magna utilitas videtur oriri, si etiam in parvo Manuali concisus tractatus de fontibus iuris ecclesiastici habeatur. Cognitio istorum fontium ita necessaria esse videtur, ut intelligentia iuris ecclesiastici nunc vigentis fere impossibilis sit sine illa[2]. Hinc praesens nostrum Manuale in tres partes dividitur:

1. De fontibus iuris ecclesiastici;
2. De personis ecclesiasticis;
3. De rebus ecclesiasticis.

Per modum supplementi tractabitur de iudiciis et poenis ecclesiasticis. Cum autem praesertim scribamus pro usu clericorum regularium totum secundum volumen huius operis tractabit de iure regularium, tum quia ista materia in aliis parvis Manualibus non satis perfecte tractatur, tum quia hoc maximum interest illorum clericorum.

---

[1] Ista methodus, licet prima fronte videatur discrepare a pluribus Manualibus hodie usitatis, non est tamen reapse nova, nam in ipsis scholis Romae adhibetur iam a longo tempore. Ibi enim distinguitur schola Institutionum canonicarum a schola Decretalium. In schola Institutionum solet universa disputatio de Ecclesia supponi ex Theologia dogmatica et explanatio iuris matrimonialis et censurarum relinquitur Theologiae morali. Hanc igitur methodum esse bonam, docet praxis comprobata Romana eamque nostris temporibus adoptavit etiam catholica universitas Washingtonensis.

[2] Cf. Wernz I, Proem. p. 4, et Devoti, Inst. can. I, praefat. p. 4.

PARS I.

DE FONTIBUS IURIS ECCLESIASTICI.

CAPUT I.

DE FONTIBUS IURIS ECCLESIASTICI IN GENERE.

Q. 12. *Quid usu veniat nomine fontium iuris ecclesiastici?*

R. Fons hic idem significat ac origo; unde fontes iuris ecclesiastici sunt origines vel causae efficientes iuris ecclesiastici. Solent autem distingui fontes duplicis generis sc. fontes exsistendi (fontes materiales ab aliquibus vocantur) et fontes cognoscendi iuris ecclesiastici.

Q. 13. *Quid et qui sint fontes exsistendi iuris ecclesiastici?*

R. Fontes exsistendi iuris ecclesiastici sunt ipsi legislatores, qui leges ecclesiasticas condiderunt vel adhuc condunt. Porro primus et supremus legislator in Ecclesia est Iesus Christus, qui Ecclesiam fundavit et etiam nunc tamquam caput invisibile regit. Unde Concilium Tridentinum (sess. 6, de iust. can. 21) definivit: «Si quis dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem cui oboediant, anathema sit.» Cum autem Christus non venerit solvere legem, sed adimplere, inde lex naturalis supponitur a lege ecclesiastica. Hinc primatum inter fontes iuris ecclesiastici obtinent lex di-

vina per Christum lata et lex naturalis per Christum elevata et declarata. Lex divina continetur in S. Scriptura et in Traditione. Praeterea Christus dedit Petro eiusque successoribus plenam ligandi atque solvendi facultatem et per hoc etiam perfectam potestatem legislativam quam exercent vel immediate per seipsos vel per Concilia generalia. Ex dictis elucet esse 5 fontes exsistendi iuris ecclesiastici universalis sc. lex naturalis, lex divina, quae continetur vel in S. Scriptura vel in Traditione, Summi Pontifices, Concilia oecumenica. His accenseri potest consuetudo legitima. Fontes iuris ecclesiastici particularis sunt illae causae, quae efficiunt leges particulares, e. gr. Concordata, Concilia provincialia etc.

Q. 14. *Quid et qui sint fontes cognoscendi iuris ecclesiastici?*

R. Fontes cognoscendi iuris ecclesiastici sunt depositaria, in quibus legislatores iuris ecclesiastici suas leges deposuerunt, vel generalius: sunt media obiectiva ex quibus et in quibus leges ecclesiasticae cognosci possunt. Sic leges positivo-divinae continentur in Sacra Scriptura, leges ecclesiasticae continentur in diversis Bullariis, Collectionibus Decretorum, in Corpore iuris etc. Dantur multi fontes iuris ecclesiastici et de illis infra tractabitur ordine chronologico. Cf. Wernz, Ius decr. I, n. 196.

CAPUT II.

DE FONTIBUS EXSISTENDI IURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS[1].

Q. 15. *Utrum ius naturale sit revera fons exsistendi iuris ecclesiastici?*

R. Sunt quidem qui hoc negent ut Schulte, Scherer, Hinschius et generatim omnes illi qui negant, quodcumque

[1] Cum fontes exsistendi iuris ecclesiastici nihil aliud sint quam diversae causae efficientes legis ecclesiastici, plures auctores, antequam

ius positivum supponere ius naturale ab eoque pendere, attamen sententia moraliter certa docet nullum ius ecclesiasticum non solum non posse repugnare iuri naturali, sed etiam supponere illud. Ratio est, quia Deus prius fundavit naturam quam Ecclesiam, quae naturam quidem elevat non autem destruit. Hinc receptae sunt in iure canonico quaedam leges, quae certe fundantur in iure naturali et propterea mutari non possunt, e. g. illud impedimentum matrimonii, quod vocatur defectus consensus, impedimentum impotentiae etc. Ex alia tamen parte dici nequit omne ius ecclesiasticum emanare directe ex iure naturali. Quomodo ius naturale adhibendum sit in iure ecclesiastico, Cardinalis Soglia (Institut. iuris publici et privati eccles. I, § 40) has regulas optimas assignat:

Prima regula est: «In iure publico ecclesiastico, ubi de statu seu constitutione et potestate Ecclesiae quaestio est, nullus est usus iuris naturalis, sed iuris divini positivi. Debuit sane Deus ordinem aliquem ac propterea regimen in Ecclesia instituere. . . . Qualem autem regiminis formam instituerit, cum ea res ex divina voluntate pendeat, non ex principiis iuris naturalis definienda est, sed ex Litteris Sacris et Traditione.»

Secunda regula: «Posita natura et fine e. g. alicuius ordinis hierarchici recte possumus vim potestatis eidem ordini convenientem ex ratione et iure naturali inferre.»

Tertia regula: «In omnibus iis quae ad praecepta morum et iustitiam naturalem pertinent, si leges positivae deficiant, ius naturale erit lex, ad quam iudicia et negotia dirigenda erunt.»

---

agunt de istis fontibus, praemittunt tractatum de legibus in genere sc. de essentia, divisione, qualitatibus, abrogatione, derogatione etc. legum. Verumtamen cum tractatus de legibus iuxta hodiernam praxim in omnibus Manualibus Theologiae moralis inveniatur, omittimus et supponimus illum ut notum brevitatis causa.

Quarta regula: «Cum Ecclesia nihil possit in divinis et naturalibus legibus derogare, immutare, dispensare, cognitio iuris naturalis non modo utilis, sed necessaria est ad cognoscendum, quae leges sint naturales et proinde immutabiles, quae vero positivae, adeoque derogationi, immutationi et dispensationi obnoxiae.»

Q. 16. *Quomodo Sacra Scriptura sit fons iuris ecclesiastici?*

R. Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti non tantum est fons fidei et regula morum, sed etiam fundamentum iuris ecclesiastici. In Vetere Testamento continentur praeter praecepta Decalogi, quae potius (excepto tertio praecepto) ad legem naturalem pertinent, praecepta moralia, iudicialia et caeremonialia. Praecepta moralia ista adhuc valent (S. th. 1, 2, q. 100, a. 1) praecepta vero iudicialia et caeremonialia per adventum Christi suam obligandi vim amiserunt (ib. q. 104, a. 13). At vero Ecclesia in suum codicem legalem plures leges iudiciales Veteris Testamenti transumpsit, e. gr. De iniuriis et damno dato c. 1—5 X 5, 36 ex libro Ex 21, 18—19; De homicidio voluntario vel casuali c. 1 X 5, 12 ex libro Ex 21, 14, quae quidem leges nunc obligant, non quia continentur in Vetere Testamento, sed quia sunt statutae ab auctoritate ecclesiastica.

In Novo Testamento continentur plures ordinationes divinae circa primatum S. Petri, circa iurisdictionem Apostolorum, circa ordinationem episcoporum, circa sacramenta et in Ep. 1 ad Cor. c. 5 habetur exemplum excommunicationis. Ut patet omnia et singula, quae in Novo Testamento per modum praecepti permanentis data sunt, adhuc obligationem habent.

Q. 17. *Quomodo Traditio sit fons iuris ecclesiastici?*

R. Traditio pariter ac S. Scriptura, sicuti est fons fidei et regula morum, ita est fons uberrimus iuris ecclesiastici. Distingui solet triplex Traditio sc. 1. Traditio

divina, quae continet praecepta ab ipso Christo data, sed per Apostolos publicata, e. gr. institutio sacramenti Extremae Unctionis, Confirmationis etc.; 2. Traditio apostolica, quae est de praeceptis ab ipsis Apostolis proprio nomine datis. Huius rei exemplum communiter citatur ieiunium quadragesimale. S. Apostolus Paulus 1 Cor 7 clare distinguit inter ista duplicis generis praecepta: «Iis quae matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. . . . Ceteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam . . . Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut uxor in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.» Ex hoc loco deducitur celebre «Privilegium Paulinum», de quo sermo est in tractatu de matrimonio. Concilium quoque Tridentinum (sess. 4) distinguit Traditiones, «quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis dictante Spiritu Sancto quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt». 3. Traditio ecclesiastica (vocatur etiam Traditiones paternae, veterum regulae)[1], continet praecepta non scripta et ipsius Ecclesiae auctoritate introducta. Exemplo sit: baptismus parvulorum, signum crucis, benedictio aquae baptismalis etc.

Circa Traditionem quattuor notanda sunt: a) Traditio vocatur lex non scripta, non quia nullibi scripta sit, sed quia non scripta est a primo auctore. Sic e. gr. baptismus parvulorum, quem statuit Traditio ecclesiastica, non invenitur quidem descriptus in aliquo codice legali primaevae Ecclesiae, sed scriptum est de illo in libris plurium SS. Patrum[2]. b) SS. Patres non sunt ipsa Traditio ecclesiastica, sed sunt illius testes dignissimi[3]. c) Quae

---

[1] C. 6, D. 64, Gelasius Papa. [2] Cf. Conc. Milev. II, can. 2.

[3] Cf. Wernz, Ius decr. I, n. 185 sqq. Cum primis Ecclesiae saeculis nondum exsistere potuerit propter persecutiones paganorum et

a Traditione divina praecepta habentur, non possunt mutari ab ecclesiastica auctoritate; quae vero a Traditione apostolica vel ecclesiastica sancita sunt, possunt quidem mutari, sed nonnisi rarissime de facto mutantur. d) Traditio non est idem ac consuetudo; nam Traditio primam originem ducit ab ipso legislatore; econtra consuetudo primam originem ducit a populo, etiamsi ipsa non fiat legitima, nisi accedente saltem tacito consensu legislatoris. Quia tamen consuetudo prope accedit ad Traditionem, hic statim adiungitur quaestio:

Q. 18. *Quid sit legitima consuetudo et quomodo vim legis obtineat?*

R. Consuetudo, quae sicut Traditio ad ius non scriptum pertinet, definiri potest: «Ius inductum moribus populi cum consensu saltem tacito legislatoris» vel sicut dicit Decretum Gratiani c. 5, D 1: «Consuetudo est ius

---

alia multa impedimenta tam perfecta legislatio ecclesiastica, ac nostris diebus, SS. Patres non tantum sunt doctores fidei et morum, sed etiam magistri canonum. Hinc iam S. Athanasius vocatus fuit a Sulpitio Severo iuris consultus (cf. Bardenhewer, Gesch. d. altkirchl. Literatur II 3). Hinc etiam in Decreto Gratiani aliisque collectionibus iuris canonici non pauca capitula ex scriptis SS. Patrum deprompta sunt. Cf. Decr. Gratiani c. 23 25 27 28, D. 50. Nihilominus SS. Patres (ut tales, nam si sunt episcopi vel Papae tunc aliter dicendum est) non sunt proprie legislatores ecclesiastici et proinde magis obtemperandum est Summorum Pontificum decretis, quam eorum sententiis (c. 1, D. 20 in Decr. Gratiani). Unde optime concludit Card. Soglia, Inst. iur. eccl. I, § 42: «SS. Patrum scripta in rebus disciplinae sunt iuris canonici fons subsidiarius, quatenus ubicumque sacri canones silent, scripta SS. Patrum subsidio veniunt, et locum auctoritatemque legis ecclesiasticae obtinent.»

Quae hic dicta sunt de auctoritate SS. Patrum valent fere similiter etiam pro auctoritate Doctorum et Interpretum iuris ecclesiastici. His Doctoribus certe non competit authentice interpretari ius ecclesiasticum, attamen si plures graves auctores eodem modo aliquam legem ecclesiasticam interpretantur tunc in praxi tuto agere licet iuxta talem interpretationem. Auctoritas Doctorum multum valet in Congregationibus Romanis, quae decisiones in casibus particularibus solent dare iuxta explicationem gravium Doctorum.

quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.»[1] Consuetudo sicut distinguenda est a Traditione, ita etiam distinguenda est a praescriptione. Praescriptio enim causat tantum ius subiective sumptum sive sit ius in re sive ius ad rem et ut plurimum valet tantum pro aliqua persona individuali vel pro aliqua persona iuridica, dum econtra consuetudo causat ius obiective sumptum seu veram legem et ut plurimum valet pro communitate fidelium.

Consuetudo vim legis obtinet non ex facto, quod circa unam et eandem rem uniformi modo frequenter actum est, nam in hoc casu multiplicatae rebelliones contra aliquam legem haberent vim consuetudinis, quod nemo profecto dixerit, sed ex consensu saltem legali legislatoris. Ita omnes catholici canonistae contra scholam uti vocant historicam (Schulte, Sohm, Windscheid etc.), quae docet causam efficientem iuris consuetudinarii esse communitatem, quin ullus consensus legislatoris requiratur. Etsi enim «quando libera est multitudo plus sit consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quam consuetudo manifestat, quam auctoritas principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi inquantum gerit personam multitudinis», tamen populus christianus non est talis libera multitudo. Nullibi et nunquam enim illi est commissa a Christo potestas eligendi principes suos ecclesiasticos vel condendi leges. Cf. S. th. 1, 2, q. 97, a. 3 ad 3.

Scite Angelicus Doctor subdit: «Ipsa consuetudo in tali multitudine (non libera qualis est in casu populus

---

[1] Haec definitio recte intellecta est optima, quidquid in contrarium dicat de Angelis tit. de consuet. n. 1; nam lex potest deficere quantum ad claritatem et tunc supplet consuetudo iuxta legem, vel quantum ad universalitatem seu extensionem et tunc supplet consuetudo praeter legem, vel demum quantum ad utilitatem et tunc supplet consuetudo contra legem. Cf. Reiffenstuel, Ius can. univ. l. 1, tit. 4, n. 6.

fidelis) praevalens obtinet vim legis, inquantum per eos toleratur ad quos pertinet multitudini legem imponere; ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.» [1]

Conditiones quas habere debet consuetudo ad hoc ut vim legis obtineat, sunt duae: 1. ut consuetudo sit rationabilis et 2. ut sit legitime praescripta [2].

Ut consuetudo rationabilis sit, requiritur:

a) ut non contrarietur iuri divino vel naturali. Patet [3];

b) ut non disrumpat nervum disciplinae [4]. Hinc omnes consuetudines, quae enervant disciplinam monasticam, irrationales et proinde invalidae sunt;

c) ut non peccandi licentiam vel occasionem praebeat [5];

d) ut non sit nociva bono communi. Sicuti enim lex invalida est, quae bono communi nocet, ita a fortiori consuetudo irrationalis et prorsus invalida est, quae est nociva bono communi. Reiffenstuel [6] merito animadvertit: «Loquendo in specie sive in casibus particularibus, num haec vel illa consuetudo sit rationabilis necne, id prudentis iudicis arbitrio relinquendum est. . . . Quodsi pensatis omnibus remaneat dubium super rationabilitate

---

[1] Multum et acriter disputatur inter auctores, qualis consensus legislatoris requiratur ad hoc ut consuetudo introducta sit legitima vel habeat vim legis. Alii requirunt saltem consensum tacitum sc. legislator cognoscit consuetudinem et non contradicit etsi facile possit contradicere. Alii docent sufficere consensum legalem, qui includitur in omni lege humana eo ipso, quatenus legislatores per publicam legis auctoritatem consentiunt inde ab initio in omnes consuetudines rationabiles ac legitime praescriptas. Cf. Reiffenstuel l. c. l. 1, tit. 4, n. 136 sq. Videtur tamen reapse esse lis de nomine, nam ut Reiffenstuel merito animadvertit, si consuetudo est certe rationabilis et certe praescripta, tunc certe etiam consensus legislatoris adest, qui est necessarius ad hoc ut consuetudo habeat vim legis. Cf. Wernz, Ius decr. I, n. 188.

[2] C. 11 X 1, 4.

[3] Cf. Decretal. mox cit.

[4] Ita c. 3 et 5 ib.

[5] Ita c. 9 et 10 ib.

[6] L. c. l. 1, tit. 4, n. 30 sqq.

consuetudinis praesumenda erit rationabilis ac bono communi expediens.» Ratio huius ultimi est commune adagium: «Iura sunt promptiora ad solvendum quam ad ligandum.»

Ut consuetudo sit legitime praescripta, nullum determinatum tempus requiritur, si consensus tacitus vel expressus legislatoris illam rati habet, si vero non adest consensus legislatoris tacitus vel expressus, tunc requiritur in consuetudine praeter legem praescriptio decennalis, in consuetudine vero contra legem iuxta plures requiritur praescriptio quadragenalis[1]. Dicit Benedictus XIV[2]: «Cum vero agitur de lege iam populi moribus firmata, ad illam contraria consuetudine abrogandam communiter exigunt doctores quadraginta annorum spatium . . . Verum plerique ex recentioribus non improbabiliter opinantur satis esse consuetudinem decem annorum.»[3] Santi[4] plene probat praescriptionem decennalem sufficere ad auferendam quamcumque legem ecclesiasticam.

Exsistentia consuetudinis vestitae debitis qualitatibus, cum sit res facti non praesumitur, sed aliquo modo debet probari. De hac probatione fere eadem valent, quae valent pro probatione praescriptionis. Si dubium manet, tunc, uti iam supra dictum est, consuetudo censetur legitime exsistere, nisi tamen ipse legislator consuetudinem expresse reprobet vel aboleat; omnis enim consuetudo cessat esse legitima, quando competens legislator illam revocat. Patet, quia sine consensu legislatoris nulla est legitima consuetudo, uti dictum est. Consuetudines, quae vocantur immemoriales, non censentur tamen revocatae nisi expresse a legislatore dicitur: «non obstante quacumque consuetudine etiam

[1] E. gr. Sägmüller, Kirchenrecht, § 24.

[2] De syn. dioec. l. 13, c. 5, n. 4.

[3] Cf. Kreutzwald, De canonica iur. consuetudinarii praescriptione 9 sqq.

[4] L. 1, tit. 4, n. 15.

immemoriali». Consuetudines particulares; quae in aliquibus tantum locis vel apud quasdam tantum personas vigent, non revocantur eo ipso per legem contrariam, cum legislator non teneatur cognoscere omnes consuetudines particulares; revocantur vero, quando in lege generali adicitur: «nulla obstante consuetudine» [1].

Consuetudines solent dividi iuxta quattuor genera causarum:

a) ex parte finis seu effectuum per ipsam intentorum ponitur:

α) consuetudo secundum legem, quae legem exsistentem confirmat vel interpretatur. De hac consuetudine valet axioma ex Codice Iustiniano desumptum: «Optima enim est legum interpres consuetudo.» Vocatur etiam interpretatio usualis legis;

β) consuetudo praeter legem, quae in casibus, qui a iure non sunt decisi constituit novam legem, conformem tamen spiritui legis exsistentis;

---

[1] Disputatum fuit, utrum consuetudo contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini posset legitime invalescere. Negant Fagnanus, Cardinalis de Luca, Lucidi, Benedictus XIV, Devoti, sed hodiernis temporibus affirmativa sententia est moraliter certa. Plures enim consuetudines (Gerlach-Schulte, Kirchenrecht § 44 enumerat octo consuetudines contrarias), contrariae Concilio Tridentinae tamquam legitimae ab omnibus habentur. Ad rem scribitur in Act. S. Sedis v. 4, p. 26, not. 1. «Non multo post Tridentinum Concilium incoepit apud canonistas invalescere dictio: Contra Concilium Tridentinum nulla admittitur consuetudo. Haec dictio, quae nec grave habuit ab initio fundamentum, admissa merito fuit a S. Congregatione Concilii. Dixi: Grave non habuit fundamentum; namque ea generalis clausula neque a Patribus Concilii Tridentini apposita fuit Decretis neque explicite ab aliqua constitutione Romani Pontificis. Attamen a variis auctoribus persaepe repetita fuit usque ad nostra tempora. Nihilominus haec dictio, quam post novam aliquam solemnem legem cogimur veluti subintelligere, decursu saeculorum pedetentim amittit suam veritatem et reapse modo videmus multas invaluisse consuetudines contra Concilium Tridentinum, quae irrationabiles praesertim pro locorum adiunctis non reputantur.» Apud Wernz, Ius. decr. I, n. 113.

γ) consuetudo contra legem, quae legem latam vel usu nunquam recipit, vel iam receptam legem contrariis moribus tollit atque usu longaevo abrogat;

b) ex parte causae efficientis seu iuxta diversas communitates, a quibus ortum habet, consuetudo vel est

α) generalissima, quae recepta est in universa Ecclesia[1];

β) generalis, quae recepta est in tota quadam provincia[2];

γ) specialis, quae in aliqua urbe vel civitate viget[3]. (Nota: Consuetudo specialis praevalet generali);

δ) specialissima, quae servatur ab aliqua minima parte populi vel a personis privatis. Haec consuetudo specialissima; nunquam potest habere vim legis; ad summum est privilegium. Hinc e. gr. in aliqua parochia non potest novum ius creari ex aliqua consuetudine parochianorum;

c) ex parte causae materialis ab antiquis auctoribus consuetudo dividebatur in canonicam et civilem, canonica consuetudo habetur in iure canonico, civilis consuetudo in iure civili[4]. Modernae leges civiles communiter nullas consuetudines agnoscunt;

d) ex parte causae formalis consuetudo vel est extraiudicialis, quae usu populi et non decisionibus tribunalium sancita est; vel est consuetudo iudicialis (vocatur etiam usus forensis), «quae pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere prolatis obtinuit in Iudicio, i. e. quando ad minus bis pariformiter iudicatum fuit circa causas similes in iudicio contradictorio intra decennium»[5]. Si forma procedendi tribunalium in causis ecclesiasticis consuevit eadem esse, vocatur «stylus curiae», vel mos iudiciorum vel gene-

---

[1] Cf. c. 5, Ecclesiasticarum D. 11.

[2] Cf. c. 31 X 1, 6. [3] Cf. c. 19 X 2, 24.

[4] Cf. Reiffenstuel, Ius can. univ. l. 1, tit. 4, n. 12.

[5] Ita Reiffenstuel l. c.

ralis observantia. Si vero in consuetudine iudiciali potius attenditur ipsa materia sententiarum iudicialium, quae de similibus rebus uniformiter prodierunt appellatur: «auctoritas rerum similiter iudicatarum».

Ratione temporis, consuetudo solet distingui

consuetudo ordinaria vel longa, quae requirit praescriptionem 10 vel 40 annorum vel

consuetudo centenaria vel longissima, quae supponit durationem 100 annorum vel

consuetudo immemorialis, cuius memoria non exsistit.

Alias divisiones consuetudinis utpote minus necessariae possunt omitti [1].

SCHOLION.

DE LEGIBUS CIVILIBUS.

Leges civiles ut sic certe non possunt esse fontes exsistendi seu causae efficientes iuris ecclesiastici, cum Ecclesia sit societas perfecta et prorsus independens a civili potestate. Hinc Summi Pontifices semper respuerunt civilis potestatis conatus dirigendi res ecclesiasticas. Attamen iidem Summi Pontifices non paucas leges civiles praesertim ex Codice Iustiniano transumpserunt in ius ecclesiasticum, et sic illae leges, uti dicunt, canonizatae, sunt et obligant etiam in foro ecclesiastico non tamen quia continentur in iure civili, sed quia ab Ecclesia libere receptae sunt. In hoc sensu ius civile Romanum vocatum est fons subsidiarius iuris canonici. Modernae leges civiles de materiis aliquo modo ad religionem spectantibus latae ex se nullam obligationem inducunt pro Ecclesia. Nihilominus tamen Ecclesia fere semper tolerat ut fideles et clerici leges civiles etiam circa res ad religionem pertinentes observent. Tolerat e. gr. matrimonia civilia, tolerat ut clerici compareant coram

[1] Videsis Wernz, Ius decr. I, n. 187.

iudice civili. Insuper in multis regionibus vigent Concordata, quae regulant relationes inter Ecclesiam et Statum. Haec Concordata certe sunt fontes iuris ecclesiastici pro determinatis regionibus. Summi Pontifices enim expresse rati habuerunt sanctiones eorum. De Concordatis infra explicitius sermo erit. De relatione autem generali Ecclesiam inter et Statum videsis Hammerstein, De Eccles. et Statu, vel Sägmüller, Kirchenrecht 32 sqq.

Q. 19. *Quomodo constitutiones Summorum Pontificum sint fontes exsistendi iuris ecclesiastici?*

R. Post legem divinam et naturalem constitutiones Summorum Pontificum primatum obtinent inter fontes iuris ecclesiastici. In Ecclesia Christi, quae utpote societas perfecta gaudet plena potestate legislativa [1]. Summi Pontifices sunt supremi legislatores. Tamquam veri successores S. Petri receperunt hanc facultatem ab ipso Christo, cuius vicarii in terra sunt. Inde a primis saeculis aerae christianae Romani Pontifices in diversis orbis partibus has facultates exercuerunt et eorum suprematia iurisdictionis ab aliis episcopis agnita fuit. Exemplo inter alia sunt epistula Papae Clementis ad Corinthios, epistula Papae Siricii ad Himerium Taraconensem [2]. Unde Innocentius I (a. 416) ad Decentium Eugubinum scribit «ab omnibus debet observari . . . quod a principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur». Papae exercere possunt suam supremam potestatem legislativam independenter ab episcopis vel Cardinalibus, vel etiam Concilio oecumenico [3]. Libere possunt ferre leges in totam Ecclesiam,

[1] Cf. Syllab. Pii IX, prop. 19 20 41 42.

[2] Migne, Patr. lat. 13, 1132. Cf. Jaffé, Regesta n. 255 311 331 334 373 etc.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 14, c. 7 et sess. 25, c. 21 de reform. Const. Pii VI «Auctorem fidei» 28. Aug. 1794; Conc. Vatic. sess. 4, c. 3.

nec ulla lex particularis valet contra eorum decreta. Libere possunt statuta suorum Praedecessorum et Conciliorum omnium mutare. Leges eorum, etsi non habeant donum infallibilitatis [1] atque non necessario sint semper simpliciter optimae visis omnibus circumstantiis, tamen nunquam continent aliquid contra fidem et bonos mores, si sunt latae pro universa Ecclesia. Libere possunt ferre leges de omnibus ad religionem spectantibus, non autem de rebus pure civilibus. Haec omnia latius tractantur et probantur in tractatu de Ecclesia, unde ad illum tractatum remittimus lectorem. Constitutiones Summorum Pontificum aliae sunt dogmaticae, aliae disciplinares. Constitutiones dogmaticae dogma catholicum explicant et definiunt, e. gr. constitutio Pii IX de Immaculata Conceptione B. M. V. Constitutiones disciplinares respiciunt disciplinam ecclesiasticam, et de his tantum hic agendum est. Hae constitutiones vocantur etiam Decreta, Decretales, Constituta, Epistulae, Regulae etc. [2] Antequam veram obligationem inducunt, debent legitime publicari; nulla enim lex obligat nisi sit debite promulgata. Antiquis temporibus constitutionum papalium promulgatio fiebat affigendo illas Romae in valvis plurium basilicarum et «in acie campi Florae». Hodiernis temporibus constitutiones generales solent mitti ad singulos Ordinarios. Pius X tamen statuit die 29 Sept. 1908 (const. «Promulgandi pontificias consti-

[1] Pontificum Summorum decreta disciplinaria vim obligandi habent solummodo quantum ad partes uti dicunt dispositivas, non autem quantum ad partem historicam. Sic e. gr. quando in aliquo decreto aliqua dispositio vel ordinatio introducitur et fulcitur motivis, quae sunt facta historica, minimè sequitur, quod haec facta allegata sunt indubitanter vera. Sane cum magna reverentia tales allegationes Summorum Pontificum circa facta historica tractandae sunt, attamen Summi Pontifices sunt nequaquam infallibiles in factis historicis. Cf. e. gr. controversiam valde agitatam de domus B. V. in Loreto genuitate.

[2] Cf. Maassen, Quellen 228.

tutiones») ut inde ab anno 1909 «Commentarium officiale» de Apostolicae Sedis actis edatur. «Volumus autem constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum S. Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis aut maioris administri eius Congregationis vel Officii a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una eaque unica ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a S. Sede provisum.» [1] Per se ergo minime requiritur, ut publicatio fiat in singulis dioecesibus vel parochiis, ut voluerunt Gallicani et Iansenistae; potest tamen accidere, ut episcopus dioecesanus propter graves rationes ex singularibus circumstantiis provenientes aliquod decretum Romanum nocivum putet in sua dioecesi. Quo casu liceret ad tempus supersedere a publicatione illius. Rationes vero, propter quas sic egerit, interim proponere tenetur Curiae Romanae, quae si acquiescat, lex non obligat in tali dioecesi [2]. Generatim loquendo cum quilibet episcopus catholicus unionem habens cum Sede Apostolica censeri debeat filius oboediens Supremi Pontificis, si qua lex certo non est publicata in dioecesi non obligare praesumitur fideles et clericos talis dioeceseos. Legibus generalibus Romanorum Pontificum per se loquendo subditi sunt omnes homines valide baptizati in universo orbe. Ergo etiam haeretici et schismatici [3]. Dixi tamen «per se loquendo»,

---

[1] Apud Anal. Eccl. 1908, 365.

[2] Cf. Wernz, Ius decr. I, n. 142.

[3] Esse subditus Ecclesiae et esse membrum Ecclesiae non significant idem. Licet enim Eugenius IV. in Decr. pro Armen. dicat: «Per ipsum (baptisma) . . . de corpore efficimur Ecclesiae» tamen communis sententia doctorum est non omnes baptizatos esse membra corporis Ecclesiae. Cf. De Groot, De ecclesia q. 3, a. 3. Econtra omnes baptizati, habitualiter usum rationis habentes, potestati legiferae, iudiciariae et coactivae Ecclesiae subduntur.

quia in casibus particularibus pia Mater Ecclesia aliquando non intendit ligare Acatholicos, sic e. gr. matrimonia Acatholicorum sine forma Tridentina etiam in locis ubi viget lex Tridentina inita sunt valida. Ita Pius X in decret. «Ne temere» 2 Aug. 1907.

Q. 20. *Quomodo distinguantur pontificiae constitutiones?*

R. Triplicis formae sunt pontificiae constitutiones:

a) Chirographa, quae sunt litterae scriptae a secretario aliquo et propria manu ab ipso Summo Pontifice subscripta;

b) Bullae, quae sunt litterae pontificiae apertae (vocantur propterea etiam aliquando litterae patentes), expediuntur in forma solemni de rebus gravioribus. Olim scribebantur characteribus gothicis (bollatico Gothico seu Teutonico) nunc autem post Motu proprio Leonis XIII 29. Dec. 1878 communibus characteribus Latinis. Super magna et crassa membrana scribuntur; appenduntur plumbea (raro aurea) numismata, quae includi solebant in aliqua capsula. Inde nomen Bullae desumptum est. Distinguuntur Bullae communes seu per Cancellariam, Bullae per viam secretam, Bullae per Cameram, Bullae per Curiam, Bullae consistoriales, Bullae dimidiae, de quibus videsis Phillips, Kirchenrecht III 646[1]. Aliquando, et praesertim quando sunt Bullae solemniores, non tantum habetur subscriptio Papae regnantis sed etiam plurium Cardinalium. Prima verba alicuius Bullae vocantur arrenga; iuxta quam solet Bulla citari, e. gr. Bulla «Unam sanctam» Bonifatii VIII. Quid sit «rota», «Bene valete», modus affigendi plumbum possunt videri ex specimine adiecto quod est Bulla commendationis Ordinis Praedicatorum ab Honorio III edita, cuius originale conser-

[1] Pius X (const. «Sapienti consilio») statuit, ut Bullae deinceps non expedirentur nisi per viam Cancellariae «sublatis iis modis qui dicuntur per viam secretam, de Camera et de Curia».

vatur in Archivio Conventus Fratrum Praedicatorum Düsseldorpii in Germania;

c) Brevia (litterae breves), quae sunt litterae apostolicae minus solemnes, expediuntur a Secretaria Brevium. Scribuntur in membrana tenui et alba formae oblongae. Praemittitur nomen completum Pontificis, e. gr. Pius P. P. X; stylus est simplex, deest subscriptio Romani Pontificis, cuius loco subscribit Cardinalis Secretarius. Sigillum est annulus piscatoris, repraesentans S. Petrum in navicula trahentem rete. Mittuntur communiter clausae. Pius X const. «Sapienti consilio» 29. Iunii 1908 decrevit, ut «in posterum in omnibus apostolicis litteris sive a Cancellaria sive a Dataria expediendis, initium anni ducetur non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die 25 martii, sed a Kalendis Iannariis». In anterioribus autem apostolicis litteris usque ad haec ultima tempora solebat antiqua computatio adhiberi. Vide specimen hic adiectum.

Litterae, quas mittit Summus Pontifex ad episcopos et praelatos omnes vel alicuius territorii, vocantur Encyclicae. Non datur specialis forma pro istis litteris encyclicis.

Iam ab antiquis temporibus litterae apostolicae, antequam mittebantur ad destinatas personas, transcribebantur in aliquo Registro. Valde dolendum est, quod lapsu temporis plura talia Registra (seu Regesta) deperdita sunt. Nihilominus plura milia Regestorum habentur in Archivio Vaticana, quorum sat magna pars iam publici iuris facta est (e. gr. a Jaffé, Potthast, Bibliothèques des écoles françaises d'Athènes et de Rome, Hergenröther etc.).

Q. 21. *Quomodo decreta Romanarum Congregationum sint fontes iuris ecclesiasti?*

R. Summi Pontifices neque solent neque possunt per se ipsos omnes res disciplinares expedire, casus particulares et dubia solvere propter eorum magnam

LEO PP. XIII.

Dilecte fili salutem et apostolicam Benedictionem. Exponendum curavisti Nobis te cupere ad augendam Christi-
fidelium in audiendo Dei verbo, cuius ut praefers concionator approbatus existis, putatem ac frequentiam, ut illos
coelestium munerum largitione ditaremus. Nos tuis hisce votis obsecundantes, omnibus utriusque sexus Chri-
stifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui tuis concionibus quadragesimae, ad-
ventus, missionum ac spiritualium exercitiorum saltem ultra meditatem tempore, quo easdem conciones
respective perduraverint, interfuerint, et Benedictioni cum Cruce in postrema Concionum huiusmodi a te
impertiendae adstiterint, nec non Ecclesiam, ubi praefatae conciones habebuntur, sive saltem vel Ecclesiam
domorum, ubi praedicta spiritualia exercitia peragentur, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum
concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum pre-
ces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in
Domino concedimus. Quoties vero Christifideles hisce concionibus saltem contriti adfuerint, et Ecclesiam
vel saltem ut supra visitaverint ibique oraverint, eisdem bis centum dies de iniunctis eis, seu
alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Contrariis
non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die
XIV. Januarii MCMII. Pontificatus nostri anno vigesimoquinto.

Pro Domino Card. Mauchi.

N. de Marini

Specimen Brevis Pontificalis.

Originale scriptum in pergamena tenui habet extensionem fere duplo maiorem. Sigillum in parte sinistra positum clarius datur infra.





Specimen Bullae Apostolicae.

Originale scriptum in pergamena crassa habet extensionem plus quam decies maiorem.

Specimen annuli Piscatoris.

Hoc sigillum repraesentat S. Petrum sedentem in navicula trahentem rete piscium. Quae isto sigillo muniuntur constitutiones pontificiae, dicuntur datae sub annulo Piscatoris. Iuxta modernam praxim in omni Brevi istud sigillum imprimi solet.

multitudinem. Unde ope plurium Congregationum Romanarum utuntur. De constitutione, potestate et modo agendi harum Congregationum infra explicitius erit sermo, ubi de Curia Romana agetur; hic tantum summarie indicatur, quomodo earum decreta sint fontes iuris ecclesiastici. Circa quod notandum est:

a) Si earum decreta non sunt nisi Rescripta pro casibus particularibus vel iudicia particularia, tunc ligant quidem partes, pro quibus edita sunt; minime tamen constituunt ius, quod licet deduci eo ipso ad alios casus similes. Ita omnes. Hinc e. gr. si S. C. Inqu. rescripsit 21 Aprilis 1841 «Usum magnetismi prout exponitur non licere»; ex hac decisione minime usus magnetismi generatim illicitus proclamatur ut eadem S. Congregatio 28 Iulii 1847 declaravit.

b) Si S. Congregatio Indicis proscribit librum vel scriptum hoc utique proscriptum manet in universo orbe, inquantum Index librorum prohibitorum valet. Ita omnes.

c) Decreta generalia S. Congregationis Rituum universam Ecclesiam adstringunt, eodem prorsus modo ac si immediate ab ipso Summo Pontifice essent promanata. Ita decretum Pii IX 23 Maii 1846. Decreta autem particularia obligant tantum dioecesim, locum vel ordinem religiosum, ad quem sunt directa.

d) Decreta cetera aliarum Congregationum ex se non videntur habere vim legis universalis, nisi expresse accedat approbatio Summi Pontificis. Auctores multi distinguunt quidem inter decreta comprehensiva et decreta extensiva. Primis dicunt competere vim legislativam universalem, non autem secundis nisi habeant specialem approbationem Papae. In praxi haec distinctio non videtur esse multi valoris, nam primo non est possibile semper certo distinguere, quodnam decretum sit extensivum et quodnam sit comprehensivum. Praeterea quando vel leve dubium occurrit de competenti auctoritate Congregationis, prius peti solet facultas a Papa his

vel similibus dictis: «facto verbo cum Sanctissimo». Ex quo sequitur decreta generalia omnium Congregationum Romanarum nedum ab omnibus magna cum reverentia esse suscipienda, sed etiam revera semper habere vim obligativam universalem[1]. Authentica decreta S. Congr. Rituum sub Leone XIII publicata sunt, pariter exsistunt collectiones authenticae S. Congr. Indulg. Aliarum autem Congregationum authenticae collectiones adhuc desiderantur.

Q. 22. *Quomodo Concilia oecumenica sint fontes iuris ecclesiasticae?*

R. Concilia oecumenica rite convocata et a Summo Pontifice confirmata sunt fontes uberrimi iuris ecclesiastici. «Concilium generale seu oecumenicum a voce *οἰκουμένη* (orbis inhabitatus) est conventus episcoporum ex toto orbe convocatorum ad iudicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis sub auctoritate Romani Pontificis. Dixi 1. ex toto orbe; sic enim Concilium oecumenicum a nationali distinguitur, ad quod convocantur alicuius vel regni seu nationis antistites, patriarcha vel primate praesidente; et a provinciali, ad quod episcopi unius provinciae ecclesiasticae praesidente metropolitano convocantur. 2. Convocatorum eo dicimus, quia vocari omnes ius est, omnes convenire non necessarium est, dummodo principes Ecclesiae congregentur eo numero, ut congregati censeantur catholicam repraesentare Ecclesiam. 3. Postremo: sub auctoritate Romani Pontificis, quae quidem auctoritas congregando, praesidendo, confirmando exercetur.»[2] Episcopi omnesque habentes vocem in Conciliis generalibus non possunt quidem sine Papa leges pro universa Ecclesia condere, cum sint tunc membra sine capite, sed tamen non sunt

[1] Cf. Wernz, Ius decr. I, 145 sq; Lehmkuhl, Theol. mor. I 202 sq.
[2] Ita de Groot, Summa apol. q. 73, a. 1.

meri consiliarii Papae. Revera membra legitima alicuius Concilii oecumenici habent potestatem legislativam, unde et quodlibet membrum subscribit: «Definiens subscripsi.» Ad hoc autem ut Concilium sit legitimus fons exsistendi iuris ecclesiastici requiritur:

a) ut sit rite convocatum. Ius convocandi Concilium generale unice pertinet ad Summum Pontificem, cuius est regere totam Ecclesiam. Attamen nihil obstat, quominus exerceant Summi Pontifices hoc ius per alios, e. gr. per imperatores. Sic revera factum est. Priora Concilia generalia convocata fuere per imperatores Romanos, sed haec convocatio ratihabita fuit a Summis Pontificibus[1]. Ad hoc ut Concilium sit vere generale Concilium requiritur, ut magna pars episcoporum convocetur et in unum conveniant. Minime vero necessarium est, ut omnes episcopi totius orbis christiani convocentur et conveniant. Nec hucusque ullum Concilium generale celebratum fuit, ubi omnes episcopi aderant.

b) ut sit rite celebratum. Ad rite celebrandum Concilium generale requiruntur plura, quae tamen, cum sint iuris ecclesiastici et non divini, mutationi obnoxia sunt nec etiam semper sunt observata. Primo igitur requiritur legitimum praesidium. Legitimi praesides Conciliorum generalium sunt Summi Pontifices eorumque Legati. Quodsi aliquando Concilium celebratum fuit sine Summo Pontifice aut eius Legatis, decreta lata non valebant ante confirmationem Papae. Principibus saecularibus nullo modo competit praesidere Conciliis generalibus. Quod quidem iam expresse agnoscebatur ab imperatore Theodosio, qui hoc modo scribebat ad Patres Concilii Ephesini: «Candidianum, praeclarissimum sacrorum domesticorum comitem ad sacram vestram synodum abire iussimus; sed ea lege et

[1] Cf. de Groot l. c. a. 2, obi. 1.

conditione, ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incidunt; nihil quidquam commune habeat: nefas est enim qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus se immiscere.»[1] Aderant tamen aliquando principes eorumque delegati, ut Patrum securitati prospicerent et Conciliorum decreta sua potestate tuerentur. Secundo requiritur, ut vota dent illi tantum, qui ex iure divino vel iure ecclesiastico hac facultate praediti sunt. Ex iure divino vocem habent in Conciliis generalibus omnes episcopi catholici residentiales unionem habentes cum Sede Apostolica, nam Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Controvertitur, utrum episcopi titulares, qui sunt sine plebe, habeant vocem in Conciliis oecumenicis. Plures negant (Canus, Suarez, Billuart): quia carent iurisdictione; sed melius affirmatur, quia sunt insigniti charactere episcopali, qui ex natura sua ordinatus est ad regimen Ecclesiae. Unde merito scribit Billiot S. J.[2]: «Convocatio eorum (episcoporum titularium) est saltem consentanea ordini divinitus instituto, nedum ei contrarietur. Et hoc quidem maxime valet de vicariis apostolicis, qui etsi ordinarii pastores non sint, adhuc tamen in regionibus missionum ea quae pastorum sunt exsequuntur.»[3] Pius IX de facto convocavit ad Concilium Vaticanum episcopos titulares et vicarios apostolicos.

In Concilio Vaticano const. «Multiplices» 27 Nov. 1869 et alio decreto 20. Febr. 1870 ordo servandus in Concilio oecumenico praescriptus fuit. Ex iure consuetudinario ecclesiastico vocem habent in Conciliis generalibus Cardinales, etsi non sint episcopi, abbates generales et praepositi generales ordinum regularium,

[1] Mansi, Ampliss. Coll. Conc. IV 1119.

[2] De eccl. Christi q. 16, § 2.

[3] Cf. Hergenröther-Hollweck, Kirchenrecht n. 453; Hinschius, Kirchenrecht I 605.

non autem abbates simplices singulorum monasteriorum, nec superiores generales congregationum religiosarum [1]. Tertio requiritur, ut decreta Concilii ferantur post maturam et liberam deliberationem. Per se patet.

c) ut sit rite confirmatum. Eugenius IV scribit in decreto super unione Iacobitarum: «Concilia generalia, nisi a Romano Pontifice confirmentur, illegitima esse, id est vacua pondere et auctoritate.» Propter quod Patres Conciliarii consueverunt expresse petere confirmationem Summi Pontificis. Sic e. gr. Patres Nicaenae Synodi scripserunt ad Silvestrum Papam: «Quidquid constituimus, precamur ut vestri oris consortio confirmetur.» Et Patres Concilii Chalcedonensis acta ipsa miserunt ad S. Leonem Magnum dicentes: «Mittimus ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem.» Et ratio est, quia Christus nonnisi Petro promisit infallibilitatem: «Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam.» [2] «Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.» [3]

20 Concilia oecumenica celebrata sunt praeter Concilium Apostolorum Hierosolymis hucusque sc. 8 in Oriente: Nicaenum I (a. 325), Constantinopolitanum I (a. 381), Ephesinum (a. 431), Chalcedonense (a. 451), Constantinopolitanum II (a. 553), Constantinopolitanum III (Trullanum) (a. 680—681), Nicaenum II (a. 787), Constantinopolitanum IV (a. 869).

12 in Occidente sc. Lateranense I (a. 1123), Lateranense II (a. 1139), Lateranense III (a. 1179), Lateranense IV (a. 1215), Lugdunense I (a. 1245), Lugdunense II (a. 1274), Viennense (a. 1311—1312), Constantiense (a. 1414—1418) (ea tamen pars, quae confirmata fuit a Martino V), Basileense et continuatio ipsius Ferrarae et Florentiae (a. 1431,

[1] Cf. Wernz, Ius decr. II, n. 846.
[2] Mt 16, 18. [3] Lc 22, 32.

1437—1439), Lateranense V (a. 1512—1517), Tridentinum (a. 1545—1563) et Vaticanum (a. 1869—1870).

Amplissima et completissima Collectio Sacrorum Conciliorum compilata est a Dom. Mansi 31 voll., Florentiae et Venetiis 1759—1769, et nova editio huius operis nunc conficitur Parisiis (Welter). Praeter istam Collectionem dantur etiam aliae Collectiones et praesertim Collectiones Conciliorum particularium, inter quas eminet Collectio Lacensis, «Acta et decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum«, Friburgi 1870—1890.

CAPUT III.

DE FONTIBUS EXSISTENDI IURIS ECCLESIASTICI PARTICULARIS.

Q. 23. *Quinam sint praecipui fontes exsistendi iuris ecclesiastici particularis?*

R. Praecipui fontes iuris ecclesiastici particularis sunt Concordata, Concilia particularia, statuta praelatorum ecclesiasticorum, Rescripta, privilegia.

Q. 24. *Quid notandum sit de Concordatis?*

R. Concordata, quae etiam vocantur pax, concordia, pactum, tractatus, capitula concordata, conventio, sunt contractus publici, inter Summum Pontificem et gubernia civilia circa materias tum ad forum civile tum ad forum ecclesiasticum pertinentes. Dicitur 1. contractus publici. Equidem plures auctores volunt Concordata non esse contractus bilaterales onerosos, sed mera privilegia concessa a Summis Pontificibus aliquibus guberniis civilibus, de qua controversia infra agetur, sed omnes debent admittere et revera admittunt Concordata semel inita inducere utrimque veram obligationem et non esse pura privilegia ad nutum revocabilia. Vocantur autem contractus publici, tum ratione formae, quae solet esse publica et solemnis, tum ratione materiae, quae non mere ad privatas personas, sed ad multitudinem pertinet.

Dicitur 2. inter Summum Pontificem et gubernia civilia. Etsi enim episcopi, inquantum habent veram potestatem legislativam, possint conventiones facere cum gubernio civili pro territorio suo proprio, tamen nostra aetate haec facultas episcoporum merito restricta est et vix ullius practici est momenti. In Concordatis agitur enim de rebus maximi momenti et fere semper ad ius commune pertinentibus. Porro in causis gravioribus ad ius commune pertinentibus hodie episcopi non possunt decidere inconsulta S. Sede [1]. Ergo merito dicitur in definitione, Concordata esse conventiones inter Summum Pontificem et gubernium civile. Summus Pontifex tamquam caput totius Ecclesiae, et tamquam supremus legislator potest conventiones et leges facere in quolibet territorio et cum quolibet gubernio etiam infideli; potest etiam ius commune ecclesiasticum mutare, praesertim in aliquo territorio determinato. Ex parte reipublicae vel Status quocum Concordatum initur, requiritur quod paciscens sit supremus legislator. Cum enim in Concordatis ferantur verae leges, quae etiam in foro civili obligant, illi tantum Concordata inire possunt, qui habent facultatem leges ferendi in territorio. Fere in omnibus regnis hodie potestas legislativa residet in comitiis publicis deputatorum et inde hodie Concordata iniri non possunt sine assensu istorum comitiorum. Antiquis temporibus quaedam Concordata aliter inita fuisse docet Wernz [2], sed istis temporibus relatio inter Ecclesiam et Statum etiam alia fuit et legislatio regni haud raro valde imperfecta fuit. Dicitur 3. circa materias tum ad forum civile tum ad forum ecclesiasticum pertinentes. Istis verbis designatur obiectum materiale Concordatorum. Certum est Concordata non versare neque

[1] Cf. Scherer, Kirchenrecht I 153.
[2] Ius decr. I, n. 167 Scholion.

circa res pure temporales, e. gr. bona laicorum, neque circa res pure spirituales, e. gr. formam et materiam sacramentorum, indulgentias etc. Proprium obiectum Concordatorum sunt res et actiones ad utramque potestatem civilem quidem et ecclesiasticam pertinentes licet diversa ratione. Sic e. gr. bona temporalia Ecclesiae in aliquo territorio pertinent ad Ecclesiam, quae possidet illa; alia ratione tamen potestas civilis ex causa rationabili potest imponere vectigalia et tributa super ista bona, si ita necessitas exigit, quia ipsa tranquillitatis servandae causa debet protegere etiam ista bona. Unde privilegium immunitatis a gabellis et vectigalibus olim bonis ecclesiasticis concessum fere nullibi hodie observantur. Pariter matrimonium ut sacramentum unice pertinet ad Ecclesiam; matrimonium vero quantum ad civiles effectus pertinet ad potestatem civilem. In praxi saepe difficile erit determinare quousque se extendat potestas rei publicae et propterea Ecclesia pacis maxime studiosa concessiones grandes solet facere in Concordatis.

Q. 25. *In quo consistat essentia Concordatorum?*

R. Mirum est, quam acriter disputatum sit de hac quaestione, et tamen ex istis disputationibus fere nihil utilitatis neque pro praxi neque pro theoria ortum est. Tres sententiae principaliores in hac quaestione exsistunt. Solent vocari theoriae:

1. Theoria legalis docet, Concordata esse mera privilegia principis civilis ad ipsius nutum revocabilia. Tenetur a Dr Sarwey, Thudichum, Zorn, Hinschius et generatim ab auctoribus Protestantibus. Fundatur haec theoria super falso principio, quod Ecclesia sit rei publicae plene subordinata. Iuxta illam sicuti potestas civilis leges condere potest pro aliis suis subditis, ita etiam pro Ecclesia catholica in eius territorio exsistente, et sicuti ipsa leges latas abolere potest, ita etiam libere potest abolere leges Concordati, quin sit necessarius consensus Ecclesiae. Plura gubernia civilia eheu istam

theoriam in praxim deduxerunt. Sed quam falsa et quam iniusta sit haec theoria, luce clarius est. Ecclesia enim non subdita est potestati civili, sed potius econverso illa oboedire tenetur Ecclesiae. Ecclesia enim multo altiorem finem habet quam res publica, cum finis Ecclesiae sit salus aeterna fidelium, finis vero rei publicae sit salus temporalis subditorum. Praeterea Ecclesia est societas perfecta sub uno principe spirituali et ut talis a Christo fundata fuit. Ergo habet perfectam autonomiam et falsum omnino est adagium theoriae legalis: «Cuius regio eius religio.» Religio prorsus independens est a regione; est enim una eademque in universo orbe; sicut debet esse una fides ita et unus cultus eiusdem Dei [1].

2. Theoria pactorum docet Concordata esse vera pacta inter Ecclesiam et potestatem civilem seu esse contractus bilaterales onerosos inter Summum Pontificem et gubernium civile. Haec theoria tenetur a plurimis Catholicis (Kreutzwald, Schneider, de Angelis, Cavagni, Palmieri, Scherer, Sägmüller, Vering etc.) immo a non paucis Protestantibus (e. gr. Richter-Dove, Heffter, Brendel, Herrmann, Bluntschli etc.) et non solum tuta est, sed etiam valde conformis locutionibus Summorum Pontificum. Sic e. gr. Pius VII in Concordato anno 1817 cum Ludovico XVIII inito statuit: «Haec Concordata habent vim veri contractus utriusque obligantis.» Pius IX (Acta II 482) haec habet de Concordato Austriaco: «Supradictas concessiones, pacta, Concordata tenore praesentium approbamus.» Leo XIII in Encycl. «Ad extremas Orientis» 24 Iunii 1893 haec scribit: «Cum fidelissimo Portugalliae et Algarbiorum rege data acceptaque fide rite pacti sumus.» In ep. ad episcopos Galliae 16 Februarii 1892 Concordatum dicitur «un pacte solennel et bilateral toujours fidèlement

[1] Cf. Wernz, Ius decr. I, n. 172, nota 1.

observé de la part du Saint Siège». Iure merito igitur Wernz [1] scribit: «Quare cum hae similesque formae loquendi atque adeo fortiores ‚bilateralis pacti' usque ad ultimas Encyclicas Leonis XIII in ipsis documentis authenticis frequentissime occurrant [2], nulla exsistit ratio ab illa terminologia recedendi, ne simus magis catholici quam Romani Pontifices.» Haec theoria pactorum rite explicata sarta tecta servat et iura Ecclesiae et iura rei publicae nullumque incommodum inducit. Et quidem servat iura Ecclesiae, nam facto ipso quo potestas civilis pactum init cum Ecclesia agnoscit Ecclesiam possidere autonomiam et legitima iura, nam cum propriis subditis nulla pacta init, sed simpliciter leges praescribit. Praeterea cum aliis religionibus et sectis gubernium civile nulla Concordata init, sed simpliciter circumscribit limites, intra quos cultum earum vel tolerat vel approbat. Quod est signum evidens quod Status censet Ecclesiam catholicam esse maioris dignitatis quam aliae Ecclesiae. Ex parte vero Ecclesiae catholicae per pacta Concordatorum nihil eius autonomiae et suprematiae aufertur. Nam ex facto ipso, quod Ecclesia in Concordatis saepe facit magnas concessiones et suam libertatem sinit diminui, minime sequitur, Ecclesiam **teneri** facere has concessiones vel non habere ius recusandi conditiones impositas. Pariter nec levis suspicio simoniae adest, qualem gratuito adstruunt defensores tertiae sententiae mox afferendae; nam simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi res spirituales (vel spiritualibus annexas) pretio temporali. Ubi autem hic invenitur emptio et venditio? Ubi invenitur pretium temporale? In Concordatis Ecclesia facit concessiones et recipit pacificum exercitium cultus catholici. Ad perturbationes et maiora mala vitanda Ecclesia concedit gubernio civili

---

[1] Ius decr. I, n. 165, nota 27.
[2] Cf. Hergenröther et Baldi.

quaedam praerogativa (salva tamen semper fide catholica et salvis bonis moribus), sed nec levissima species simoniaci contractus in his omnibus explorari potest.

3. Theoria privilegiorum i. e. pontificiorum docet Concordata esse potius privilegia pontificia quam contractus. Hinc Papa semper valide Concordata sine interventu gubernii civilis abrogare potest, immo exsistente legitima causa etiam licite. Fundatur haec theoria praecipue super duobus principiis sc. 1. Ecclesia est societas superior et res publica est societas inferior, quae proinde in casu conflictus simpliciter oboedire tenetur Ecclesiae praecipienti, sive interim haec potestas praecipiendi sit potestas directa sive indirecta. 2. Potestas Ecclesiae utpote ex iure divino constituta est inalienabilis et propterea Papa nequit partem istius potestatis alienare contractu oneroso, qualiter fit iuxta theoriam pactorum in Concordatis. Huc accedit periculum simoniae, de quo supra dictum est. Haec theoria propugnata est praesertim a Card. Tarquini S. J., Bonald, Card. de Azevedo. Citantur pro hac theoria etiam Schmalzgrueber S. J. et Wiestner S. J. Sed hodiernis diebus fere nullus auctor hanc theoriam sine limitationibus defendit, cum rationes allatae minime probent illam esse veram. Nam in Concordatis Papa nec cogitat alienare vel minimam partem suae potestatis. In Concordatis Ecclesia prorsus seiungit quaestionem iuris a quaestione facti et tantum paciscitur cum gubernio civili de meliore modo, quo exteriores actiones Catholicorum tum ad forum ecclesiasticum tum ad forum civile pertinentes regulentur. Praeterea absque dubio Ecclesia est societas perfectior quam Status, quia altior finis a Deo illi praestitutus est et proinde illa omnimoda coordinatio, quam quidam auctores fingunt inter Ecclesiam et Statum, reicienda est, attamen nonne potest societas altior veros contractus inire cum societate inferiore? Haec theoria explicat Concordata non prout hodie sunt, sed prouti

deberent esse, si relatio inter Ecclesiam et Statum esset perfectissima. Uno verbo est utopia quae nullibi in rerum natura invenitur. Wernz, Ius decr. I, n. 173, 2 haec habet: «Concordata prout saepe de facto inita fuerunt, in compluribus articulis Sedi Apostolicae sive Romanis Pontificibus strictam imponunt obligationem iustitiae commutativae et Statui strictum concedunt ius saltem ex novo quodam titulo obtentum. Ergo theoria privilegiorum generaliter et sine limitationibus non est asserenda. Ita recte Hammerstein S. J.»

Q. 26. *Quaenam sit necessitas et utilitas Concordatorum?*

R. Si relatio inter Ecclesiam est Statum esset perfectissima, et si gubernia civilia debitam reverentiam et oboedientiam Ecclesiae semper praestarent, Concordata non essent necessaria. Tum enim Ecclesia sola iuxta personarum et locorum adiuncta optime ordinaret illa, circa quae nunc Concordata sunt necessaria. Sed quia talis relatio perfectissima inter Statum et Ecclesiam nullibi exsistit et forsan nunquam exstitit; quia praeterea multa gubernia civilia non sunt catholica, et quam plurimi eorum cives sunt haeretici vel infideles, Concordata habent maximam utilitatem et relativam necessitatem. Si enim rebus sic stantibus conventiones inter Ecclesiam et Statum non inirentur, tunc aut continualis oriretur aut totalis separatio Ecclesiae a Statu fieret. Haec totalis separatio inter Ecclesiam et Statum aliquibus in regionibus hodie exsistit, e. gr. in America septentrionali, in Anglia etc. et haud spernenda commoda producit, attamen etsi possit ad tempus esse conveniens «modus vivendi», nunquam autem evadet conditio naturae Status et Ecclesiae conveniens. Ex quo factum est, ut iam a saeculis multa Concordata inter Statum et Ecclesiam inita fuerint. Si Concordata non essent magnae utilitatis, tam grandis series Con-

cordatorum non exsisteret. Quae quidem bene perspiciens Leo XIII scripsit in sua Encyclica «Immortale Dei»: «Illud enim perpetuae legis instar habendum est quod Ivo Carnutentis ad Paschalem II Pontificem Maximum perscripsit: Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur.»

Primum omnium Concordatum videtur esse pactum Carisiacum (Chiersy) a. 754 inter Stephanum III et Pipinum [1]. Alia Concordata valde antiqua sunt concordia Londinensis a. 1107, concordia Wormatiensis a. 1122 (quae continet «Praeceptum Henrici quarti imperatoris» et privilegium Calixti Papae secundi); famosa sic dicta «Monarchia Sicula» concessa ab Urbano II a. 1098. Praeterea Concordata inierunt Martinus V, Nicolaus V, Leo X, Benedictus XIV. Celeberrimum Concordatum est illud, quod Pius VII cum Napoleone I a. 1801 iniit, et quod nostris diebus tam iniuste et tam crudeliter a gubernio civili Gallico laeditur. Plura Concordata inierunt Pius IX et Leo XIII [2].

Q. 27. *Quid notandum sit circa formam Concordatorum?*

R. Forma Concordatorum diversa fuit pro diversitate temporum. Solet triplex forma distingui:

a) Concordatum perficitur et publicatur duabus legibus vel duobus statutis, quorum unum perficitur et publicatur a Summo Pontifice, alterum vero a gubernio civili. Hac forma editum fuit Concordatum Wormatiense. Papa Calixtus II publicavit Bullam, in qua concessiones imperatori factas enumerat, et imperator Henricus IV

[1] Cf. Scherer, Kirchenrecht I 232.
[2] Cf. Wetzer u. Weltes Kirchenlexikon s. v. Konkordat.

publicavit suum «Praeceptum»[1]. Fere eadem forma factum est Concordatum inter Benedictum XIII et Victorem Amadeum regem Sardiniae a. 1727[2].

b) Concordatum publicatur post conventiones factas per Bullam Summi Pontificis, quae quidem Bulla a gubernio civili suscipitur et authentice agnoscitur. Hac forma facta sunt Concordata inter Eugenium IV et principes Germaniae a. 1447; inter Nicolaum V et Fredericum III a. 1448; inter Leonem X et Franciscum I regem Galliae a. 1516 et inter Pium VII et gubernium Borussicum per Bullam «De salute animarum».

c) Concordatum habet formam pactorum bilateralium. Plenipotentiarii utriusque potestatis, postquam convenerunt de singulis articulis Concordati, subscribunt pactum, quod quidem in Consistorio publico et per Bullam Papa tamquam legem ecclesiasticam pro determinato territorio publicat et quod gubernium civile convenienti modo tamquam legem civilem edit. Hac forma praesertim ultimis temporibus Concordata inita sunt, e. gr. Concordatum Pii IX cum Francisco Iosepho I imperatore Austriae a. 1855, Concordatum Leonis XIII cum Statu Columbiae a. 1887, conventio Pii X cum Russia de Seminariis Poloniae a. 1907.

Q. 28. *Quomodo Concordata derogentur et abrogentur?*

R. In sententia theoriae legalis Concordata derogantur et abrogantur ad nutum legislatoris civilis, eodem modo quo ceterae leges civiles cessant. Sed haec theoria falsa est, ut supra vidimus.

In sententia theoriae privilegiorum Concordata possunt a Papa revocari, sicuti alia privilegia concessa revocari possunt. Sed haec theoria minus probabilis est, ut patet ex supra dictis.

---

[1] Cf. Walter, Fontes n. 75.

[2] Cf. Scherer, Kirchenrecht 153.

In sententia theoriae pactorum Concordata possunt revocari sicuti alii contractus bilaterales. Hinc e. gr. si Status non adimplet promissa sua, iam Ecclesia pariter non tenetur suis promissis in Concordato factis; si in Concordato aliquid stipulatum sit, quod lapsu temporis factum est certe iniustum, vel si error aut dolus substantialis irrepserit. In praxi, quando opportunum videtur Statui vel Ecclesiae aliquos articulos Concordati mutare, multo melius esset, si omnia ex bono et aequo et ex communi consensu ordinarentur, sed eheu non semel historia ostendit, gubernium civile non multum curare de Concordato inito et propria auctoritate facere mutationes non consulto immo et contradicente Summo Pontifice. Quod profecto est gravis laesio et iustitiae commutativae et fidei datae.

Q. 29. *Quomodo Concordata sint fontes iuris ecclesiastici particularis?*

R. Cum Concordata sint statuta supremi legislatoris ecclesiastici pro aliquo territorio determinato eodem modo sunt fontes exsistendi iuris ecclesiastici particularis, quo statuta generalia Summi Pontificis sunt fontes exsistendi iuris ecclesiastici universalis.

Q. 30. *Quomodo Concilia particularia sint fontes iuris ecclesiastici?*

R. Distinguuntur Concilia nationalia, Concilia provincialia et synodi diocesanae. Circa quae notentur sequentia. Concilia nationalia vel plenaria illa vocantur, in quibus conveniunt episcopi alicuius regni vel regionis sub praesidio Primatis. Talia Concilia ultimis temporibus celebrata sunt e. gr. in America septentrionali et in Anglia. Non tamen quaelibet congregatio episcoporum alicuius nationis potest vocari Concilium nationale, sic e. gr. episcopi Germaniae quolibet anno habent conferentiam Fuldae, apud sepulcrum S. Bonifatii, Apostoli Germaniae, et tamen isti conventus

non sunt proprie loquendo Concilia nationalia. Requiritur igitur, ut congregatio episcoporum alicuius nationis tamquam Concilium nationale convocetur et approbetur. In iure canonico nihil speciale invenitur de istis Conciliis nationalibus vel plenariis; unde seclusa speciali ordinatione Summi Pontificis eadem valent de istis Conciliis, quae mox dicentur de Conciliis provincialibus. Concilium provinciale est congregatio episcoporum (quolibet triennio facienda)[1] alicuius provinciae ecclesiasticae sub praeside metropolitano. Iuxta disciplinam nunc vigentem convocandi sunt cum voto decisivo omnes episcopi suffraganei (etiam nondum consecrati), quibus aequiparandi sunt administratores apostolici, vicarii capitulares, vicarii apostolici, si dioecesim vel vicariatum apostolicum intra terminos provinciae ecclesiasticae administrant. Pariter vocem decisivam habent in Concilio provinciali praelati nullius et episcopi exempti a iurisdictione Metropolitae, si adsunt in provincia ecclesiastica[2]. Episcopi vero titulares possunt quidem vocari cum voto decisivo, si omnes et singuli episcopi conprovinciales in Concilio congregati consentiant[3], sed ex se nullum ius voti habent. Cum voto autem consultativo vocandi sunt: 1. procuratores Ordinariorum absentium; 2. procuratores capitulorum cathedralium; 3. provinciales ordinum religiosorum vel congregationum religiosarum. Non videtur tamen adesse stricta obligatio vocandi praelatos regulares, nec illis incumbit stricta obligatio veniendi, nisi ex consuetudine vel iure particulari sic statutum est[4]. Concilium enim Tridentinum[5]

---

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 2 de reform.
[2] Cf. Ferraris s. v. Conc. a. 2, n. 11—25.
[3] S. C. C. 25 Aug. 1850.
[4] S. C. C. 1581 apud Aichner, Comp. iur. eccl. § 128.
[5] Sess. 24, c. 2 de reform.

praecepit tantum formula generali «episcopi omnes et alii qui de iure vel consuetudine interesse debent . . . convenire omnino teneantur» [1].

Synodus dioecesana est legitima congregatio cleri dioecesani ab episcopo coacta ad deliberandum et decernendum de his, quae curae suae pastorali incumbunt.

Concilia plenaria et provincialia sunt fontes iuris ecclesiastici particularis, cum habeant veram potestatem legislativam [2], attamen hodiernis temporibus statuta eorum non habent vim obligandi, nisi approbata sint (generice vel specifice) a S. Sede [3].

Potestas Concilii provincialis superat potestatem singulorum episcoporum. Nam licet par in parem non habeat iurisdictionem, et episcopi sint pares inter se, tamen cum Concilia provincialia auctoritate Summi Pontificis vel iuris communis coadunentur et cum eorum statuta a Sede Apostolica debeant recognosci vel etiam approbari specifice [4], sequitur quod quilibet episcopus subditus sit statutis istorum Conciliorum nec ea mutare pro sua dioecesi possit. Aliter res se habet de subiectione

---

[1] Cf. Wernz, Ius decr. II, n. 855, et Scherer, Kirchenrecht I 672. Etsi iuxta Concilium Tridentinum l. c. Concilia provincialia quolibet triennio post Octavam Resurrectionis D. N. I. Chr. seu alio commodiore tempore sint celebranda, tamen consuetudo pluribus in locis viget multo rarius haec Concilia cogere. Talis consuetudo a S. Sede tolerata videtur esse legitima, eo vel magis si loco Concilii provincialis habentur conferentiae episcoporum, in quibus de rebus secus in Concilio tractandis deliberatur. Sic e. gr. in Germania iam a pluribus decenniis nullum Concilium provinciale habitum fuit; quolibet vero anno episcopi conveniunt Fuldae.

[2] C. 25 X 5, 1; S. Off. 30 Sept. 1896.

[3] Videsis decretum approbationis secundi Conc. Leopol. a S. C. de Prop. Fide 1 Maii 1895. — Laudantur et confirmantur decreta Conc. in Prov. Mexic. a S. C. C. 19 Aug. 1898. Exsistebat specialis Congregatio in Curia Romana pro Conciliorum revisione, sed Pius X hoc munus demandavit S. Congr. Concilii.

[4] Sixtus V, Const. «Immensa» 22 Ian. 1587; S. C. C. 6 Apr. 1596.

St. Albert's College Library

regularium exemptorum. Nam nullibi in iure statutum est, Concilia particularia posse exemptionem regularium diminuere. Unde videtur, praecisa approbatione prorsus specifica S. Sedis Statuta Conciliorum particularium non magis obligare regulares exemptos (saltem ex stricto iure) quam etiam alia statuta ab episcopo dioecesano edita [1].

Synodus dioecesana non habet maiorem competentiam quam episcopus solus, cum episcopus sit unicus iudex et legislator in illa [2]. Propter hanc rationem etiam solus episcopus subscribit et confirmet statuta synodalia, quae proinde vim propriae legis non videntur habere, nisi episcopus hoc expresse dicat; obligant tamen omnes fideles in dioecesi habitantes.

Synodus dioecesana singulis annis congreganda est, ut praescribit Concilium Tridentinum [3]. Hodiernis tamen temporibus ex Indulto pontificio vel ex approbata consuetudine multo rarius haberi solet.

In synodo dioecesana solus episcopus est iudex, ex sua sola auctoritate synodalia edit decreta et reliqui omnes praesentes nonnisi ad consilium adhibentur.

Solius episcopi dioecesani (vel vicarii capitularis in regionibus missionum) est convocare synodum dioecesanam ex propria auctoritate. De potestate vicarii capitularis videsis Bened. XIV, De syn. dioec. l. 2, c. 9, n. 6. De modo convocandi, de praeparandis ante synodum, de modo sedendi etc. videsis P. Martinucci, Man. Sacr. Caeremoniar. l. 6, c. 41, qui in longum et latum de istis omnibus tractat.

Ad synodum dioecesanam convenire debent: 1. abbates saeculares, si qui exsistant in dioecesi; 2. praelati nullius, qui peculiare non habent privilegium

[1] Cf. Bargilliat n. 682.

[2] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 2, c. 5, n. 6 8.

[3] Sess. 24, c. 2 de reform.

convocandi propriam synodum; 3. vicarius generalis episcopi; 4. canonici Ecclesiae cathedralis et canonici ecclesiarum collegiatarum: 5. parochi et curati. Episcopus potest etiam convocare ceteros presbyteros et clericos suae dioecesis, attamen iuxta sententiam multo probabiliorem, non potest cogere regulares exemptos, ut intersint synodo dioecesanae, nisi tamen isti sint parochi vel quasi parochi (cf. Bened. XIV l. c. l. 3 et const. «Romanos Pontifices» 1881).

Pariter episcopus nequit exigere a regularibus exemptis sic dictum «Synodaticum» vel «Cathedraticum» [1].

In synodo dioecesana eligi debent (quattuor ad minus) iudices synodales, qui habent qualitates iuxta constitutionem «Statutum» Bonifatii VIII [2] et quibus a S. Sede, casu occurrente, causae ecclesiasticae iudicandae committi possent [3]. Pariter eligi debent et quidem cum approbatione synodi (ita ut si synodus reiciat aliquem propositum candidatum, episcopus alium proponere debeat) ad minus sex et non ultra viginti examinatores synodales [4] ad examinandos candidatos in concursibus ad ecclesias parochiales. Quodsi examinatores synodales vel non in sufficienti numero vel nullo modo adsint in aliqua dioecesi, episcopus praehabita licentia S. Congregationis Concilii potest nominare de consensu capituli cathedralis examinatores prosynodales [5].

Auctoritas legum synodalium eadem est ac aliarum legum episcopi dioecesani. Non admittitur contra illas appellatio nisi «in devolutivo» et durant etiam post mortem episcopi, nisi revocentur.

---

[1] Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. n. 663.

[2] Habetur c. 11 in VI° 1, 6.

[3] Cf. Conc. Trid. sess. 25, c. 10 de reform., et plures decisiones S. C. C. in ed. Schulte-Richter.

[4] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 18 de reform.

[5] Cf. Bened. XIV l. c. l. 4, c. 7.

Q. 31. *Quomodo «Statuta» sint fontes iuris particularis?*

R. Statuta, quae etiam vocantur aliquando Constitutiones, Ordinationes, Decreta, Praecepta, Mandata possunt ferri ab omnibus istis, qui habent autonomiam (saltem limitatam) seu «ius statuendi». Praeter synodum dioecesanam, de qua in quaestione praecedenti sermo fuit, ius statuendi habent Cardinales in suis ecclesiis titularibus, episcopi pro suis dioecesibus, vicarii apostolici pro suis vicariatibus, praelati «nullius» pro suo territorio separato, praelati regulares sive per seipsos sive per capitula coacta iuxta constitutiones uniuscuiusque Ordinis, et capitula apud ecclesias collegiatas vel cathedrales[1]. Omnia haec statuta, inquantum non sunt contra ius commune, contra privilegia legitima et contra «iura quaesita», tertii sunt fontes iuris particularis. Quali forma et cum quanam approbatione ista statuta a personis iuridicis, quae habent autonomiam ferri debeant, vide infra, quando de singulis tractatur, e. gr. de capitulis cathedralium, de capitulis ordinum religiosorum etc.

Q. 32. *Quomodo Rescripta sint fontes iuris ecclesiastici?*

R. Rescriptum nihil aliud est quam responsum scriptum et definiri potest: «responsum supremi Principis ad alicuius supplicationem, relationem vel consultationem in scripto datum»[2]. Dicitur a) supremi Principis, quia tantum Summi Pontificis vel imperatoris responsa vocantur rescripta[3]. Dicitur b) ad alicuius supplicationem etc., ut distinguatur a «Motu pro-

---

[1] Cf. Würdtwein, Subsidia diplomatica, Heidelbergae 1772 sqq, 13 voll., ubi plura talia Statuta inveniuntur impressa.

[2] Cf. Ferraris s. v. Rescriptum.

[3] Responsa aliorum legislatorum non possunt vocari Rescripta nisi in sensu lato.

prio», a Decreto, Constitutione, a legibus communibus, quae omnia solent in bonum commune promulgari dum rescripta hodiernis temporibus potius constituunt ius singulare. Dicitur c) in scripto datum, ut distinguatur ab «oraculo vivae vocis», quod oretenus datur, licet postea probationis causa in scriptis redigatur.

Prioribus Ecclesiae saeculis Rescripta Summorum Pontificum non tantum ut decisiones in causis particularibus considerabantur, sed ut verae leges universales. Iam inde ab initio Ecclesiae ex omnibus partibus orbis terrarum Consultationes et Decisiones in rebus dubiis petebantur a Romanis Pontificibus. Sic iam S. Clemens I a Corinthiorum Ecclesia consultus scripsit «potentissimas litteras Corinthiis ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperat, Traditionem» [1]. Innocentius I scribit ad Patres Concilii Milevitani ep. 30: «inter ceteras Romanae Ecclesiae curas et Apostolicae Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus», et paulo post «quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent» [2]; et Leo Magnus P. I asserit ep. 10: «Apostolicam Sedem innumeris relationibus esse consultam» [3]. Etiam in Corpore iuris canonici quam plurimae leges ecclesiasticae sub forma Rescriptorum latae sunt. Quae cum ita sint, facile intelligitur, quare longus Titulus habeatur de Rescriptis tum in Decretalibus Gregorii IX tum in Libro Sexto tum in Clementinis de forma sc. et de vitiis Rescriptorum de eorum usu, auctoritate, intelligentia, restrictione, revocatione etc. Pariter perspicuum est, quare veteres canonistae ut Gonzalez, Pirhing, Schmier tam amplos commentarios scripserint

[1] S. Irenaeus, Contra haer. l. 3, c. 3, n. 3 (Migne, Patr. Graec. 7, 849).

[2] Migne, Patr. Lat. 20, 589. [3] Ib. 54, 630.

in Titulum De Rescriptis. Hodiernis vero temporibus Rescripta pontificia non solent fieri neque leges universales, neque particulares sed sunt vel Rescripta gratiae, quae concedunt aliquam gratiam (privilegium vel dispensationem praesertim in impedimentis matrimonii) vel Rescripta iustitiae, quae administrationem iustitiae determinant in aliquo casu particulari, vel Rescripta mixta, quae simul gratiam concedunt et iustitiam determinant. Rescripta igitur pontificia hodie nonnisi subiectivum ius particulare constituunt. Rescripta iustitiae per se non possunt applicari ad similes casus, possunt tamen assumi ut norma directiva a iudicibus inferioribus iuxta illud: «In causis, quae Summi Pontificis iudicio deciduntur et ordo iuris et vigor aequitatis est subtiliter observandus, cum in similibus casibus ceteri teneantur similiter iudicare; nisi forte cum aliquid causa necessitatis aut utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum.» [1]

Nemo nisi Summus Pontifex Rescripta, prouti nunc de iis sermo est, dare potest, qui tamen exercere solet hanc facultatem mediantibus Congregationibus Romanis. Obtinere vero Rescripta potest quisque sive pro se sive pro alio, et quidem Rescripta gratiae etiam pro persona non mandante, immo et penitus ignorante supplicationem factam. Rescripta vero iustitiae pro alio sine speciali mandato obtineri nequeunt, nisi pro iis personis petatur, quae sunt prorsus subditi supplicanti, e. gr. parentes et tutores possunt obtinere Rescripta iustitiae pro filiis sine speciali eorum mandato. Rescripta data non valent pro haereticis, schismaticis et excommunicatis [2]. Propterea ante exsecutionem Rescriptorum prius solet dari ad cautelam absolutio ab excommunicatione, ne effectus Rescripti evacuetur. Rescripta possunt esse invalida multis ex causis quarum praecipuae hae sunt:

[1] C. 19 X 2, 27. [2] C. 1 in VI° 1, 3; cf. Santi in h. tit.

a) vitio precum. Si preces enim veritate non nitantur, cum sint subrepticiae vel obrepticiae, tunc Rescriptum obtentum talibus falsis precibus nullum irritumque est, dummodo tamen preces falsae fuerint causa principalis et motiva, ob quam Rescriptum concessum fuit. Vide ampliora de hoc puncto praesertim in tractatu de dispensationibus matrimonialibus.

b) vitio formae: si nimirum in eorum expeditione notae falsitatis vel erroris inveniantur, e. gr. si scriptura in loco suspecto sit abrasa, si gravis et manifestus error latinitatis occurrat, si ius tertio quaesitum adimatur, si desint necessariae clausulae derogatoriae etc.[1] Quomodo Rescripta sint exsecutioni mandanda, quomodo sint explicanda et quomodo cessent, videsis in singulis materiis, circa quas Rescripta dantur[2].

Q. 33. *Quomodo privilegia sint fontes iuris ecclesiastici particularis?*

R. Privilegia, quae nihil aliud sunt quam privatae quaedam leges concedentes speciales facultates vel gratias, sunt amplissimi fontes iuris particularis. Maxima pars e. gr. Iuris regularium ex hoc fonte privilegiorum desumenda est. Praeterea fere unusquisque status in hierarchia ecclesiastica propria privilegia et praerogativa habet. Hinc sermo est in iure ecclesiastico De privilegiis Episcoporum, Cardinalium, Metropolitarum, Canonicorum etc. Vigens praxis Romanae Curiae concedit saepissime facultates triennales vel quinquennales tum episcopis tum aliis personis ecclesiasticis. Hae quidem facultates cum sint limitatae tum ad tempus tum ad personas, non sunt privilegia in stricto sensu, possunt tamen merito vocari quasi-privilegia[3]

---

[1] C. 5 de crimine falsi X 5, 20; cf. Wernz, Ius decr. I, n. 154 Scholion.

[2] Cf. Santi in h. tit.

[3] Cf. Wernz l. c. n. 163 Scholion.

et illis applicanda sunt, quae valent de acquisitione, cessatione, usu, intelligentia et renuntiatione privilegiorum. De quibus omnibus agetur infra, ubi de privilegiis regularium sermo erit. De facultatibus Romanae Curiae non est cur hic agemus, in propriis materiis earum sermo redibit et praeterea tenor earum solet esse tam clarus, ut fere nulla explicatione indigeant. Si quod dubium exsistat, illa Congregatio Romana, quae concessit facultatem, etiam authentice explicare hoc dubium non recusabit[1].

CAPUT IV.

DE FONTIBUS COGNOSCENDI IURIS ECCLESIASTICI.

Praenotamen. Postquam de fontibus exsistendi seu de competentibus legislatoribus iuris ecclesiastici universalis et particularis egimus, nunc tractandum est de fontibus cognoscendi seu de illis locis, ubi leges ecclesiasticae depositae fuerunt et sunt vel brevius: de collectionibus iuris ecclesiastici. Hic tractatus magni momenti est et propterea nec etiam in parvo Manuali est omittendus, nam non tantum docet historiam litterariam scientiae iuris ecclesiastici, sed etiam ampliorem et profundiorum intelligentiam iuris ecclesiastici praestat. Ius enim ecclesiasticum prout nunc viget non est prorsus alienum a iure ecclesiastico saeculorum praeteritorum, sed ex prioribus legibus tamquam ex radice paulatim lapsu temporis excrevit. Sicut enim flores et fructus alicuius arboris sucum depromunt ex ramis, trunco et radice, ita leges ecclesiasticae modernae intime conexae sunt cum legibus Ecclesiae antiquae. Et sicut flores et fructus arboris non possunt perfecte cognosci sine cognitione totius arboris, ita leges eccle-

[1] Cf. Kirchenlexikon s. v. Fakultäten oder Indulte.

siasticae modernae non possunt perfecte cognosci sine cognitione legum pristinae Ecclesiae catholicae. Collectiones autem iuris ecclesiastici convenienter dividuntur ordine chronologico et quidem 1. Collectiones iuris ecclesiastici usque ad Gratiani Decretum; 2. Collectiones a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum et 3. Collectiones inde a Concilio Tridentino usque ad nostra tempora. Per modum coronidis agetur de collectionibus iuris ecclesiastici particularis. Habet igitur hoc caput quattuor articulos:

1. De Collectionibus iuris ecclesiastici universalis usque ad Gratiani Decretum (circa 1150).

2. De Collectionibus iuris ecclesiastici universalis a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum (a. 1540).

3. De Collectionibus iuris ecclesiastici universalis a Concilio Tridentino usque ad nostra tempora.

4. De Collectionibus iuris ecclesiastici particularis.

Omittimus autem S. Scripturam et Traditionem, inquantum sunt fontes iuris divini, quia supra sufficienter de his actum est. Convenientissime simul ac utilissime subiungeretur tractatui de fontibus iuris ecclesiastici historica synopsis de praecipuis scriptoribus huius scientiae, sicuti (erudite quidem sed cum animo infenso contra Ecclesiam) iam fecit Friedr. Schulte[1], sed quia in scholis non solet sufficere tempus tractandi istam historiam, ideo in fine huius voluminis dabimus tantum elenchum alphabeticum, in quo praeclariores scriptores iuris ecclesiastici eorumque opera enumerantur.

---

[1] Geschichte der Quellen und der Literatur des kanonischen Rechts von Gratian bis auf die Gegenwart. 3 voll. in 4 tom. Stuttgart 1875—1880.

ARTICULUS I.

DE COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS USQUE AD GRATIANI DECRETUM.

Q. 34. *Quaenam sint collectiones principaliores iuris ecclesiastici usque ad Gratiani Decretum?*

R. Omnes istae collectiones convenienter in 5 classes dividuntur sc. 1. Collectiones ante Concilium Nicaenum I; 2. Collectiones in Ecclesia Orientali; 3. Collectiones in Ecclesia Occidentali usque ad saeculum octavum; 4. Collectiones apogryphae noni saeculi; 5. Collectiones principaliores saeculi decimi et undecimi.

Q. 35. *Quid notandum sit circa collectiones iuris ecclesiastici ante Concilium Nicaenum I (a. 325)?*

R. a) Perpaucae leges ecclesiasticae ex primis aerae christianae saeculis ad nos pervenerunt, quia tunc Ecclesia catholica persecutionibus diris agitata non potuit multas leges condere et quia leges ecclesiasticae tunc non fuerunt ita necessariae, cum fideles sanctissime viverent etiam sine legibus ecclesiasticis.

b) Certe authentice ad nos pervenerunt epistula Clementis I ad Corinthios [1], epistula Victoris I de controversia circa paschatis celebrationem (a. 195), responsio Stephani I de baptismo haereticorum et quaedam alia [2].

c) Certe falsae sunt collectiones, quae vocantur «Constitutiones Apostolorum» et «Canones Apostolorum» saltem prouti nunc exstant, licet pariter certum sit, has duas collectiones depromptas esse ex monumentis valde antiquis ante Concilium Nicaenum I exsistentibus. Constitutiones Apostolorum *(Διαταγαὶ* [vel *Διατάξεις*] *τῶν ἁγίων ἀποστόλων)* in 8 libros divisae ex

---

[1] Cf. Jaffé, Regesta Pontif. Rom. ed secund.

[2] Cf. Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Lit.

tribus partibus coalescunt sc. *α*) sex primi libri deprompti esse videntur ex vetustissima *Διδασκαλία τῶν ἀποστόλων*, quae verisimiliter conscripta est saeculo tertio et quidem in Syria vel Palaestina [1]; *β*) septimus liber depromptus est ex vetustiore adhuc scripto, cui titulus est *Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων*. Hoc scriptum detectum fuit a Patriarcha Philotheo Briennio in aliquo conventu Constantinopolitano et anno 1883 publici iuris factum est. A Sanctis Patribus vocatur etiam «Iudicium Petri» vel «Duae Viae» et saeculo primo exeunte vel saltem saeculo tertio ineunte ortum duxit; *γ*) liber octavus depromptus est partim ex Hippolyto *περὶ χαρισμάτων* partim ex aliis scriptis deperditis. Inter historiae peritos multum disputatur usque ad nostros dies de antiquitate Constitutionum Apostolorum et de auctore ipsarum [2], at illae pro iure canonico non sunt tanti momenti, cum absque omni dubio falsificatae sint, ut iam statuit Synodus Trullana a. 692. Continent praeterea non pauca, quae adversantur doctrinae catholicae, e. gr. permittunt ancillis, ut libidini dominorum infidelium pareant, baptismum ab haereticis collatum iterari iubent [3].

«Canones Apostolorum» vocatur collectio 85 canonum, quae falso attribuebatur S. Clementi I. In Oriente quidem isti canones tamquam genuini accepti sunt a Synodo Trullana a. 692. Immo S. Ioannes Damascenus l. 4 de fide orth. c. 17 non dubitavit canones Apostolicos tamquam ab Apostolis constitutos in Sacrarum Scripturarum Canonem referre scribens: «Iam vero Novi Testamenti libri isti sunt! Quattuor Evangelia. . . . Canones denique Sanctorum Apostolorum per Clementem concinnati.» In Occidente vero fere unus Turrianus S. J. adversus Centuriatores Magdeburgenses conatus est argu-

---

[1] Cf. Funk, Didascalia et Constitutiones Apost. Prolegom. v.

[2] Cf. praesertim Funk l. c.

[3] Cf. Card. Soglia, Instit. iur. eccl. I, § 46.

mentis vindicare istis canonibus auctoritatem apostolicam. Prima mentio istorum Canonum fit in Synodo Constantinopolitana sub Nectario a. 394. S. Clemens vero nullam eorum mentionem facit, pariter Eusebius, S. Hieronymus aliique, qui in conservanda ecclesiasticorum scriptorum memoria diligentissime versati sunt. Insuper nec S. Victor Papa in controversia de Paschate celebrando, nec S. Cyprianus in controversia de baptismo haereticorum illis usi sunt. Ultimo non pauca inveniuntur in illis, quae aut falsa sunt, e. gr. can. 63 85, aut certe nondum in usu fuerunt temporibus Apostolorum, e. gr. subdiaconi, annua Concilia Metropolitana, divisio parochiarum etc. Quamvis autem Canones sic dicti Apostolorum non sint ab ipsis Apostolis compositi, sunt tamen antiquissimi, sc. ex saeculo II et V[1]. Dionysius Exiguus circa annum 500 illos in linguam latinam vertit et 50 eorum in suam collectionem recepit[2].

Q. 36. *Quaenam sint principaliores collectiones iuris ecclesiastici in Oriente?*

R. Sunt sequentes: a) Collectio in Concilio Chalcedonensi adhibita ab ignoto auctore;

b) Collectio 60 titulorum cum 21 Constitutionibus imperialibus ab ignoto auctore circa a. 535 compilata. Haec collectio deperdita est.

c) Duae collectiones Ioannis Scholastici circa a. 550;

d) Collectio quae vocatur *Κανονικόν* a Patriarcha Ioanne Ieiunatore compilata. Continet canones poenitentiales;

e) Nomocanon Photii;

---

[1] Propter eorum venerabilem antiquitatem Canones sic dicti Apostolorum magni aestimati sunt etiam in Occidente et de illis saepe mentio fit e. gr. c. 14, D 28; c. 3, D 88; c. 1 X 3, 22; Conc. Trid. sess. 25, c. 1 de reform.

[2] Cf. Soglia, Instit. iur. eccl. I, § 47 et 48, et praeprimis: Dictionnaire de Théol. cath. s. v. Canons Apostoliques.

f) Collectio Ioannis Zonaras et *Σύνταγμα* Matthaei Blastares circa a. 1120. Vocatur etiam *Πηδάλιον* (gubernaculum).

g) Novum *Πηδάλιον* anno 1800 a monacho Theodorito de monte Athos compilatum.

Quosnam canones collectio in Concilio Chalcedonensi adhibita continuerit, multum disputatur. Forte initio tantum comprehendit canones Concilii Nicaeni, Ancyreni, Neocaesarensis atque Gangrensis. Postea tamen canones plurium aliorum Conciliorum adiecti sunt [1].

Ioannes cognomento Scholasticus, Patriarcha Constantinopolitanus collegit canones 85 Apostolorum, Nicaenos 20, Ancyranos 25, Neocaesarenses 14, Sardicenses 21, Gangrenses 20, Antiochenos 25, Laodicenses 59, Constantinopolitanos 6, Ephesinos 8, Chalcedonenses 27, denique Canones eductos ex epistulis S. Basilii 68 et haec omnia in 50 titulos distribuit, quare haec collectio vocatur: *Συναγωγὴ κανόνων εἰς ν' (50) τίτλους διῃρημένη*. Idem Ioannes Scholasticus edidit aliam collectionem sub nomine *Νομοκάνων* divisam item in 50 titulos. In hac collectione non tantum habentur leges ecclesiasticae *(κανόνες)*, sed etiam leges civiles *(νόμοι)* praesertim ex Codice et Novellis Iustiniani depromptae.

Hanc Ioannis Scholastici collectionem amplificavit Photius Patriarcha Constantinopolitanus circa a. 883. Saeculo duodecimo apparuerunt collectiones Ioannis Zanaras et Matthaei Blastares, quae adhuc nostris diebus cum paucis mutationibus adiectis tamquam leges authenticae in Ecclesia Graeca schismatica habentur [2].

---

[1] Cf. Maassen, Geschichte der Quellen I, et Fratres Ballerini de antiquis collectionibus. Migne, Patr. Lat. 56, 11—354.

[2] Cf. Schneider, Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen, Anhang 1. Quantum ad fontes Ecclesiae Orientalis catholicae vide Ios. Papp-Szilagyi, Enchiridion iur. Ecclesiae Orient. cathol.

Q. 37. *Quaenam sint principaliores collectiones iuris ecclesiastici in Occidente usque ad saeculum VIII?*

R. Sunt sequentes: a) Canones Synodorum particularium, inter quas eminet Synodus Carthaginiensis a. 419;

b) Versiones duae (sc. Hispana et Itala) alicuius collectionis Graecae;

c) Collectio Dionysii Exigui, quam amplificavit Hadrianus I;

d) Collectio Avellana;

e) Collectiones Africanae;

f) Collectiones Hispanicae;

g) Collectiones Gallicae et Anglicae.

Circa singula haec sunt notanda: Ad a. In Occidente cum primis saeculis Concilia oecumenica celebrata non fuerint nec Collectiones Graecae Conciliorum in Oriente celebratorum semper praesto fuerint, ius ecclesiasticum statuebatur Conciliis particularibus et Summorum Pontificum epistulis decretalibus. Quamplurima Concilia particularia in Africa, Hispania, Gallia, Germania et Anglia istis temporibus celebrata sunt [1] et ista Concilia canones condiderunt. Ante ceteros Occidentales Afri primum collegisse videntur canones suos in Concilio Carthaginiensi 419. Haec collectio ita celebris fuit, ut usque ad saeculum XIII tamquam authentica collectio haberetur [2].

Ad b. Quinto saeculo plures versiones Latinae canonum Graecorum in Conciliis generalibus conditorum factae sunt privata tamen auctoritate [3], inter quas eminent duae, sc. Versio Hispana (Isidoriana) et Versio Itala aut prisca. Quisnam fecerit has duas versiones, ignotum est.

Versio Hispana, quae postea in Collectione Hispana seu Isidoriana adhibita fuit, certe non facta est

---

[1] Cf. Hefele, Konziliengeschichte I—III.

[2] Cf. Maassen, Gesch. der Quellen I 4 146.

[3] Ib. 71 87 100.

a S. Isidoro († 636), cum iam in Concilio Regensi (Riez) a. 439 nota fuerit [1]. Pariter non facta est in Hispania, sed in Italia. Ergo prorsus immerito vocatur Versio Hispana vel Isidoriana. Ratio autem cur hoc nomen acceperit, est omnino extrinseca et accidentalis, quia sc. invenitur in Collectione Hispana canonum, de qua infra.

Versio prisca suppar est Versioni sic dictae Hispanae et continet Versionem canonum Conciliorum Ancyrae Neocaesareae, Nicaeae, Sardicae, Gangrae, Antiochiae, Chalcedon et Constantinopoli celebratorum. Eam diligentius cognitam et emendatam iterum ediderunt Fratres Ballerini in appendice ad opera S. Leonis I [2].

Ad c. Inter omnes collectiones huius temporis plane eminet Collectio Dionysii Exigui [3], quae cum additionibus Hadriani I quasi authentica collectio facta est. Monet tamen Nicolaus I episcopos Galliae, etiam Decretales genuinas Summorum Pontificum, quae non continentur in hac collectione, esse cum honore et oboedientia suscipiendas [4]. Dionysius Romam venit circa annum 500 et precibus cuiusdam Laurentii presbyteri Romani et Stephani episcopi Salonitani in Dalmatia permotus aggressus est novam et bene ordinatam collectionem canonum. Primo novam Graecorum canonum absolvit

---

[1] Maassen l. c. 71 sqq. Cf. Fratres Ballerini, De antiquis collectionibus et collectoribus canonum, apud Migne, Patr. Lat. 56, 83.

[2] Migne, Patr. Lat. 56, 747 sq.

[3] Dionysius Exiguus natione Scytha postea abbas cuiusdam monasterii Romae factus est. Quando natus et quando mortuus sit, non certo constat. Etsi humilitate ductus sibi cognomen «exiguus» addiderit, tamen magnus fuit aeque in scientiis ac in sanctitate. In Latinam linguam vertit plura opera e. gr. vitam S. Pachomii (exstat apud Acta Sanctor. Bolland. 14 Maii), S. Gregorii Nysseni, De opificio hominis; Historiam inventionis capitis S. Ioannis Baptistae etc. Plures collectiones canonum compilavit, inter quas celebrior est illa, quae inscribitur Collectio Dionysiana. Praeterea Dionysius iure merito habetur inventor computi christiani i. e. modi computandi festum Paschatis et annum nativitatis D. N. I. Chr.; cf. v. Scherer im Kirchenlexikon s. v. Dionysius Exiguus.

[4] C. 1, D. 19.

versionem suaque collectione complexus est 50 canones Apostolorum et deinde Canones Nicaenos, Ancyrenses, Neocaesarenses etc. Hoc opus exstat in Codice Palat. 577 [1]. Mox alteram collectionem Decretalium Romanorum Pontificum a Siricio (385) usque ad Anastasium II (498) perfecit et demum utramque collectionem in unum corpus redegit. Haec ultima collectio maximi semper habita fuit licet authentica non sit. Exstat apud Migne, Patr. Lat. 67, 135 sq et continet duas partes. In prima parte habentur 50 canones Apostolorum, Concilia Graeca sub numeris 165, deprompti ex quodam Graeco codice (Codex canonum); sequuntur canones Concilii Chalcedonensis, Concilii Sardicensis et Concilii Carthaginensis. In secunda parte habentur 38 epistulae decretales Summorum Pontificum a Siricio usque ad Anastasium II.

Labente tempore huic Collectioni Dionysianae novae additiones factae sunt [2] et Hadrianus I (772—795) a. 774 dedit Carolo Magno dono hanc collectionem auctam, quae in Concilio Aquisgranensi a. 802 tamquam «Codex canonum» in toto regno Francorum introducta fuit. Haec collectio sic aucta vocatur Collectio Dionysio-Hadriana. Etsi harum additionum auctor ipse Hadrianus non sit habendus, cum iam Zacharias Pontifex in epistula ad Pipinum et episcopos, abbates et proceres Francorum [3] illas commemoret, tamen cum a Papa ipso tradita fuerit, quasi authentica collectio habenda est et revera habita fuit ut patet ex Hincmaro Remensi in epist. advers. Hinc. Laudun. [4]

---

[1] Cf. Maassen, Gesch. der Quellen I 426. — Magno plausu hoc opus receptum fuit testante Cassiodoro sub medio saec. VI. «Quos (Canones) hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur» (Ballerini l. c. Migne, Patr. Lat. 56, 262).

[2] Videsis apud Migne l. c. 315 sqq.

[3] Labbe, Conc. VIII, col. 241, n. 3.

[4] Ed. Sirmondi, Paris 1645, II 543. «Quo ex tempore haec collectio ab Hadriano Papa Carolo Magno tradita fuit; apostolicam quam-

Ad d. Collectio sic dicta Avellana circa annum 560 ab auctore ignoto compilata est; continet 246 documenta imperatorum et praefectorum Romanorum, sicut Summorum Pontificum et episcoporum ab anno 367 usque ad annum 553. Haec collectio non mediocris momenti est, quia continet monumenta antiquissima, quae in aliis collectionibus desiderantur[1]. Edita fuit a. 1895 ab O. Guenther in Corp. script. eccl. lat. XXXV, Vindobonae.

Ad e. Post celebrem collectionem Synodi Carthaginiensis (419), de qua supra dictum est, mentione dignae sunt: 1. Breviatio canonum a Fulgentio Ferrando diacono ecclesiae Carthaginiensis († ante a. 546), quae collectio usque ad saeculum XII in Ecclesia Africana in usu erat. Exstat Migne, Patr. Lat. 67, 950 sqq[2]. 2. Concordia canonum ab episcopo Cresconio circa a. 690 composita et in 300 titulos divisa. Exstat Migne, Patr. Lat. 88, 829 sq.

Ad f. In Hispania episcopus Martinus Bracarensis († circa 580) composuit collectionem canonum praecipue ex Conciliis Graecis et quibusdam Conciliis particularibus Hispaniae (e. gr. Bragae, Toletani I), divisam in 84 capitula. Vocatur «Liber capitulorum» vel etiam «ex Concilio Martini Papae» et multoties citatur in Decreto Gratiani. Alia collectio canonum in Hispania tunc temporis valde celebris vocatur a Pseudo-Isidoro Collectio Hispana vel Isidoriana. Utrum S. Isidorus Hispalensis († 636) hanc collectionem primitus adornaverit, non est ita certum[3]. Hoc asseruit Pseudo-Isidorus saeculo nono, sed iste falsificator non meretur magnam fidem. Quidquid est, haec collectio multis

---

dam auctoritatem obtinuit et passim ‚Codex canonum' appellari coepit.» Ballerini l. c. 208.

[1] Cf. Maassen l. c. 787 et Ballerini l. c. 179—195.

[2] Cf. Schneider, Kirchenrechtsquellen § 18.

[3] Cf. Ballerini l. c. 218 sqq.

additionibus post mortem S. Isidori aucta est. Editio huius auctae collectionis reperitur apud Migne, Patr. Lat. 84, 93 sq. Insuper in multis (14) codicibus manuscriptis haec collectio aucta invenitur [1].

Ad g. In Gallia exeunte saeculo quinto vel ineunte saeculo sexto facta est collectio canonum et Decretalium divisa in 98 capitula. Primitus typis mandata est a Paschasio Quesnellio Parisiis 1675 et propterea vocatur communitur Collectio Quesnelliana. Reperitur impressa etiam apud Migne l. c. t. 56. Prorsus immerito autem Quesnellius vocat hanc collectionem «Codex canonum Ecclesiae Romanae», cum Ecclesia Romana nullum codicem authenticum canonum habuerit usque ad saeculum octavum [2], et si quem habuerit, fuit Collectio Dionysiana, quam auctam misit Hadrianus I regi Francorum, ut supra dictum est. Praeter Collectionem Quesnellianam in Gallia facta est Collectio Dacheriana ab editore D'Achery sic nominata et Collectio quadripartita [3].

In Anglia et Hibernia in usu fuerunt praeter compilationes iuris particularis Collectio Hibernensis [4]. Specialis collectio fuerunt «Poenitentialia», quorum plura in Britannia ortum duxerunt, e. gr. Poenitentiale Vinniai († 589), Poenitentiale Gildae († 583), Poenitentiale Theodori; Excarpsum (Excrapsum) Bedani etc. [5]

Q. 38. *Quid summarie notandum sit de collectionibus apocryphis noni saeculi?*

R. Saeculum nonum a quibusdam historiographis ecclesiasticis «saeculum atrum» nominatur et forsan non

---

[1] Cf. Schneider, Kirchenrechtsquellen § 19.

[2] Cf. Devoti l. c. § 58. [3] Cf. Schneider l. c. § 17.

[4] Cf. Wasserschleben, Die irischen Kanonensammlungen, Lipsiae 1840; cf. Ballerini l. c. 302.

[5] Cf. Schmitz, Die Bußbücher und Bußdisziplin der Kirche, Mainz 1883, et Schneider l. c. § 22, qui merito dubitat de genuitate istorum operum.

immerito propter scandala atrocia a pluribus viris ecclesiasticis publice datis. Etiam in iure canonico falsificationes inauditae callide introductae fuerunt, tamquam verae leges vel antiqui canones. Et quod prorsus mirum est, per sex fere saecula hae falsificationes non detectae sunt, usque dum saeculo XV Ioannes Torquemada O. Pr.[1] et Cardinalis Nicolaus Cusanus[2] falsitatem plane enuntiaverunt. Iam saeculo duodecimo Stephanus Tornacensis (1135—1203) et Petrus Comestor saltem suspiciones de genuitate Collectionis Pseudo-Isidorianae insinuaverunt. A saeculo XVI usque ad nostros dies fere nemo est[3], qui falsitatem huius collectionis perspectam non habeat. Magna eruditione falsitatem hanc demonstrarunt David Blondel in opere «Ps.-Isidorus et Turrianus vapulantes» (Genevae 1620) et Fratres Ballerini[4]. Distinguendae sunt tres falsae collectiones canonum noni saeculi, quae communi nomine aliquando vocantur Collectiones Pseudo-Isidorianae[5]:

1. Collectio Benedicti Levitae, diaconi ecclesiae Moguntinae. Continet 3 libros, qui ut auctor ipse dicit formant supplementum quattuor librorum Capitularii ab Ansegiso compositi. Huius collectionis primo mentio facta est in Congregatione Carisiaca (Chiersy) 857. Capitularia huic collectioni inserta nequaquam sunt omnia genuina, sed plura sunt a falsificatore conficta. Scopus collectionis fuit, codicem legalem componere ad usum iudicum ecclesiasticorum et Ecclesiam tueri contra iniurias laicorum. Edita fuit

[1] Summa eccl. l. 2, c. 101. [2] De concord. cath. l. 3, c. 2.

[3] Genuitatem Collectionis Pseudo-Isidorianae defenderunt Franc. Torres S. J. a. 1572, Bonaventura Malvasia O. Min. a. 1635, Card. d'Aguirre et Dumont, Paris 1866, sed Wernz (Ius decr. I, n. 216) S. J. merito dicit causam desperatam «Pseudo-Isidori sustinentes oleum et operam perdiderunt».

[4] Disquisitiones de antiquis collectionibus et collectoribus canonum, Venetiis 1757. Habetur apud Migne, Patr. Lat. t. 56.

[5] Cf. Hinschius, Decret. Ps.-Isidor., Lipsiae 1863.

haec collectio a Baluzio in Capitular. regum Francor. et a Pertz in Monum. German. IV 2, 39[1]. Quisnam revera fuerit auctor, utrum fuerit idem ac auctor Collectionis Pseudo-Isidorianae (infra n. 3), adhuc sub iudice lis est.

2. Capitula Angilramni vel etiam vocata Capitula Hadriani. In codice vetustissimo (IX saeculi Cod. Par. Sangermann 366) haec superscriptio habetur: «Ex Grecis et Latinis canonibus et sinodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et Angilramno Mediomatricae urbis eppo Romae a beato papa Adriano tradita sunt sub die XIII Kalendarum Octobrium indictione nona quando pro sui negotii causa agebatur.» Sed falsum est Hadrianum Papam hanc collectionem, quae continet spurias partes ex Pseudo-Isidoro et quaedam Sedi Apostolicae iniuriosa tradidisse Angilramno. Quisnam fuerit auctor huius collectionis nescitur. Hinschius, qui optimam editionem «Capitulorum Angilramni» procuravit, haud improbabiliter putat Pseudo-Isidorum esse patrem huius operis[2] ita ut haec collectio sit quasi praeambula ad sequentem.

3. Collectio Pseudo-Isidoriana, quae circa 850 in Gallia (Soissons, Le Mans, Reims) primo apparuit est insignis falsificatio compilata ab auctore ignoto[3]. Constat tribus partibus. Prima pars continet post praefationem, in qua auctor vocatur Isidorus Mercator (in

[1] Cf. Hinschius l. c. § 17 et § 20, p. CXLIII.

[2] Cf. Schneider, Kirchenrechtsquellen § 25.

[3] Quamvis maxima cum solertia plurimi scriptores docti de nomine falsificatoris investigarint, tamen hodiedum nihil certum invenerunt. Wasserschleben putat falsificatorem fuisse Riculfum vel Otgarum Moguntinum; Walter Benedictum Levitam; Gfrörer Wenilonem Senonensem; Lurz Canonicum Wulfadum; Phillips Rothadum de Soissons etc. Novissime P. Fournier cum magna eruditione conatur probare in Revue d'histoire ecclésiastique VII, n. 1—4 et VIII, n. 1 (Louvain 1907) pseudo-decretales Isidori esse publicatas inter 847 et 852 in dioecesi Le Mans vel Tours.

aliis codicibus legitur peccator vel mercatus[1]) tres epistulas apocryphas, ordinem de celebrando Concilio, 50 canones Apostolorum et 60 epistulas spurias Romanorum Pontificum a Clemente I usque ad Melchiadem. 58 harum epistularum ipse Pseudo-Isidorus fabricavit. In secunda parte reperitur spuria donatio Constantini et canones plurium Conciliorum iuxta Collectionem Hispanam aliquantisper auctam. Denique tertia pars continet Decretales a Silvestro Papa usque ad Gregorium II (715—731) pariter ex Collectione Hispana deprompta, additis tamen 45 spuriis Decretalibus pontificiis[2].

Nullum dubium est hanc collectionem esse spuriam, ut supra dictum est, pariter nullum dubium est hanc collectionem **non esse confectam Romae vel iussu Romanorum Pontificum**[3]. Postea tamen Romani Pontifices aliquando illa usi sunt, quia doctrina ibi contenta vix reprehensione digna est[4]. Inter auctores disputatur, quam ob rationem compilator has falsificationes fecerit. Hodie apud omnes quidem constat finem falsificatoris non fuisse augmentum potestatis papalis, uti voluerunt Blondel. Van Espen, Eichhorn, Theiner, Gallicani et Febroniani, sed potius augmentum potestatis episcopalis. Voluit compilator componere optimum codicem legalem in usum episcoporum. Voluit et episcopos tueri contra usurpationes principum laicorum et contra molestias aliorum. Istis lugubribus temporibus maximae dissidiae exsistebant tum inter episcopos et subditos clericos, tum inter episcopos et laicos magnates. At non exsistebat codex iudicialis iuxta quem istae dissidiae dirimi possent. Cui malo mederi volens Pseudo-Isidorus confecit suam collec-

---

[1] Bene disserit de hoc cognomine Hinschius «Der Beiname Mercator» in der Vorrede Pseudo-Isidors (Z. f. Kirchenrecht VI [1866] 148 ff.)

[2] Cf. Schneider l. c. § 26. [3] Cf. Hinschius l. c.

[4] Cf. Fournier, De l'origine des fausses décrétales, Paris 1889, 56.

tionem, quae obiective nihil malum continet, immo optimas et illi tempori convenientes regulas iuridicas statuit. Ad hoc autem, ut suae collectioni maiorem auctoritatem conciliaret, asseruit Decretales adductas esse a venerabilibus antiquis Romanis Pontificibus emanatas, quod utique falsum est. Utrum autem Pseudo-Isidorus sciens et volens has falsitates asseruerit, non auderem asserere, nam in «Libro Pontificali», ex quo praecipue falsificator sumpserit suam materiam, invenitur summaria quidem sed mira concordantia cum assertionibus Pseudo-Isidori. Forsan tunc temporis exsistebant monumenta, quae compilatorem in errorem induxerunt. Quilibet vel paulisper versatus in antiquis codicibus manuscriptis scit, quam facilis sit error, et quam difficile saepe sit construere genuinum textum. Pseudo-Isidorus absque omni dubio fuit homo doctissimus, diligenter versatus in scriptis Summorum Pontificum et SS. Patrum et recte iudicans indigentias sui temporis [1]. Eius collectio magnum et quidem bonum influxum exercuit suo tempore. Ex quibus omnibus licet concludere hominem, qui fuit doctus, qui cum optima intentione [2] opus celeberrimum et valde utile produxit, non esse vilem impostorem, qualem fixerunt plures hostes Ecclesiae catholicae [3]. Uno verbo: Pseudo-Isidorus est quidem obiectivus falsificator, subiective vero nec scientia, nec habilitas, nec bona intentio est illi deneganda [4].

---

[1] Cf. Möhler, Fragmenta I 347.

[2] Cf. Fournier, De l'origine des fausses décrétales 19.

[3] Cf. Schneider, Kirchenrechtsquellen § 26 et 27.

[4] Per totum Medium Aevum usque ad inventionem impressionis typographicae exempla talium falsificationum obiectivarum non raro occurrunt et quidem factarum ab hominibus et scientia et sanctitate vitae insignibus, sic e. gr. opera et miracula unius sancti attribuebantur alii sancto. Cuius ratio praecipua videtur fuisse deficientia librorum et satis parvum studium historiae. Cum enim deficerent libri et nonnisi a paucis haberentur facta historica saepe oretenus tantum a generatione in generationem transfundebantur. Cum autem, quotidiana experientia

Q. 39. *Quaenam sint principaliores collectiones saeculi X et XI usque ad Gratiani Decretum?*

R. Collectiones huius epochae sunt valde numerosae. Iam Walter (Kirchenrecht 226) enumeravit triginta septem et ab illo tempore aliae detectae sunt [1], quarum plures tamen nondum typis editae sunt. Speciali mentione dignae videntur:

1. Collectio Anselmo dedicata (probabiliter iste Anselmus est Archipraesul Mediolanensis 883—897) exeunte saeculo nono in Italia ab ignoto auctore compilata et multum pervulgata. Nondum typis mandata est [2].

2. Libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis, quos compilavit Regino abbas monasterii Prumiensis circa annum 906 [3].

3. Decretum (Collectarium) Burchardi, vel etiam Magnum Decretorum volumen vocatum, quod compilavit circa a. 1012 Burchardus episcopus Wormatiensis in 20 libros divisum. Haec collectio valde divulgata fuit et saepius citatur a collectoribus posterioribus, sic e. gr. in Decretalibus Gregorii IX

---

testante, memoria hominis saepe infidelis et parum tenax inveniatur, quam facillime errores ingliscere potuerunt. Pone exemplum: In hoc monasterio circa aliquod factum praeteritum talis traditio exsistebat. In alio monasterio circa idem factum diversa traditio invaluit. Tertium monasterium audit utramque traditionem et forsan ex utraque componit tertiam. Quam facile hoc modo errores irrepere potuerint, quin adsit ulla intentio culpabilis fallendi nemo est, qui non videat. Quid plura! Quam diverso modo unum idemque factum satis recens a diversis historiographis modernis enarretur, sescenta exempla exsistunt.

[1] Cf. Fournier, De l'étude des collections can. du IXe au XIIe siècle.

[2] Cf. Frederico Patteta, Nuove osservazioni sui Mss. della collezione di canoni «Anselmo dedicato», in Rivista ital. per le scienze giuridiche XI (1891) 378 sq.

[3] Exstat apud Migne, Patr. Lat. 132, 175 sq. Meliorem editionem procuravit Wasserschleben, Die irischen Kanonensammlungen. Cf. etiam Ballerini, De antiquis collectionibus 319 sqq.

citatur c. 2 X De sponsa duorum 4, 4 «ex Brochardo» vel c. 8 X De accusat. 5, 1 «Ex Brochardico» [1].

4. Collectio Anselmi episcopi Lucensis divisa in 13 libros. Anselmus mortuus est a. 1086. Eius collectio nondum typis mandata est, sed fere tota translata est in Gratiani Decretum. Haec collectio non est confundenda cum illa sub n. 1. citata.

5. Collectio Cardinalis Deusdedit in 4 libros divisa et Papae Victori III (1086—87) dicata [2].

6. Collectio Bonizonis episcopi Sutrini et postea Placentini in 10 libros divisa et circa annum 1089 confecta. Exceptis nonnullis partibus haec collectio nondum typis impressa est [3].

7. Duae Collectiones Ivonis Carnutensis († 1135 vel 1117), quarum una vocatur Ivonis Decretum consistens ex 17 libris, impressum inter alios apud Migne, Patr. Lat. 161, 47—1022 et altera audit Panormia vel Panomia consistens ex 8 libris [4].

8. Collectio Cardinalis Gregorii († 1118), quae vocatur Polycarpus divisa in 8 libros [5]. Nondum typis excusa est.

9. Collectio Caesaraugustana divisa in 15 libros compilata ab ignoto auctore saeculo duodecimo ineunte. Nondum est typis impressa [6].

10. Liber de misericordia et iustitia Algeri Leodiensis ante annum 1123. Exstat apud Migne, Patr. Lat. 180, 857 sq. Haec sufficiant, qui plura quaerit, adeat Schneider (Kirchenrechtsquellen) vel Fournier (Collections du IXe au XIe siècle) et auctores ibi citatos.

[1] Exstat apud Migne, Patr. Lat. t. 140.

[2] Edita fuit a P. Martinucci, Venetiis 1869; cf. S. Löwenfeld, Die Kanonsamml. d. Kard. Deusdedit u. d. Reg. Gregor VII: Neues Archiv d. Ges. X (1885) 309 ff.

[3] Cf. Kirchenlexikon s. v. Bonizo; Mai, Nov. bibl. patrum VII 3.

[4] Cf. Fournier, Les collections canoniques attribuées à Yves de Chartres (1897).

[5] Ballerini, De antiquis collectionibus 346. [6] Ib. 352.

ARTICULUS II.

DE COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI A GRATIANI DECRETO USQUE AD CONCILIUM TRIDENTINUM (1150—1545).

Q. 40. *Quae sint auctor, finis, fontes, divisio et auctoritas Decreti Gratiani?*

R. Auctor Decreti fuit Gratianus monachus Camaldulensis ex monasterio Bononiensi S. Felicis et Narboris, qui post 1141 et ante 1151 suam «Concordantiam discordantium canonum» scripsit[1]. De vita Gratiani perpauca certo constant; mortuus est ante annum 1179, fuit magister theologiae in universitate Bononiensi. Utrum fuerit frater germanus Petri Lombardi et Petri Comestoris cancellarii universitatis Parisiensis, non certo probatur.

Scopum operis explicat ipse titulus «Concordantia discordantium canonum». Disputant quidem auctores, utrum hic titulus ab ipso Gratiano operi suo praefixus fuerit, sed iam Rufinus Gratiano suppar asserit: «Universo operi titulum praescribit «Discordantium canonum concordiam» et nulla gravis ratio exsistit, cur huic assertioni Rufini fides non habeatur. Ipse Gratianus non semel asserit in suo Decreto se velle auctoritatum dissonantiam ad concordiam revocare (cf. e. gr. c. 24, D. 50).

Fontes, ex quibus Gratianus hausit, sunt collectiones in quaestione praecedenti indicatae praecipue autem Collectio Burchardi, Collectio Anselmi et Collectio Anselmo dedicata, Collectiones Ivonis, Polycarpus et Collectio Algeri.

Divisio Decreti est in tres partes. Prima pars coalescit ex 101 Distinctionibus. Unaquaeque Distinctio con-

---

[1] Cf. Fournier, Deux controverses s. l'origines du Décr. de Grat. (1898).

tinet canones. Citatur e. gr. c. 3, D. 4; additur interdum in medio, in initio, in fine, e. gr. c. 3 in init. D. 4. Secunda pars constat ex 36 causis. Unaquaeque causa subdividitur in quaestiones et unaquaeque quaestio in canones. In causa XXXIII tamquam quaestio 3 intercalatus est tractatus de poenitentia. Citatur secunda pars Decreti e. gr. c. 3, C. II, q. 4. Tractatus de poenitentia solet citari c. 3, D. 7 de poenit. et subauditur causa XXXIII, q. 3. Tertia pars constat ex 5 Distinctionibus et una quaeque Distinctio subdividitur in canones. Citatur haec pars Decreti e. gr. c. 3, D. 5 De consecratione (in III Decreti).

Auctoritas Decreti fuit et est maxima, attamen etsi iussu Gregorii XIII illud denuo editum fuerit non est codex legalis, sed mera collectio privata. Nunquam enim Decretum aliquam approbationem authenticam a Summis Pontificibus acquisivit. Unde Benedictus XIV (De syn. dioec. l. 7, c. 15) dicit: «Gratiani Decretum, quantumvis pluries Rom. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet, quinimmo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani Collectione insertum foret» (cf. const. «Singulari nobis» 9 Febr. 1749)[1].

Q. 41. *Quinam sint praecipui glossatores et commentatores Decreti?*

R. Decretum Gratiani in iure canonico eandem auctoritatem et divulgationem nactum est ac Sententiae Petri Lombardi in theologia et sicut veteres theologi solebant explicare et commentari Sententias Petri Lombardi, ita veteres doctores iuris explicabant vel glossa-

[1] Multis et solidis argumentis probat Freisen, Geschichte des kan. Eherechtes, Einl. 8 ff. Decretum Gratiani minime esse collectionem authenticam legis ecclesiasticae. Contrarium a paucis propugnatum fuit ut e. gr. a Guidone de Baysio († 1313), Trithemio etc.

bant Decretum Gratiani. Hinc alii Doctores scribebant Summas Decreti uti Paucapalea[1], Rolandus Bandinellus, Rufinus, Stephanus Tornacensis, Ioannes Faventinus et praesertim Huguccio circa 1180, alii componebant glossas vel apparatum glossarum uti Paucapalea, Rufinus, Ioannes Faventinus, Albertus Beneventanus (qui postea factus est Papa Gregorius VIII), Ioannes Zemeca, vel Teutonicus, Bartholomaeus Brixiensis aliique. Istae glossae vel intra lineas textus scribebantur vel in margine. In primo casu vocabantur glossae interlineares et in secundo casu glossae marginales. Glossa ordinaria, quae primum a Ioanne Zemeca circa annum 1215 facta est, postea fuit a Bartholomaeo Brixiensi aucta et reformata circa annum 1246. Haec glossa ordinaria fere in omnibus editionibus Decreti impressa est. Explicationes vel methodicae reformationes Decreti dederunt inter alias Vincentius Bellovacensis O. Pr. († 1264) in suo Speculo doctrinali, Ioannes a Turrecremata O. Pr. († 1468), Carolus Molinaeus et Antonius Contius († 1577). Papa Pius V a. 1566 creavit commissionem Cardinalium et plurium doctorum ad

[1] Paucapalea (Pocapaglia) fuit discipulus et adiutor Gratiani. De eius vita pauca sunt certa et multa sunt ficta (cf. Maassen, Paucapalea, Wien 1859). Non mediocrem partem habuit in compilatione Decreti. Totam Distinctionem 73 primae partis Decreti videtur composuisse, ut notatur in vetustissimo Codice Bambergensi et ut confirmant plures alii codices (cf. Laurin, Introductio § 18). Pariter confecit subdivisionem primae partis in 101 Distinctiones et tertiae partis Decreti in 5 Distinctiones (cf. Laurin l. c. § 23). Ab ipso insertae sunt Decreto Gratiani plures sic dictae «Paleae». Dicit enim Huguccio (circa 1180) in sua «Summa Decreti», c. 10, C. XX, q. 1: «Et vocatur Palea a suo auctore sc. discipulo Gratiani qui Paucapalea vocabatur.» Paleae, quarum aliae minus probabiles explicationes enarrantur a Laurin l. c. § 16 nihil aliud sunt ac textus paralleli adiuncti Decreto Gratiani ex aliis antiquis collectionibus canonum. Earum aliae constituunt integros canones (e. gr. c. 1, D. 5; c. 13, D. 23) aliae tantum modo partem canonis efficiunt (e. gr. c. 1, D. 17 inde a vocibus: «Neque ullum episcopum» etc.).

emendationem Decreti. Haec commissio, quae vocatur «Correctores Romani», circa 1580 opus ad felicem exitum perduxit et Gregorius XIII in Decreto suo die 5 Iunii 1582 dicit: «Iubemus ut quae emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur.»[1] Quodsi ab eodem Pontifice const. «Cum pro munere» 1580 omnes additiones et mutationes huius editionis sub poena excommunicationis latae sententiae prohibeantur haec poena hodiernis temporibus iam certe non valet[2]. Licet editio haec Romana non sit undequaque perfecta, tamen plus iusto carpitur a Schulte (Gesch. I 73), Zorn, Friedberg etc.[3] Nunc raro inveniri potest, describitur accurate a Laurin, Introd. in Corp. Iur. Can. § 86. Praeter hanc editionem Romanam Decreti exsistunt fere enumerae aliae editiones. Inter recentiores editiones eminent editio Boehmer 1747, editio Richter 1859 et editio Friedberg 1879.

Q. 42. *Quaenam sint collectiones principaliores tempore inter Gratiani Decretum et Decretales Gregorii IX?*

R. Sunt quinque sic dictae compilationes antiquae[4] sc.

1. Compilatio prima circa 1187 a Bernardo Papiensi confecta sub nomine «Breviarium Extravagantium». Scopus Bernardi, qui fuit professor iuris canonici in universitate Bononiensi et postea episcopus Faventinus et Papiensis est supplere ea, quae in Decreto Gratiani desunt. Divisit suum opus in 5 libros et materias distribuit iuxta versum «Iudex, iudicium, clerus,

---

[1] Cf. Schneider, Kirchenrechtsquellen § 37.

[2] Cf. Freisen, Gesch. der can. Ehen, Einl. 13.

[3] Cf. ib.

[4] Editae ab E. Friedberg (1882): Quinque compilationes antiquae necnon collectio Lipsiensis.

conubia, crimen», quae divisio postea in Decretalibus Gregorii IX et aliis collectionibus etiam adoptata est[1].

2. Compilatio secunda a Ioanne Galensi, Anglico confecta ordine temporis esset compilatio tertia; paulo ante Concilium Lateranense IV a. 1215 in lucem edita fuit ad supplenda ea, quae in anterioribus collectionibus deerant.

3. Compilatio tertia iussu Innocentii III a Cardinali Petro Collavicino confecta continet praecipue Decretales Innocentii III usque ad annum duodecimum sui pontificatus 1198—1210. Summus Pontifex Bulla sua «Devotioni vestrae» die 28 Decembris 1210 hanc collectionem misit ad universitatem Bononiensem et hoc modo illam authenticam declaravit. Est ergo haec compilatio inter omnos prima collectio authentica, cum omnes aliae hucusque recensitae collectiones sint tantum privatae auctoritatis[2].

4. Compilatio quarta ab auctore ignoto confecta continet Decretales Innocentii III ab anno 1210 usque ad annum 1216 et Decreta Concilii Lateranensis IV. Glossis instructa fuit a Ioanne Teutonico[3].

5. Compilatio quinta iussu Honorio III ab auctore ignoto confecta est et continet Decretales huius Papae usque ad annum 1226. Dividitur in quinque libros, sicuti praecedentes compilationes. Fuit authentica collectio.

Praeter has collectiones dantur adhuc plures aliae (circa 30) huius epochae, quae tamen sunt minoris momenti. Cf. Schneider l. c. § 40—43.

Q. 43. *Quid notandum sit de Collectione Decretalium sub Gregorio IX?*

R. Collector et redactor harum Decretalium fuit S. Raymundus a Peñaforte Ord. Pr. (1175—1274),

[1] Cf. Schulte, Geschichte der Quellen I 78 sq.
[2] Ib. 87 sqq. [3] Ib. 175.

qui fuit professor iuris in universitate Bononiensi, capellanus et poenitentiarius Gregorii IX et postea 1238 ad 1240 Magister Generalis Ordinis Praedicatorum. Huic viro tum scientia tum sanctitate praeclaro Gregorius IX mandavit, ut «resecatis superfluis» Constitutiones et Decretales epistulas Summorum Pontificum in unum corpus redigeret. Compilationes enim antiquae multa incommoda pro usu practico habebant. Ioannes Andreae (de quo infra) scribit in Novella Comment. ad Bullam «Rex pacificus». «Dispendium vero antiquarum consistebat primo in diversitate voluminum, secundo in nimia similitudine, tertio in contrarietate, quarto in prolixitate et ex his quattuor inducebatur confusio; quinto in incertitudine ex curialitate (i. e. incertum num a Curia emanata). Omisit (sc. Papa in Bulla) sextum de inutilitate.»

Scopus huius collectionis non fuit simpliciter colligere veteres Decretales in unum corpus, sed novum Codicem legalem condere et accomodatum quidem indigentiis illius temporis. Auctoritate a Summo Pontifice accepta S. Raymundus potuit mutare in veteribus Decretalibus, quae sibi videbantur mutanda. Quod quidem et fecit, sed minime propter hanc agendi rationem vituperari potest, sicuti fecit Schulte (Geschichte der Quellen u. Litt. des kan. Rechts II 14) et Boehmer in sua edit. Corp. iur. can. II, p. XXIX, n. 99 indigno atque iniusto modo [1].

[1] Cf. Phillips, Kirchenrecht IV 257. Non unus vehementer vituperavit S. Raymundum ob ordinationem materiae factam. Contra hos sciolos sit unus Devoti, qui et profunditate et claritate doctrinae quam maxime effulget. Ille scribit (Ius canon. univers. II v sqq). «In partitione titulorum ac materiarum qui pontificias Decretales collegit, Raymundus de Peñaforte, ordinem tenuit perspicuum, concinnum, acuratum, aptumque et accomodatum ad rem de qua agitur, multisque in locis haud dissimilem ordinis, quo Iustinianeum Codicem complexus est Tribonianus. . . . Haec rerum dispositio ac titulorum primi libri

Fontes, ex quibus S. Raymundus hausit, sunt praecipue compilationes quinque antiquae, de quibus in quaestione praecedenti sermo fuit. 152 titulos deprompsit ex compilatione prima, 10 ex compilatione secunda, 17 ex compilatione tertia, 1 ex compilatione quarta. 5 titulos novos S. Raymundus adiecit et 196 Decretales Gregorii IX. Praeterea multa ex S. Scriptura, ex SS. Patribus et ex Conciliis addita sunt [1].

Divisio adhibita est eadem ac illa a Bernardo Papiensi in compilatione prima primitus introducta.

Totum igitur opus dividitur in 5 libros iuxta versum: «Iudex, iudicium, clerus, conubia, crimen». Unusquisque liber dividitur in titulos et unusquisque titulus in capita. Cum haec collectio contineat Decretales extra Decretum Gratiani exsistentes, vocatur et citatur non raro unico verbo: «Extra» vel unica littera X, e. gr. c. 3, X de constit. 1, 2, quod legitur: Caput tertium extra, de constitutionibus libro primo titulo secundo. Modus citandi tamen non apud omnes auctores idem servatur.

Auctoritas huius collectionis est maxima, cum sit codex legalis, a Summo Pontifice Gregorio IX approbata per Bullam «Rex pacificus» 5 Sept. 1234 et ad universitates Parisiensem et Bononiensem transmissa. Et haec auctoritas oritur unice ex approbatione Gregorii IX. Si igitur Decretales desumptae sunt ex aliis collectionibus vel emanatae ab aliis Pontificibus anterioribus, tunc non habent auctoritatem legalem,

---

partitio est, qua equidem nescio num alia pulchrior, concinnior, accuratior esse possit. . . . Neque solum in ordine titulorum ac divisione materiarum totius collectionis egregia ratio ac dispositio est, sed etiam singulae Decretales ita sunt plenae gravitatis, veritatis, sapientiae ut nonnisi invidi vituperatores, qui in omni continuo pravitate, aliquas potuerint quaerere reprehensionis causas.»

[1] Iuxta computationem Fr. Schulte, Geschichte der Quellen II 11. S. Raymundus deprompsit ex comp. prima 149 titulos, ex comp. secund. 14 et ex comp. tert. 17.

quia inde desumptae sunt, sed quia **(et eo modo, quo)** inveniuntur in hac Collectione Gregoriana. Omnes hae leges sunt habendae tamquam si a Gregorio IX ipso essent emanatae. Adhuc nostris diebus habent vim legalem, nisi tamen per subsequentes Summorum Pontificum Decretales mutatae vel revocatae fuerint. Hinc adhuc nostris diebus in scholis et in libris iuris canonici hae Decretales Gregorianae solent explicari et doceri. Exspectatur tamen novus codex legalis iuris canonici iussu Pii X feliciter regnantis compositus. Quantum ad singulas partes auctoritatem legalem habent in hac collectione:

a) Ipsae Decretales (capitula) prout a S. Raymundo editae sunt.

b) Rubrica titulorum, si in illis aliquod ius enuntietur, e. gr. Rubrica: «Ne sede vacante aliquid innovetur» (III 9).

Non autem habent vim legalem:

a) Summaria capitum, cum non sint a S. Raymundo.

b) Partes decisae, i. e. illae partes, quae consulto a S. Raymundo omissae, sed postea a diversis editoribus iterum adiectae sunt.

c) Inscriptiones capitum, cum sint mere historicae [1].

d) Omnes glossae additae.

Editiones Decretalium Gregorii IX tum manuscriptae (fere 1000) tum typis impressae sunt innumerae. Speciali mentione digna est editio Romana: «Decretales D. Gregorii IX suae integritati una cum glossis restitutae Romae in aedibus Populi Romani 1582.» Gregorius XIII enim instituit commissionem virorum doctorum pro nova editione revisa Decretalium procuranda.

[1] Cf. Schulte, Geschichte der Quellen II 18—20.

Franciscus Pegna et duo Magistri S. Palatii, Paulus Constabilis[1] et Sixtus Fabri O. Pr.[2], hanc editionem perfecerunt, quae per Bullam «Quum pro munere» die 1 Iulii 1580 tamquam authentica declarata fuit a Summo Pontifice[3]. «Partes decisae» in hac editione non inveniuntur. — Bonas et pro praxi valde utiles editiones procuraverunt Protestantes Aemil. Ludovicus Richter, Lipsiae 1839, et Aemilius Friedberg, Lipsiae 1881.

Commentaria et Glossae in Decretales Gregorii IX fere ab innumeris auctoribus composita sunt. Specialem mentionem merentur:

1. Sinnibaldus Fliscus (de Fiesco) postea fuit Papa Innocentius IV qui composuit «Apparatum seu Commentaria in 5 libros Decretalium». Est opus valde utile et pluries typis impressum est, e. gr. quater Venetiis 1481, 1491, 1495 et 1570.

2. Bernardus de Botone natus Parmae et ideo Parmensis vocatus († 1263), edidit «Apparatum ad Decretales Gregorii IX», qui mox tamquam glossa ordinaria habitus fuit.

3. Henricus de Segusia, qui fuit archiepiscopus Embrodunensis (Embrun) in Gallia et Cardinalis Ostiensis († 1271). Vocatur communiter Cardinalis Hostiensis. Scripsit «Summam super titulis Decretalium», quod opus saepe citatur sub nomine «Summa archieppi» vel «Summa Hostiensis», vel «Summa aurea».

---

[1] Paulus Constabilis, qui adhuc sub Gregorio XIII factus est Magister Generalis Ord. Praed. etiam maiorem partem Decreti adnotationibus illustravit. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 255.

[2] Sixtus Fabri fuit postea Magister Generalis Ordinis Praedicatorum. Multa perpessus est ab inimicis suis dire illum persequentibus. De eius vita et scriptis videsis Quétif et Échard l. c. II 266.

[3] «Nulli omnino hominum . . . liceat huiusmodi libris dicti Iuris Canonici sic ut praefertur de mandato nostro recognitis correctis et expurgatis quicquam addere, detrahere vel immutare aut invertere, nullave interpretamenta adiungere.»

4. Abbas antiquus (quis sit nescitur) scripsit circa annum 1275 «Lecturam seu apparatum in Decretales Gregorii IX.»

5. Abbas iunior seu modernus, seu Siculus, vel Panormitanus, qui est Nicolaus de Tudeschis († 1453), scripsit Lecturam (commentaria) in Decretales et etiam in Librum Sextum et in Clementinas. Fuit magnus canonista et eius opera saepissime citantur. De eius vita vide Aeneas Sylvius, De viris illustr. n. 19[1].

6. Ioannes Andreae (1270—1348), celeberrimus canonista, vocatur «fons et tuba iuris»; scripsit Novella (commentaria) in Decretales Gregorii IX, quae sunt supplementum glossae ordinariae Bernardi Parmensis. Idem Ioannes Andreae scripsit pariter Glossam ordinariam in Librum Sextum, Additiones ad apparatum super Sextum, Novella in Sextum, et Glossam ordinariam in Clementinas[2].

Inter commentatores sequioris aetatis eminent: Fagnanus, qui vocatur «Doctor caecus oculatissimus», quia etsi caecus oculis corporalibus sua «Commentaria absolutissima in 5 libros Decretalium» conscripsit († 1678); Gonzalez Tellez († 1646), Commentaria perpetua in singulos textus 5 librorum Decretalium V voll. in fol.; Augustinus Barbosa (mortuus eodem anno quo Gonzalez Tellez), Collectanea Doctorum in Ius Pontificium universum; Anacletus Reiffenstuel Ord. Min. aliique.

Q. 44. *Quaenam sint collectiones a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII?*

R. Praeter collectiones privatas huius temporis, quae non sunt ita magni momenti dantur tres collectiones authenticae:

---

[1] Cf. Schulte, Geschichte der Quellen II 312.

[2] De vita huius viri doctissimi vide Schulte l. c. II 205 sqq, qui tamen plus iusto illum deprimit.

1. Collectio Innocentii IV. Ex decretis Concilii Lugdunensis I (a. 1245), ex Decretali Gregorii IX «Praesentium» et ex propria Decretali «Romana Ecclesia» Papa Innocentius IV fecit collectionem divisam in 42 capitula et cum Bulla «Cum in Concilio Lugdunensi» misit illam ad universitates Parisiensem et Bononiensem. Commentaria in hanc collectionem scripserunt Petrus de Sampsone et Abbas antiquus.

2. Collectio Gregorii X divisa in 31 capita et 15 titulos. Gregorius X collegit decreta Concilii Lugdunensis II (a. 1274) et quasdam proprias Decretales misitque cum Bulla «Cum nuper» 1 Nov. 1274 ad universitates Parisiensem, Bononiensem et Patavinam. Glossas in hanc collectionem scripserunt Guilielmus Durantis et Ioannes Garcias [1].

3. Collectio Nicolai III continens 5 constitutiones ab ipso Papa ad universitatem Parisiensem missa est cum Bulla «Cum quasdam» 23 Martii 1280.

Q. 45. *Quid notandum sit de Libro Sexto Bonifatii VIII?*

R. Redactores et Collectores Libri Sexti Decretalium fuerunt Guilielmus de Mandagoto, archiepiscopus Embrodunensis (Embrun), Berengarus Fredoli, episcopus Biterensis (Bezières), et Richardus Petronus Sienensis, vicecancellarius Ecclesiae Romanae, qui iussu Bonifatii VIII ex Decretalibus Romanorum Pontificum a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII novam collectionem confecerunt, resectis superfluis et mutatis mutandis.

Scopus huius collectionis est idem ac scopus Collectionis Raymundianae, sc. conficere codicem legalem et addere quae addenda fuerunt ad Decretales Gregorii IX. Propter hanc rationem haec collectio vocatur

[1] Cf. Schulte l. c. II 154.

Liber Sextus, quasi esset continuatio V librorum Decretalium Gregorii IX.

Fontes sunt Decretales Summorum Pontificum a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII.

Divisio Libri Sexti est eadem ac Collectionis Gregorii IX, sc. sunt 5 libri; unusquisque liber habet titulos, et unusquisque titulus habet capita. Modus citandi similis est modo usitato in Decretalibus Gregorii IX. Loco tamen «extra» vel X ponitur in Sexto vel in VI°, e. gr. c. 1 de desponsat. impub. in VI° 4, 1, quod legitur: caput primum de desponsatione impuberum in Sexto libro quarto titulo primo.

Auctoritas Libri Sexti, qui per Bonifatii VIII Bullam «Sacrosanctae» (3 Martii 1298) factus est codex legalis Ecclesiae catholicae, est maxima. Scribit enim Bonifatius VIII in dicta Bulla: «Mandamus quatenus . . . eo (sc. Libro Sexto) utamini de cetero in iudiciis et in scholis; nullas alias praeter illas, quae inseruntur aut specialiter reservantur in eo Decretales aut Constitutiones a quibuscumque nostris decessoribus Romanis Pontificibus post editionem dicti voluminis promulgatas, recepturi ulterius aut pro Decretalibus habituri.» Omnes igitur Decretales a Gregorio IX usque ad Bonifatium VIII, qui non continentur in Libro Sexto, revocatae manent. Excipiuntur ab hac revocatione paucae «Decretales reservatae», quae videbantur esse tantum usus transitorii, e. gr. constitutio Nicolai III «Exiit» in c. 3, 5, 12 vel c. 1 de renuntiat. 1, 7 vel c. 4 de cens. 3, 20 De pedagiis et guidagiis. Dicit enim Bonifatius VIII in Bulla «Sacrosanctae»: «praeter illas, quae inseruntur aut specialiter reservantur». Si quae sunt Decretales, quas ipse Bonifatius post Bullam «Sacrosanctae» edidit, hae utique in robore permanserunt, e. gr. c. 1 de praeb. et dign. 3, 2 in Extravag. commun.

Editiones Libri Sexti tum manuscriptae tum typis impressae tam numerosae sunt quam editiones Decre-

talium Gregorii IX, cum hae duae collectiones simul edi solerent.

Commentaria et Glossae in Librum Sextum fere ab iisdem auctoribus facta sunt, qui ediderunt commentaria et glossas in Decretales Gregorii IX. Specialia commentaria in Librum Sextum ediderunt inter alios Ioannes Monachus, Cardinalis et episcopus Meldensis († 1313): «Apparatus in Librum Sextum», Guido de Baysio, archidiaconus Bononiensis († 1313): «Apparatus seu glossae seu commentarius ad Sextum», Passerinus a Sextula O. Pr.: «Commentaria in Sextum Librum Decretalium».

Glossam ordinariam scripsit Ioannes Andreae, de quo supra.

In fine Libri Sexti adduntur 86 «Regulae Iuris», quae a Legista Dino Muggellano praecipue ex Iure Romano depromptae sunt. In Bulla «Sacrosanctae» non fit mentio istarum regularum et proinde illae non habent vim legalem stricto loquendo [1], attamen quia simul cum reliquis partibus Libri Sexti publicatae sunt, maximum valorem retinent et implicite approbatae dici possunt [2].

De vi iuridica Rubricarum, Summariorum, inscriptionum et glossarum in Libro Sexto idem valet ac in Collectione Gregorii IX (cf. supra q. praec.).

Q. 46. *Quid notandum sit de collectione, quae vocatur Clementinae?*

R. Clemens V (1305—1314) in unum corpus redactas Decretales Concilii Viennensis et proprias et duas praedecessorum suorum publicavit in Consistorio habito die 21 Martii 1314 in castro de Montiliis (Monteaux près Carpentras) atque cum Bullis ad universitates Parisiensem et Aurelianensem misit. Sed nihilominus haec

[1] Cf. Laurin, Introductio in Corp. Iur. Can. 187.
[2] Cf. Phillips, Kirchenrecht IV 359.

collectio non videtur fuisse per has Bullas satis publicata. Utrum ipse Clemens V collectionem revocaverit, ut vult Ioannes Andreae (in glossa super Bulla «Quoniam»), an alia impedimenta adfuerint, non ita clarum est [1]. Quidquid est, Clemens V morte praeventus non potuit definitivam publicationem suae collectionis facere. Ioannes XXII successor Clementis V Bulla sua «Quoniam nulla» die 25 Octobris 1317 collectionem hanc revisam ad universitatem Bononiensem misit et sic authentice publicavit mandans: «quatenus eas (constitutiones) prompto affectu suscipiatis et studio alacri, iis sic vobis manifestatis et cognitis usuri de cetero in iudiciis et scholis» [2].

Scopus Collectionis Clementinae est addere novum codicem legalem.

Fontes sunt decreta Concilii Viennensis, epistulae decretales Clementis V et duae aliae Decretales sc. constitutio Bonifatii VIII «Super cathedram», quae revocata fuit a Benedicto XI et constitutio Urbani IV «Transiturus» instituens festum Corporis Christi, quae constitutio in Libro Sexto abrogata fuit.

Divisio Collectionis Clementinae est eadem ac Libri Sexti et Collectionis Gregorianae. Modus citandi nunc usitatus est hic: c. 2 de rescr. in Clem(entinis) 1, 2.

Editiones Collectionis Clementinae fere eaedem sunt ac editiones Libri Sexti et Decretalium Gregorii IX.

---

[1] Cf. Ehrle in Archiv für Literatur u. Kirchengesch. IV 88, a quo tamen Denifle dissentit.

[2] Fridericus Schulte more suo ductus praeiudiciis et odio in Ecclesiam haec scribit (Die Geschichte der Quellen II 47): «Clemens macht Dekrete, gibt sie für Conciliardekrete aus, findet sie dumm usw., läßt sie total umarbeiten, gibt sie trotzdem für Conciliardekrete aus. Man sieht, der Papst spielt Komödie.» Intelligi vix potest quomodo homo doctus tales falsitates fronte proterva et stilo prorsus indigno enuntiare queat! Cf. Ehrle l. c.

Commentaria et Glossae in Clementinas scripta sunt inter alios a Paulo de Liazariis, Zenzelino de Cassanis, a Nicolao de Tudeschis (Panormitano). Glossam ordinariam scripsit Ioannes Andreae [1].

Q. 47. *Quid notandum sit de duabus collectionibus «Extravagantium»?*

R. Post Collectionem Clementinam nullae collectiones authenticae factae sunt Decretalium. Exsistunt tamen aliquae collectiones privatae, inter quas celebriores sunt «Extravagantes Ioannis XXII» et «Extravagantes communes». Ioannes Chappuis, Licentiatus iuris in universitate Parisiensi, auctoribus bibliopolis Gering et Rembolt novam editionem iuris canonici parans collegit 20 Decretales Ioannis XXII, iam a Zenzelino de Cassanis (a. 1325) glossatas et in 14 titulos divisit (a. 1500). Modus citandi huius collectionis est e. gr.: c. 2 De electione I Extrav. Ioan., quod legitur caput secundum titulo primo in Extravagantibus Ioannis XXII. Idem Chappuis aliam Collectionem Decretalium adornavit continentem Decretales aliquas Summorum Pontificum ab Urbano IV usque ad Sixtum IV et divisit illam ad modum Decretalium Gregorii IX in 5 libros et libros in titulos. Quartus tamen liber vacat. Solet citari hoc modo: Extrav. com. c. 3 de privil. 5, 7, quod legitur: Extravagantes communes caput tertium libro quinto titulo septimo de privilegiis. Utraque haec collectio ut collectio parvi valoris est [2]; nonnulla continet, quae non sunt vera; Decretales Ioannis XXII «Sedes Apostolica», «Suscepti regiminis» et «Execrabilis» bis afferuntur sc. inter Extravagantes Ioannis XXII et inter Extravagantes

---

[1] Cf. Schulte l. c. II 506.

[2] Schulte (l. c. II 65) nimis acerbe de his collectionibus scribit: «Es ist geradezu undenkbar, daß eine solche Sammlung rezipiert werden konnte, da sie die geistloseste und läppischste ist, die sich denken läßt.»

communes; attamen Decretales adductae, inquantum sunt genuinae et nondum revocatae per posteriora decreta pontificia, habent utique vim legalem. Glossa ordinaria in Extravagantes Ioannis XXII scripta est a Zenzelino de Cassanis (cf. supra). Non datur Glossa ordinaria in Extravagantes communes. Quaedam tamen Decretales huius collectionis glossatae sunt a Ioanne Picardi Cardinali, a Guilielmo de Monte Lauduno et ab aliis.

Q. 48. *Danturne aliae collectiones posteriores?*

R. Licet sequentes collectiones partim post Tridentinum Concilium factae sint et ideo ad articulum sequentem per se pertinerent, memoriae tamen adiuvandae causa hic statim subiciuntur, quia sunt quasi continuatio collectionum praecedentium. Mentione dignae sunt:

1. Liber septimus Petri Matthaei († 1621), qui continet aliquas Decretales a Sixto IV (1471—1484) usque ad Sixtum V (1585—1590) et praeterea quasdam Decretales anteriorum Pontificum. Dividitur haec collectio, quae 1590 typis data est et multoties tamquam appendix in editionibus Corporis iuris invenitur, in 5 libros, in titulos et in capita ad instar Collectionis Gregorianae; est labor mere privatus et nunquam approbationem Ecclesiae recepit.

2. Liber septimus Clementis VIII (1592—1605). Plures Pontifices inde a Gregorio XIII voluerunt facere novam collectionem Decretalium et pro hoc fine instituerunt Commissionem Cardinalium. Tandem haec collectio anno 1598 Romae typis mandata est sub titulo: «Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis Papae VIII Decretales», sed Summus Pontifex noluit approbare hanc collectionem. Patet igitur illi nullum valorem authenticum competere. Novam editionem revisam huius collectionis procuravit Sentis (Friburgi 1870)[1].

---

[1] Cf. Wernz, Ius decr. I, n. 266—267.

3. Diversa Bullaria Romana, quorum amplissima est editio Augusti Taurinorum 1857—1872: «Bullarium Romanum Diplomatum et privilegiorum Sum. Rom. Pontificum». Omnia Bullaria sunt tantum privatae auctoritatis, excepto Bullario Benedicti XIV. Hic enim Pontifex suas constitutiones chronologice ordinatas in unum corpus collegit illasque cum Bulla «Iam fere» a. 1746 ad universitatem Bononiensem misit mandans, ut illa tamquam fons iuris reciperetur. Decreta et constitutiones Pii IX et Leonis XIII etiam collecta sunt, sed collectio est prorsus privatus labor. Quod modo dictum est de Bullariis, valet etiam de diversis Collectionibus Conciliorum (cf. supra).

4. Regulae Cancellariae Apostolicae. Hoc nomine vocantur quaedam decreta specialia pontificia in usum Cancellariae Apostolicae. Distinguuntur regulae expeditoriae, regulae reservatoriae seu beneficiales, regulae iudiciales etc. Unusquisque Pontifex statim post suam electionem has regulas Cancellariae Apostolicae de novo approbat usque ad finem sui regiminis. Habent igitur hae regulae ex se tantum temporalem valorem legalem, sed iam a pluribus saeculis fere immutatae remanserunt (nisi tamen Papa respectu alicuius regionis privilegium concesserit), ita ut merito dici queat, illas nunc esse fontem iuris ecclesiastici generalis. Numerantur universim septuaginta duae et nonnisi a tempore Ioannis XXII scripto mandatae sunt. Ampla commentaria in has regulas inter alios scripsit Riganti: «Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariae Apostolicae», Coloniae 1751. Breviter et dilucide de hac re disserit Reiffenstuel, Ius can. univ. l. 3, tit. 5, n. 474 sq.[1]

[1] Cf. Scherer, Kirchenrecht I 294.

Q. 49. *Quid veniat nomine: «Corpus iuris canonici»?*

R. Corpus iuris canonici a diversis diversae sunt appellatae collectiones iuris ut iam ipse Benedictus XIV (const. «Iam fere sextus» a. 1746) monuit. Saeculo IX collectio Anselmo dicata appellabatur «Corpus Canonum»; Decretum Gratiani dici solebat non tantum «Corpus decretorum» sed etiam «Corpus iuris canonici»[1]. Concilium Basileense (1431—1443) sess. 23, c. 6. «Librum Sextum» nomine «Corpus iuris» (canonici) designavit, attamen inde ab exeunte saeculo XVII (1671) vocatum est «Corpus iuris canonici» coadunata editio sequentium collectionum: 1. Decretum Gratiani; 2. Decretales Gregorii IX; 3. Liber Sextus; 4. Clementinae; 5. Extravagantes Ioannis XXII; 6. Extravagantes communes[2]. Iam in editione Romana iussu Gregorii XIII a. 1582 perfecta hae sex partes coadunatae inveniuntur, sed non sub titulo «Corpus iuris canonici», quamvis Papa ipse in sua const. «Cum pro munere» 1. Iul. 1580 has partes vocaverit: «Corpus iuris canonici». Ut patet ex antedictis, ex his sex collectionibus non nisi tres habent vim authenticam legalem sc. Decretales Gregorii IX, Liber Sextus et Clementinae. Lapsu temporis editionibus Corporis iuris plures additiones privata auctoritate factae sunt (in aliquibus saltem editionibus), e. gr. arbor consanguinitatis et arbor affinitatis 47 canones poenitentiales Astesani et canones Apostolorum Decreto Gratiani adiectae sunt. Clementinis addita est arbor seu tabula declarativa tituli de iure patronatus; praeterea tabulae seu margaritae, indices etc. Maiora additamenta sunt: «Institutiones iuris canonici I. P. Lancelotti» et «Liber septimus Petri Matthaei». Haec omnia vim legis non habent[3], ut per se patet.

[1] Cf. Laurin, Introd. in Corp. Iur. Can. § 15 et § 154.
[2] Cf. ib. § 155, nota 2.
[3] Cf. Schneider, Rechtsquellen § 55.

Q. 50. *Sintne Concilia Constantiense, Basileense et Lateranense V fontes iuris ecclesiastici universalis?*

R. Quantum ad Concilium Constantiense (a. 1414 ad 1418) Martinus V (1417—1431) approbavit «omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materia fidei per praesens Concilium conciliariter et non aliter nec alio modo». Attamen non certo constat in omnibus materiis, num conciliariter an tantum nationaliter (i. e. secundum votationem per nationes) sint determinata. Septem decreta generalia ad disciplinam ecclestiasticam spectantia in Concilio sunt lata et legitime approbata, inter quae est decretum adhuc nostris diebus valens de distinctione inter excommunicatos vitandos et toleratos. Praeterea tria Concordata, sc. germanicum, anglicum et romanicum in Concilio sunt concessa, quae utique sunt fontes iuris particularis, sed postmodum sunt essentialiter mutata. Superioritas Concilii oecumenici super Papam, quae in sess. 4 statuta fuit, nunquam agnita fuit a Summis Pontificibus, et proinde non est statutum legale.

Quantum ad Concilium Basileense, quod Ferrarae et Florentiae continuatum fuit, adhuc difficilius est dicere, quaenam statuta sint legitime approbata et vim legis habeant. Hinc plures controversiae ortae sunt [1]. Ceterum statuta horum Conciliorum non videntur esse tanti momenti pro iure canonico. — Idem fere dicendum est de Concilio Lateranensi V (1512—1517) [2].

Scholion. Nomen «Corpus iuris canonici» impositum esse videtur ad instar nominis «Corpus iuris civilis», quod iam saeculo XIII in usu fuit, et quod aliquando tamquam fons subsidiarius iuris ecclesiastici designatur. Revera non paucae leges ex iure Romano civili in ius canonicum transsumptae sunt et vocantur «leges romanae canonice comptae». Non abs re erit ergo hic pauca addere de Corpore iuris civilis (Romani). Corpus iuris civilis quattuor partes continet:

1. Institutiones Iustinianae, quae mandato imperatoris Iustiniani I (527—565) a Triboniano, Theophilo et Dorotheo ador-

[1] Cf. Hefele, Konziliengeschichte VII 770 sqq.

[2] Cf. Schneider l. c. § 58.

natae sunt et a die 30 Dec. 533 vim codicis legalis obtinuerunt. Dividuntur in quattuor libros tractantes de personis, de rebus et de actionibus. Unusquisque liber dividitur in titulos et unusquisque titulus in paragraphos. Solent citari e. gr. § 1 Instit. (vel I) De servitutibus 2, 3.

2. Digesta vel Pandectae (*πανδέκται* derivatum e *πᾶν* et *δέχομαι*), quae a Triboniano una simul cum 16 iurisperitis ex scriptis veterum iuristarum mandato imperatoris Iustiniani I excerpta et digesta sunt. Haec collectio, quae significatur D(ig) vel P(and) vel *II* vel ff (fragmenta), dividitur in 50 libros et unusquisque liber in titulos et unusquisque titulus in paragraphos. Citatur L. 4, § 2 D. de stat. hom. 1, 5 quod legitur: lex quarta paragrapho secunda in Digestis libro primo titulo quinto. (Alii modi citandi non tam clari sunt.) Digesta seu Pandectae simul cum Institutionibus die 30 Dec. 533 vim legis obtinuerunt.

3. Codex novus mandato eiusdem Iustiniani a Triboniano et aliis iuristis compositus ex constitutionibus novis Iustiniani. Vocatur etiam Codex Iustinianeus vel repetitae praelectionis. Dividitur in 12 libros. Unusquisque liber subdividitur in titulos et unusquisque titulus subdividitur in leges. Melior citandi modus est hic: L (vel etiam C) I C. ne sanct. bapt. iteret. 1, 6, quod legitur: Lex prima (vel caput primum) in Codice Iustinianeo tit. 6 ne s. baptisma iteretur libro primo. Vim legis obtinuit a 29 Dec. 534.

4. Novellae Iustiniani. Sunt plures collectiones (sed omnes privatae auctoritatis) Novellarum Constitutionum Imperialium sc. epitome Iuliani (556), liber Authenticorum (c. 1100 innotuit), collectio Novellarum tempore Tiberii II (578—582). Haec ultima collectio revisa ab Ant. Contio 1571 in editionibus iuris civilis recepta est. Dividitur in capita. Citatur Nov. V, c. 1, quod legitur Novella quinta caput primum. Per modum appendicis in Corpore iuris civilis solent addi duo libri feudorum et Authenticae Fridericianae. Cf. Schneider, Kirchenrechtsquellen § 57; pro aliis collectionibus iuris civilis, qui influxum exercuerunt in ius ecclesiasticum vide Schneider l. c. § 20.

ARTICULUS III.

DE COLLECTIONIBUS IURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS A CONCILIO TRIDENTINO USQUE AD NOSTROS DIES.

Q. 51. *Quomodo decreta Concilii Tridentini sint fontes iuris ecclesiastici?*

R. Concilium Tridentinum non tantum haereses grassantes damnavit et dogmata fidei catholicae clarius ex-

plicavit, sed etiam decreta optima pro reformatione disciplinae ecclesiasticae edidit. Haec decreta pro reformatione in sessionibus 5 6 7 11 12 13—25 continentur et per Bullam «Benedictus Deus» a Pio IV die 26 Ian. 1564 vim legislativam obtinuerunt et a die 1 Mai 1564 ubique obligaverunt, quia tunc publicatio sufficienter facta fuit[1]. Unice excipitur decretum celebre «Tametsi» de matrimoniis clandestinis, quod obligare incepit duobus mensibus post publicationem in qualibet parochia. Quae quidem publicatio cum in non paucis locis usque ad hodiernum diem vel omnino non vel non certe facta fuerit, quam maxima incommoda et dubia de validitate matrimoniorum oriebantur. Pius X suo decreto «Ne temere» 2 Aug. 1907 his omnibus remedium attulit. (Vide tract. de matrimonio.) Decreta igitur Concilii Tridentini obligant ubique terrarum nisi tamen illis derogatum sit per subsequentes constitutiones Summorum Pontificum vel per legitimam consuetudinem. (De controversia, utrum consuetudo possit praevalere contra decreta Tridentina, vide supra, ubi de consuetudine agebatur.) Ius Decretalium tamen in suo robore mansit non obstante Concilio Tridentino, nisi sit revocatum.

Eadem Bulla «Benedictus Deus» Pius IV gravissimis poenis prohibuit, quominus quis sine speciali auctoritate Summi Pontificis valeat edere commentaria super decretis Concilii Tridentini. Si quid autem obscurum esset, vel dubium oriretur, adeunda est Congregatio Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum specialiter (a. 1564) instituta ad declarationem decretorum Tridentinorum.

Sunt multae editiones decretorum Concilii Tridentini. Usui valde accommodatae sunt editiones procuratae sive a Io. Thom. Ghilardi O. Pr., ed. novissima Monteregali 1869, sive a Frid. Schulte et Ludov. Richter, Lipsiae

[1] Cf. Bullam «Sicut ad sacrorum» die 17 Iulii 1564.

1853, cum in illis adiectae sint non paucae resolutiones Curiae Romanae declarantes decreta Tridentina.

Iussu Concilii Tridentini [1] catechismus pro pueris et adultis indoctis erudiendis a viris doctis lingua Latina et vulgari [2] edendus erat. Pius IV mandavit tribus Fratribus Ord. Praed., sc. Francisco Fureiro, Leonardo Marino, archiepiscopo Lancino, et Aegidio Fascarini, episcopo Modenensi, simul cum Muzio Calini hoc opus, quod revisum a Cardinalibus Carolo Borromaeo et Sirlet tandem editum fuit sub titulo «Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos Pii V iussu editus», Romae 1566. Iste liber a Leone XIII [3] «vere aureus» vocatus, approbatus fuit a Pio V (a. 1566) et Gregorio XIII (a. 1583) illumque plus quam 20 Concilia provincialia et synodi dioecesanae (saeculi XVI) maximis laudibus commendaverunt [4]. Fere innumerae editiones illius exsistunt. Eius auctoritas non tantum maxima est in rebus dogmaticis et moralibus, sed etiam in iure ecclesiastico.

Q. 52. *Quid notandum sit de collectionibus iuris ecclesiastici post Concilium Tridentinum?*

R. Praeter collectiones supra q. 48 recensitas, quae partim post Concilium Tridentinum editae sunt, mentione dignae sunt plures decisionum SS. Congregationum collectiones:

1. «Thesaurus Resolutionum S. Congregationis Concilii» . . . inde ab anno 1718 (1700). Usque ad praesentem annum 1908 168 volumina edita sunt, quae omnes insimul rarissime in bibliothecis inveniuntur. Pro profundiore intelligentia iuris canonici iste «Thesaurus» valde utilis est, non est tamen codex legalis, licet

[1] Cf. sess. 25, cap. De indice librorum et catechismo, breviario et missali.

[2] Ita iam 13 Aprilis 1546 statutum fuerat.

[3] Lettre encycl. au clergé de France 8 Sept. 1899.

[4] Cf. A. Reginald O. Pr., De catechismi Romani auctoritate, Neapoli 1765.

sit publicatus auctoritate ipsius S. Congregationis. A fortiori privatae collectiones a Zamboni, Pallotini et Mühlbauer confectae non habent vim legislativam [1].

2. «Collectanea in usum Secretariae S. Congregationis Episc. et Regul.» a Bizzarri, secretario huius Congregationis, compilata (ed. prima 1863, ed. sec. 1886) sunt opus privatum, sed maximae utilitatis praesertim pro iure regularium.

3. «Ius Pontificium de Propaganda Fide SS. D. N. Leonis XIII P. M. iussu recognitum», Romae 1888 sqq, nec etiam est codex legalis, etsi sit maximae auctoritatis. Pariter magnae auctoritatis et utilitatis sunt Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide inde ab anno 1893 publicata.

4. «Decreta authentica S. Congregationis Rituum», Romae 1898. Omnia decreta universalia in hac collectione contenta habent vim legis ecclesiasticae universalis. Decreta autem particularia valent tantum particulariter. De auctoritate decretorum S. Congregationis Rituum infra, ubi de Curia Romana tractabitur, explicitior sermo redibit [2].

5. «Index librorum prohibitorum» iussu Leonis XIII editus. Continet Bullam «Officiorum et Munerum» 25 Ian. 1897 et catalogum aliquorum librorum prohibitorum; habet vim legis universalis et obligat ubique, nisi sit speciale Indultum pontificium concessum.

6. «Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiarum» ab anno 1668 ad annum 1882 edita iussu et auctoritate Leonis XIII, Ratisbonae 1883. Sed inde ab hac editione emissa quam plurimae mutationes circa indulgentias factae sunt, ita ut hodierna die non

---

[1] Cf. Lingen-Reuss, Causae selectae XVI sqq.

[2] Cf. const. Sixti V «Immensa»; Decr. Pii IX 23 Maii 1846; S. R. C. 8 April. 1854 et Dictionnaire de Théol. cath. s. v. Congregations romaines.

exsistat completa collectio indulgentiarum [1]. Pro usu practico antecellit omnia similia opera Beringer S. J.: «Die Ablässe, ihr Wesen und ihr Gebrauch», ed. tertia decima, quod opus approbatum est a S. Congregatione Indulgentiarum.

Scholion. Concilium Vaticanum (a. 1870) non emisit decreta proprie disciplinaria. Aliquo modo tamen ad ius ecclesiasticum pertinet decretum huius concilii De infallibilitate Summi Pontificis in rebus fidei et morum. Papa Pius X instituit Commissionem ad edendum novum codicem iuris ecclesiastici universi, sed hoc opus tam desideratum nondum perfectum est.

ARTICULUS IV.

DE COLLECTIONIBUS IURIS PARTICULARIS.

Q. 53. *Quaenam sint praecipuae collectiones iuris ecclesiastici particularis?*

R. Omissis veteribus collectionibus saeculi VIII et IX e. gr. Capitularia Ansegisi, Capitularia Episcoporum, Regula Chrodogangi, libri poenitentiales diversarum ecclesiarum, de quibus videsis Schneider, Kirchenrechtsquellen §§ 20 sqq, nominanda sunt:

1. Concilia provincialia et nationalia, quae amplissimum fontem iuris particularis constituunt. Acta horum Conciliorum collecta inveniuntur apud Mansi, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio, nova editio Parisiis his ultimis annis parata. Recentiorum Conciliorum Acta et Decreta habentur in Collectione Lacensi, Friburgi 1870—1890.

2. Concordata inter Summum Pontificem et diversa gubernia civilia. Collectionem Concordatorum paravit Nussi, Conventiones de rebus ecclesiasticis, Romae

[1] Celebris enim «Raccolta» non est collectio omnium indulgentiarum.

1869. Quae collectio in breviorem et clariorem formam redacta est a Brück, Moguntiae 1870. Moderna Concordata habentur in Ephem. «Acta S. Sedis».

3. Constitutiones et Regulae ordinum regularium. Quam plurimi ordines religiosi vel congregationes religiosae a Summis Pontificibus labente tempore approbati sunt cum propriis regulis, constitutionibus et legibus. Collectionem Regularum Monasticarum perfecit Holsten et Brockie amplificavit[1].

Moderna collectio harum legum particularium non exsistit, nec vix possibilis esse videtur, cum leges diversorum ordinum non parvis mutationibus obnoxiae sint et in Capitulis Generalibus ordinum continuo mutantur.

4. Privilegia a Summis Pontificibus diversis personis iuridicis concessa, e. gr. privilegia universitatum, privilegia regularium, privilegia Cardinalium. De istis privilegiis propriis locis sermo erit. Bullae quae collecta continent omnia privilegia alicui ordini concessa, vocantur «Mare magnum». Sic e. gr. exsistit Mare magnum Fratrum Praedicatorum, Minorum etc.

[1] Codex regularum, quas ss. Patres monachis et virginibus sanctimonialibus servandas praescripsere, collectus olim a S. Benedicto Ananiensi abbatae cum appendice. Istud opus clarum et rarum additamentis a Brockie O. S. B. confectis prodiit iterum Vindobonae 1759, 6 tom. in fol. Praeterea Bullaria diversorum ordinum religiosorum sunt uberes fontes iuris regularium. De istis bene disseruit De Smedt, Introductio general. ad hist. eccl., Gandavi 1876, 347—382. Cf. etiam Heimbucher, Die Orden und Kongregationen II 75 sqq.

PARS II.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Praenotamen. Postquam in prima parte agendo de fontibus exsistendi et cognoscendi iuris ecclesiastici solidum fundamentum scientiae iuris ecclesiastici posuimus, nunc oportet procedere propius ad ipsum obiectum huius scientiae . . . Obiectum vero circa quod versatur scientia iuris ecclesiastici sunt **personae ecclesiasticae et res ecclesiasticae.** Omnia ad haec duo capita reduci possunt. Solent tamen auctores ad instar libri Decretalium Gregorii IX separatim tractare de iudiciis et poenis ecclesiasticis, quamvis accurate considerata pertineant ad caput de personis ecclesiasticis. Consuetudinem introductam sequentes per modum Appendicis agemus separatim de iudiciis ecclesiasticis. Divisio tractatus de personis a tractatu de rebus non est divisio exclusiva, ita ut alter alterum prorsus excludat: res enim ecclesiasticae earumque administratio tam intime cohaeret cum personis ecclesiasticis, ut nequeant perfecte considerari sine consideratione personarum, e. gr. beneficia ecclesiastica non possunt perfecte cognosci sine personis beneficiatis, iurisdictio ecclesiastica sine persona habente iurisdictionem et sic de ceteris. Ex qua causa factum est, ut obiectum, quod ab uno tractatur in capite de personis ecclesiasticis, ab alio auctore explicetur in tractatu de rebus ecclesiasticis, inquantum magis attenduntur vel personae administrantes res vel econverso res ipsae administratae. Benevolus lector

igitur non miretur, quod in hoc Manuali tractatus de Curia Romana amandatus sit in partem de rebus ecclesiasticis, cum ab aliis auctoribus habeatur in parte de personis ecclesiasticis. De sacramentis et censuris in hoc Manuali non agitur, cum in Theologiae moralis Manualibus hae materiae tractentur iuxta modernum usum multis in locis vigentem.

Totus tractatus de personis ecclesiasticis dividitur in duo capita sc. 1. De personis ecclesiasticis in genere; et 2. De personis ecclesiasticis in specie.

CAPUT I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

Istud caput subdividitur in 5 articulos sc. 1. De statu clericorum et laicorum in genere. 2. De ingressu in statum clericalem, seu de ipsa sacra ordinatione. 3. De iuribus et privilegiis status clericalis. 4. De obligationibus status clericalis. 5. De amissione status clericalis.

ARTICULUS I.

DE STATU CLERICORUM ET LAICORUM IN GENERE.

Q. 54. *Quid nomine personae ecclesiasticae intelligatur?*

R. Nomen «persona ecclesiastica» latius patet quam nomen «clericus». Clerici in stricto sensu vocantur illi, qui prima tonsura hierarchiae ecclesiasticae sunt adscripti. Persona ecclesiastica autem non tantum significat clericum, sed etiam personas religiosas omnes utriusque sexus. Hinc moniales et fratres laici ordinum religiosorum personae ecclesiasticae vocantur, secundum strictum vero ius sunt personae laicae. Si vero in ali-

quibus institutis religiosis illi fratres, qui postea s. ordines suscipere debent, vocantur clerici ad discernendos illos ab aliis, qui nunquam s. ordines suscipient, tunc nomen clerici sumitur in latiore sensu, inquantum sc. illi sunt in potentia proxima statum clericalem ingrediendi. Etsi autem omnes personae ecclesiasticae ad statum clericalem non pertineant, tamen privilegia clericorum, e. gr. privilegium canonis, fori, immunitatis etc. illis communicata sunt [1].

Iam in primis saeculis Ecclesiae personae religiosae solebant annumerari clericis, immo et clerici vocari. Testis est textus in Decreto Gratiani citatus (c. 7, C. XII, q. 1) et S. Hieronymo tributus [2]. «Duo sunt genera christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi. *Κλῆρος* enim Graece, Latine sors. Inde huiusmodi homines vocantur clerici i. e. sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt reges i. e. se et alios in virtutibus regentes et ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanae Ecclesiae in signum regni, quod in Christo exspectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio. Illi enim victu et vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia in communi.» Ut patet, haec omnia non minus valent de religiosis ac de clericis. Nomen clerici igitur potest sumi 1. latissime et tunc excludit tantum laicos; 2. latius et tunc excludit praeter laicos etiam personas religiosas. In hoc sensu sumitur in tit. 50,

[1] Cf. infra t. II, q. 217—220.

[2] Disputatur, num S. Hieronymus haec scripserit. Cf. Berardi, Gratiani canones genuini ab apocryphis distincti III, ed. Venet. 1783, 157. Berardi tamen aliquando est hypercriticus.

libr. 3 Decretal. «Ne clerici vel Monachi»; 3. adhuc strictiore sensu praesertim a nostratibus adhibetur pro illis, qui sola tonsura aut minoribus ordinibus sunt insigniti.

Q. 55. *Quid sit status clericorum?*

R. Status clericorum est stabilis vitae conditio, qua homo masculus hierarchiae ecclesiasticae incorporatur. Dicitur a) stabilis vitae conditio, nam etsi clericus aliquando ad statum laicalem possit reduci, uti infra dicetur, tamen ex se clericatus est stabilis et immutabilis vitae conditio. Hoc iam ipsum nomen clerici non obscure indicat, quod iam Origenes[1] et Tertullianus[2] adhibuerunt. Nomen clerici desumptum est a verbo Graeco κλῆρος, quod significat Latine: sortem[3]. Vocantur clerici, quia sunt de sorte Domini, vel quia Dominus est sors seu pars clericorum et quidem non transeunter, sed sine intermissione[4].

Dicitur b) qua homo masculus incorporatur hierarchiae ecclesiasticae. Nam femina nullo modo potest fieri clericus, nec etiam potest esse membrum hierarchiae ecclesiasticae. Licet enim feminis, e. gr. abbatissis, priorissis etc. possit competere potestas regiminis, et quidem non tantum super mulieres et laicos, sed etiam super clericos uti revere accidit Medio Aevo, quando nonnullae abbatissae regebant non tantum moniales, sed etiam monachos et clericos sibi subiectos[5], tamen

---

[1] Homil. in Ierem. XI, n. 3. [2] De monogam. c. 12.

[3] S. Hieronym. ep. 52 ad Nepotian; c. 5, CXII, q. 1.

[4] In c. 1, D. 21 habetur: «Cleros et clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.»

[5] Cf. Die Doppelklöster des Birgittenordens. In isto Ordine, qui vocatur Ordo Salvatoris et fundatus est a S. Birgitta, figurabatur collegium Apostolorum. Semper duo conventus, alter monachorum alter monialium, subiecti erant directioni abbatissae, sed sub iurisdictione episcopi. In conventu monachorum vivebant 13 sacerdotes, 4 diaconi et 8 fratres conversi. In conventu monialium vivebant 60 moniales. Cf. Heimbucher, Die Orden usw. II², § 83.

non sunt capaces neque potestatis ordinis, neque potestatis iurisdictionis stricte dictae. Omnes quidem admittunt mulierem esse incapacem potestatis ordinis; pariter certum est mulierem esse incapacem potestatis iurisdictionis, si sumitur iurisdictio in stricto sensu[1]. Exempla, quae afferuntur ab auctoribus, quod Summi Pontifices iurisdictionem contulerint mulieribus, aut sunt dubiae authenticitatis, aut intelligenda videntur de iurisdictione in lato sensu, nam nomen iurisdictionis sumitur aliquando generatim pro omni potestate regendi, iudicandi et puniendi[2]. Porro nihil obstat, quominus mulieres regant suos subditos saltem regimine subalterno et imperfecto. Non licet autem mulieribus sedere in tribunali ecclesiastico, ferre censuras, absolvere a censuris, etc. neque a fortiori exercere actum iurisdictionis, qui supponit potestatem ordinis, ut est dare absolutionem sacramentalem.

Q. 56. *Quid sit status laicorum?*

R. Laicus, si significationem nominis attendas, est homo ad populum pertinens. Derivatum est enim verbum laici a Graeco vocabulo *λαός*, adhibito iam a S. Petro (1 Ep. 2, 10) ad significandum populum christianum universum. Inde a tempore Tertulliani (De praescript. c. 41) hoc verbum *λαός* vel *λαικοί* videtur significare populum christianum non universum, sed partialem sc. illam partem, quae non ad statum clericalem pertinet. Fatendum tamen est etiam alia nomina adhibita fuisse primis aerae christianae temporibus ad idem significandum, velut: gens sancta, fidelis fraternitas, *βιωτικοί*, *ἰδιῶται* (privati)[3].

---

[1] Late de hac re disserit Pellizarius S. J., De Monialibus c. 10, n. 117—122.

[2] Cf. Ferraris, Prompta Bibl. s. v. Femina n. 5 et 6.

[3] Cf. Kirchenlexikon s. v. Laien.

Hodie ad statum laicorum pertinent omnes baptizati, qui non sunt tonsura vel clericalibus ordinibus initiati. Ergo etiam moniales omnesque personae religiosae quae non sunt clerici. Sicut prima tonsura facit aliquem membrum status clericalis, ita baptismus facit hominem status laicalis membrum. Ad statum laicalem pertinent etiam omnes haeretici et schismatici atque proinde subduntur legibus ecclesiasticis, non autem Iudaei, Mohamedani et pagani. Aliquando tamen latiore sensu laici vocantur indiscriminatim omnes, qui non sunt clerici, sive sint baptizati, sive non.

Cum non raro accidat infideles baptizatos vel acatholicos in gremium Ecclesiae et in societatem laicorum catholicorum redire, hic breviter notatur quomodo cum istis neoconversis iuxta praesentem praxim agendum sit. Si agitur de conversione alicuius infidelis n o n d u m b a p t i z a t i, observanda sunt, quae habentur in Rituali Romano: «Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundum apostolicam regulam in christiana fide et sanctis moribus diligenter instrui et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, eiusque voluntas et propositum saepius explorari et nonnisi sciens et volens probeque instructus baptizari.» [1] Si agitur de conversione alicuius A c a t h o l i c i, qui baptismum in haeresi recepit, praeterea instituenda est solers inquisitio de validitate baptismi suscepti [2], et quid ex ista inquisitione compertum sit, denuntiari debet curiae episcopali, cuius est decernere, utrum baptismus sit sub conditione reiterandus necne [3]. Absolutio ab excommunicatione propter haeresim incursa data cum auctoritate episcopi in foro externo valet etiam in foro interno [4]. Si baptismus reiteratur, per

[1] Tit. 2, c. 3. [2] Ita S. Off. 20 Nov. 1878; 21 Febr. 1883.
[3] Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 59.
[4] Hinc neoconversus post abiurationem et absolutionem publicam potest confiteri apud quemlibet confessarium. Cf. S. Inqu. 28 Mart. 1900.

se quidem caeremoniae in baptismo adultorum praescriptae essent adhibendae, nisi ex legitima consuetudine in aliquibus regionibus istae caeremoniae omittantur[1]. Nomina neoconversorum mittenda sunt ad episcopum et, si baptismus illis sit absolute vel conditionate collatus, etiam in libro parochiali baptizatorum inserenda sunt. De caeremoniis in receptione neoconversorum vide Rituale Romanum vel aliud Rituale rite approbatum.

Laicorum obligationes reducuntur omnes ad filialem oboedientiam erga Ecclesiam, laicorum iura postulant, ut illis a suis pastoribus legitimis subsidia salutis praebeantur. Hinc ius habent ad sacramenta suscipienda, ad instructionem in doctrina christiana, ad sepulturam ecclesiasticam. Ius ad instructionem in doctrina christiana non videtur includere ius ut haec instructio illis illorumque filiis detur in lingua paterna vel materna, dummodo tamen detur in lingua illis sufficienter intelligibili. Iuri canonico tamen et pluribus decisionibus Congregationis de Prop. Fide conformius est, si instructio catechetica in lingua vulgari detur.

Communissima sententia tenet, Ecclesiam non habere potestatem legislativam neque coercitivam in infideles non baptizatos.

Q. 57. *Quid sit hierarchia ecclesiastica?*

R. Si vim nominis attendas, hierarchia *(ἱεραρχία* i. e. *ἱερὰ ἀρχή)* significat sacrum principatum. Hoc nomen videtur esse primitus adhibitum a Pseudo-Dionysio Areopagita, qui scripsit opera Medio Aevo maximi aestimata: De coelesti hierarchia, et De ecclesiastica hierarchia[2]. Si autem consideratur secundum rem, hierarchia ecclesiastica potest sumi dupliciter[2] sc. a) ob-

[1] Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 59.

[2] Ita Devoti, Instit. can. l. 1, tit. 1, § 4, nota 1 citans Mamachi O. Pr., Origenes et antiquitates christian. IV 4, 278.

iective, et tunc definiri potest «potestas a Christo suis Apostolis eorumque legitimis successoribus tributa, ut Ecclesiam regant et divina religionis mysteria in ea celebrent atque distribuant» [1]; et b) subiective, et tunc sunt ipsae personae hac potestate fruentes. In hoc sensu subiectivo Concilium Tridentinum sumit hierarchiam, quando sess. 23, can. 6 definit: «Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit.» Ex quo patet iure divino, praeter episcopos et presbyteros etiam pertinere ad hierarchiam subiectivam ministros; nomine autem ministrorum iuxta omnes comprehunduntur diaconi et iuxta sententiam probabiliorem omnes clerici, i. e. omnes qui saltem tonsuram clericalem receperunt.

Hierarchia obiectiva i. e. potestas regendi Ecclesiam non datur episcopis, presbyteris et ministris a potestate saeculari, a magistratu, a patronis vel a populo christiano, sed ab ipso Christo [2]. Lutheri adagium fuit: «Prorsus eiusdem iuris sumus omnes», illumque sequuntur plus minusve omnes novatores saeculi XVI, et fere in omnibus sectis acatholicis ministri eliguntur vel a populo vel instituuntur a potestate saeculari, et nulla hierarchia divinitus instituta agnoscitur [3]. Hanc doctrinam acatholicam optime refutat ex S. Scriptura, ex Traditione et ex rationibus convenientiae P. de Groot O. Pr., Summa apol. de eccles. q. 3, a. 4—8. Hierarchia obiectiva includit triplicem potestatem sc.

[1] Interdum vox hierarchia latiore sensu sumitur et tunc significat universam Ecclesiam et quidem tum clericos tum laicos. In hoc sensu latiore S. Petrus (1 Ep. 2, 9) vocat christianos «regale sacerdotium, gens sancta». De hac latiore acceptatione nihil dicimus. Cf. Wernz, Ius decr. II, n. 2.

[2] Cf. Conc. Trid. sess. 23, l. c. c. 4 et Conc. Vatic. const. «Pastor aeternus».

[3] Ita docuerunt Waldenses, Wiclefitae, Hussitae, Luther, Calvinus, Grotius, Pufendorf, Böhmer, Harnack aliique.

ordinis, iurisdictionis et magisterii, quae quidem potestates tamen non omnibus clericis eodem gradu competunt.

1. Potestas ordinis a Christo confertur tamquam fundamentum omnis alius potestatis, ad sacramenta administranda et principalius propter corpus suum eucharisticum conficiendum. Ut enim Angelicus Doctor scite animadvertit: «Ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiae ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum» [1] et «ordines ordinantur principaliter ad sacramentum Eucharistiae, ad alia autem per consequens» [2]. Hinc omnis vis et omnis distinctio potestatis ordinis desumenda est ex relatione ad Eucharistiam. Perpulchre hanc relationem explicat Angelicus l. c. Dignus est iste articulus, qui totus legatur. Sequentes sunt notae potestatis ordinis:

a) datur consecratione, non delegatione vel missione. Ad rem scribit Angelicus [3]: «Duplex est spiritualis potestas. Una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est quae per aliquam consecrationem confertur. . . .»

b) semel rite habita non potest amitti. Pergit enim S. Doctor: «et talis potestas (ordinis) secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam adeptus est, quamdiu vivit, sive in schisma sive in haeresim labatur» [4].

c) datur ad procurandam salutem fidelium per ministrationem sacramentorum et per cultum divinum.

2. Potestas iurisdictionis (vocatur etiam potestas regiminis) a Christo data est ad regendam Ecclesiam et ad fideles ducendos in finem supernaturalem. Notae huius potestatis sunt:

---

[1] Suppl. q. 37, a. 2. [2] In resp. ad 3 eiusdem art.
[3] S. th. 2, 2, q. 39, a. 3. [4] Cf. Conc. Trid. sess. 23, can. 7.

a) datur delegatione vel missione Ecclesiae. «Potestas autem iurisdictionalis est, quae ex simplici iniunctione hominis confertur.» Ita S. Thomas l. c.

b) potest tolli aut limitari. «Et talis potestas non immobiliter adhaeret.» S. Thomas l. c.

c) includit potestatem legiferam, iudicialem et coercitivam et generatim omnia illa, quae ad regimen fidelium necessaria sunt.

Ex quibus dictis manifeste apparet esse distinctionem realem inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis. Contrarium tenet Hinschius[1] aliique heterodoxae doctrinae fautores. De subtili autem quaestione agitata inter auctores, unde proveniat ista distinctio, utrum ex parte principii an ex parte termini seu materiae, non est cur immoremur[2]. Potestas iurisdictionis varie dividitur, praecipuae divisiones sunt:

α) iurisdictio fori interni, quae ordinat fidelium relationes morales cum Deo et propterea aliquando vocatur iurisdictio in foro poli, quia sc. Deus debet esse polus omnium actionum humanarum, et iurisdictio fori externi (vocatur etiam in foro fori), quae ordinat fidelium relationes sociales ad Ecclesiam et exercetur publice. Iurisdictio in foro interno aliquando etiam vocatur iurisdictio in foro conscientiae et exercetur vel in sacramentali poenitentia vel extra hoc sacramentum, e. gr. confessarii habentes facultatem dispensandi cum fidelibus in lege ieiunii vel in votis possunt uti hac facultate etiam extra sacramentum poenitentiae[3].

β) iurisdictio ordinaria, quae iure proprio seu vi officii commissi alicui competit (e. gr. iurisdictio praelatorum regularium et episcoporum) et iurisdictio dele-

---

[1] Kirchenrecht I 170.

[2] Videsis Billuart, De poenit. diss. 6, a. 2.

[3] Cf. infra t. II, q. 241.

gata, quae alicui arbitrarie demandatur (e. gr. iurisdictio simplicis confessarii).

γ) iurisdictio contentiosa et voluntaria; prima exercetur in litibus dirimendis et poenis infligendis, alia exercetur communiter in gratiis largiendis. Alias minus necessarias divisiones iurisdictionis missas facimus videsis Wernz, Ius decr. II, Proœm. II.

3. Potestas magisterii est facultas a Christo Apostolis eorumque successoribus collata docendi veritates revelatas et doctrinam christianam. «Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae.» [1]

Etsi enim haec potestas magisterii contineatur sub potestate iurisdictionis, si nomen iurisdictio in lato sensu sumatur [2], tamen haud incongrue potestas magisterii distinguitur a potestate iurisdictionis. Magisterium enim pro principali fine habet docere, iurisdictio autem iudicare et dirigere. Potestas magisterii convenit iure divino Papae et episcopis, ut patet ex supra citatis Evangelii verbis, quae ad Apostolos eorumque successores a Domino directa sunt. Sacerdotibus autem aliisque clericis haec potestas confertur «missione canonica» uti dicitur. Docere veritates religionis publice in Ecclesia, quod est idem ac praedicare verbum Dei, non competit nisi clericis; docere vero easdem veritates privatim vel in scholis elementaribus casu necessitatis et deficientibus clericis potest demandari etiam utriusque sexus laicis doctrina et moribus idoneis. Potestati magisterii competit donum infallibilitatis, quando res fidei et morum ex cathedra docet Summus Pontifex pro toto orbe.

---

[1] Mc 16, 15.

[2] In hoc sensu dicitur in Actis Concilii Vaticani: «Potestas magisterii, cuiusmodi est potestas docendi, tum in episcopis omnibus, tum in episcopo episcoporum ad potestatem iurisdictionis pariter spectat.» Cf. Coll. Lac. VII 275; apud Wernz, Ius decr. II, Prooemium nota 25.

Q. 58. *Quot gradibus constet hierarchia ordinis?*

R. Octo gradus convenienter distinguuntur in hierarchia ordinis [1] sc. quattuor ordines minores, tres ordines maiores et episcopatus. Quasi praeambulum [2] vel atrium ad istos gradus obtinendos est prima tonsura clericalis, licet ipsa non sit ordo. Sententia contraria Fagnani [3], Reiffenstuel [4], Panormitani, Ioa. Andreae non videtur solidis argumentis probata. Quae post Fagnanum afferuntur a Reiffenstuel l. c. probant ad summum primam tonsuram esse ordinem clericalem in lato sensu; quod quidem ultro concedi potest. Optime Catechismus Concilii Tridentini parte 2, c. 7, n. 13 dicit: «Clericalem tonsuram quamdam praeparationem esse ad ordines accipiendos: ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus praeparari solent; ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur.» [5] Prima tonsura quidem homo transit a statu laicali ad statum clericalem, sed nulla vera potestas illi confertur.

Tonsuram ab antiquissimis temporibus fuisse clericis collatam certum est et constat etiam ex imaginibus inventis in catacumbis; at quonam tempore sit introducta, non potest certo probari. Modus tonsurae non fuit idem apud orientales et occidentales [6]. Omnes clerici

---

[1] Conc. Trid. sess. 23, can. 2 definivit: «Si quis dixerit praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit.» Est igitur fide certum esse plures ordines in Ecclesia catholica; minime vero certum est, quot ordines sint. Ad Theologiam dogmaticam pertinet disquirere, utrum omnes ordines sint vera sacramenta et utrum episcopatus sit sacramentum realiter distinctum a sacerdotio.

[2] Cf. S. Thom., Suppl. 40, a. 2.

[3] In c. 11 X 1, 14. [4] Ius can. in c. 1 X 11, 16.

[5] Cf. etiam Billuart, De ordin. diss. 1, a. 4.

[6] Cf. Wernz l. c. n. 18 et Billuart l. c. Quidam auctores (e. gr. Sägmüller, Kirchenrecht § 48) distinguunt duplicem formam tonsurae,

tenentur tonsuram decentem deferre, ut patet ex Decreto c. 22 clerici et c. 23 si quis, D. 23[1]. Pro clericis regularibus hoc insuper praescribunt statuta singulorum ordinum[2]; potest tamen episcopus vel superior regularis dispensare in hac lege ex causa rationabili[3]. Quae requirantur pro receptione tonsurae clericalis, statuit Conc. Trid. sess. 23, c. 4 de reform.: «Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.» Ille, qui confert primam tonsuram, debet habere easdem conditiones ac ille, qui confert ordines minores (cf. infra).

Inferiores gradus in hierarchia obtinent quattuor ordines minores: ostiariatus, lectoratus, exorcistatus et acolythatus[4]. Ordo ostiariatus iam memoratur in epistula S. Cornelii ad Fabium Antiochenum (a. 255)[5]. Ostiarii vocantur etiam aeditui *(πυλωροί, θυρωροί)*. — Ordinis lectoratus fit mentio a S. Iustino et a

---

sc. tonsuram S. Pauli, qua tota caesaries raditur, sicuti adhuc solet fieri in Ordine Carthusianorum, et tonsuram S. Petri, qua caesaries tondetur in formam coronae, sicuti fit hodie in pluribus ordinibus religiosis.

[1] Concilium Agathense valde nervose praescribit: «Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiamsi noluerint, invite tondeantur.» Cf. etiam c. 4 5 7 X 3, 1 et etiam infra q. 66.

[2] Cf. Constit. Ord. Praed. n. 193.

[3] Ad gestandam barbam, vel tempore sacrificii Missae fictam caesariem (vulgo perruque) requiritur iuxta modernam praxim licentia S. Sedis, nisi adsit speciale privilegium. S. R. C. 4 Apr. 1699 (Decr. auth. n. 2027). Clerici ritus Graeci et sacerdotes ritus Latini in oriente vel in terris missionum viventes possunt gestare barbam.

[4] De modo hos et alios ordines sicuti et primam tonsuram conferendi vide Pontificale Romanum.

[5] «In qua (Ecclesia Romana) non ei (Novatiano) latebat presbyteros esse 46 diaconos 7, acolythos 42; exorcistas autem et lectores cum ostiariis 52.» Apud Migne, Patr. Lat. 3, 767.

Tertulliano. — Ordinis exorcistatus fit mentio in epistula S. Cornelii mox citata sicuti etiam ordinis acolythatus. In Ecclesia Orientali non omnes quattuor ordines minores habentur saltem iuxta modernam disciplinam, sed utrum sic fuerit ab initio, merito dubitatur[1]. Magna controversia exsistit, utrum isti quattuor ordines sint a Christo instituti (vel mediate vel immediate) et utrum sint vera sacramenta. S. Thomas, B. Albertus M. et communiter thomistae affirmant; moderni theologi et canonistae communiter negant[2].

Minoribus ordinibus succedunt in hierarchia ordines maiores sc. subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus. Subdiaconi sunt quasi diaconorum subsidiarii. Per longum tempus[3] sc. usque ad Urbanum II (saeculo undecimo) in Latina et usque ad nostros dies in Orientali

---

[1] Cf. Devoti I, sect. 2, § 29, et praesertim Iac. Goar O. Pr., Euchologion sive Rituale Graecorum 237 sqq.

[2] Cf. pro hac quaestione Drouin (Drouvenius) O. Pr., De re sacramentaria, et post ipsum De Augustinis S. J., De re sacramentaria; brevius, sed solide hanc quaestionem tractat Billuart l. c. a. 1, § 2. Merito animadvertit Wernz, Ius decr. II, n. 39 contra Santi, qui sententiam negantem vocavit certam et evidentem, intra terminos controversiae utramque sententiam esse relinquendam.

[3] Conc. Trid. sess. 23, c. 2 dicit: «subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur». SS. Patres ad quos Concilium alludit, videntur esse e. gr. Cyprianus (Ep. 55); Tertullianus (De praesc. 1, 41), etsi Tertullianus non sit proprie numerandus inter SS. Patres. In Corpore iuris multoties subdiaconatus inter sacros ordines recensetur, e. gr. c. 11, D 32 (Urbanus II); c. 12 ib. (in Syn. Melph.); c. 4, D 60; c. 9 X 1, 14 (Innoc. III). In hoc ultimo loco haec scribit Innocentius III: «Cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur sicut Urbanus Papa II sub his verbis expressit: Erubescant impii et intelligant iudicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi . . .» Ex quibus constat inde a temporibus Urbani II i. e. saeculo XI exeunte subdiaconatum habitum esse ordinem sacrum in Ecclesia Latina. Cf. Devoti I, § 28 (1), qui bene explicat, quomodo Urbanus II in initio sui pontificatus subdiaconatum adhuc inter minores ordines habuerit.

Ecclesia subdiaconatus enumeratus est inter ordines minores[1]. In Libro Pontificali, cui fides haberi potest, Fabianus Papa (236—250) dicitur fecisse septem subdiaconos. Ergo saeculo tertio subdiaconi iam exsistebant in Ecclesia, illos ante hoc tempus iam creatos esse licet non possit probari, tamen verisimilius est[2].

Sextum gradum in hierarchia ordinis obtinent diaconi. Apud omnes Catholicos constat diaconatum esse verum sacramentum a Christo institutum[3]. Iam Apostoli statuebant septem diaconos[4] viros plenos Spiritu Sancto eosque impositis manibus destinabant ad ministrandum mensis et altari[5]. Munus diaconorum iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam est ministrare episcopo vel presbytero in missa aliisque functionibus liturgicis. Necessitate flagitante diaconus potest cum debita commissione episcopi vel parochi administrare solemniter baptismum et S. Communionem et praedicare publice verbum Dei[6]. In casu

---

[1] Synodus Alexandr. (1898) subdiaconatum minoribus ordinibus adnumerat.

[2] «Ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi sc. acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur» (Conc. Trid. sess. 23, c. 2).

[3] Conc. Trid. sess. 23, can. 6. [4] Act 6, 3.

[5] Cf. Mamachi O. Pr., Dissertatio de septem diaconis, Romae 1749.

[6] Dicendi vi et eloquentia egregii sunt Sermones S. Ephraemi diaconi Syri. — Olim diaconi habebant praeterea alia munera, e. gr. curam viduarum, orphanorum, pauperum, oblationes accipiebant, sacra diptycha recitabant etc. Vide Devoti I, § 27. Praeter diaconos in Ecclesia primitiva etiam diaconissae seu diaconae laudabiliter serviebant presbyteris et episcopis. Officium earum erat ianuam, qua feminae intrabant ecclesiam, custodire (vocantur propterea a S. Ignatio in Ep. ad Antioch. *πυλωραί*), feminas catechizare, eleemosynas distribuere, assistere in administratione baptismi etc. Ad id munus deputabantur aliqua benedictione vel consecratione episcopi. Aliquando adhibebatur manuum impositio. Cf. Cabassutius, Dissert. de Diaconissis. Sed inde a saeculo VI videtur munus earum cessasse. Cf. Billuart, Tract. de ordine: Digressio historica de episcopabus, presbyterabus, diaconissis et subdiaconissis. Cf. etiam Kirchenlexikon s. v. Diakonissen.

urgentissimae necessitatis sufficit praesumpta commissio, in aliis casibus requiritur certe expressa commissio, quae quidem dari nequit sine rationabili causa. Quaenam autem sit rationabilis causa, disputatur[1].

Septimum gradum obtinent presbyteri seu sacerdotes. Sacerdotium esse verum ordinem a Christo institutum est de fide[2].

Notandum est, SS. Patres et S. Scripturam nomen presbyteri vel sacerdotis non raro adhibere etiam pro ipsis episcopis et vice versa[3], e. gr. S. Cyprianum (Ep. 83), S. Chrysostomum (In ep. ad Philipp.). Officium sacerdotis recte describit Pontificale Romanum dicens: «Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare.»

Octavum et ultimum gradum in hierarchia ordinis obtinent episcopi. Concilium Tridentinum definit sess. 23, c. 4 et can. 7: «episcopos esse superiores presbyteris ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent».

Ista definitio videtur esse contra doctrinam Calvini et Wiclef (quibus praeivit saeculo IV Aërius). Episcopi non tantum iure humano superiores sunt presbyteris — hoc enim ab omnibus admittitur —, sed etiam iure divino[4]. Sed si ulterius quaeritur, utrum episcopatus inadaequate sumptus, pro eo sc. quod addit simplici sacerdotio sit ordo stricte dictus seu sacramentum ordinis distinctum ab ordine presbyteratus, non concordant auctores. Magister Sent., Albertus Magn., S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Dom. Soto, Bonacina multique

---

[1] Cf. Moran O. Pr., Theol. mor. n. 1699, 1837.

[2] Conc. Trid. sess. 23, can. 1 2 3 4 6 7.

[3] Billuart, Diss. de episcopatu.

[4] Cf. ib., ubi optime solvuntur argumenta a Calvinista Blondello congesta ex S. Hieronymo aliisque sanctis Patribus.

alii ex veteribus negant, moderni communiter affirmant [1], sed ista quaestio potius ad Dogmaticam pertinet, unde illam hic transmittimus.

Scholion. De hierarchia in Ecclesia Graeca et Orientali nihil dicimus, cum pro diversitate rituum quinque vel sex vel octo ordines enumerentur et ibi sint etiam alii ordines in Ecclesia Latina incogniti ut e. gr. periodeutae, chorepiscopi, patriarchae etc. Videsis Scherer, Kirchenrecht I 313.

ARTICULUS II.

DE IPSA SACRA ORDINATIONE CLERICALI.

Cum in praecedenti articulo tractatum sit de statu clericorum deque hierarchia ordinis, superest ut nunc pauca dicantur de ipsa ordinatione qua hierarchia ordinis obtinetur. Pro ampliore doctrina remittimus ad excellens opus D. Gasparri, De sacra ordinatione.

Q. 59. *Quid notandum sit de ministro s. ordinationis?*

R. 1. Omnis episcopus rite consecratus **valide** confert omnes ordines, dummodo recipiens non sit de iure divino inhabilis, et dummodo substantialiter servet materiam et formam uniuscuiusque ordinis propriam. Ita docent hodie omnes theologi et canonistae catholici [2]. Non semper haec concordia doctrinae exsistebat.

---

[1] Cf. Billuart, Diss. de episc.

[2] Quodsi quidam antiqui canones Conciliorum vel quidam SS. Patres videntur ordinationes haereticorum tenuisse nullas et ideo reiterandas esse, hoc provenit vel quia verba: ordo, ordinatio, ordinare, ordinari apud antiquos non semper significabant sacramentum ordinis, sed quandoque restitutionem honoris et iurisdictionis suspensae, vel quia haeretici non adhibebant formam essentialem. Aliquos Patres tamen minus accurate de hac re sicut de reiteratione baptismi locutos esse ultro concedi potest, ut patet ex controversia inter S. Stephanum et S. Cyprianum de validitate baptismi haereticorum. Ceterum non

Si autem e. gr. ordinationes anglicanae a Leone XIII const. «Apostolicae curae» 13 Septembris 1896 declaratae fuerunt invalidae, hoc est quia episcopi anglicani non censentur rite ordinati. Econtra ordinationes Iansenistarum in Hollandia et Vetero-Catholicorum in Germania censentur esse validae, dummodo tamen essentialem formam sacramentalem adhibeant. Aliquando etiam simplices sacerdotes et praesertim abbates valide et licite conferunt ordines saltem minores[1]. Ex iure communi abbates regulares, dummodo sunt sacerdotes, possunt suis subditis professis dare tonsuram et ordines minores[2]. Utrum autem simplices sacerdotes vel abbates possint deputari, ut non tantum administrent subdiaconatum, sed etiam diaconatum, non concordant auctores. Quantum ad subdiaconatum non videtur adesse difficultas et afferuntur ex historia exempla indubia, quod abbates contulerint subdiaconatum[3].

Quantum vero ad diaconatum S. Thomas (Suppl. q. 38,, a. 1) negat illam posse conferri ab aliquo, qui

desunt exempla primae aerae christianae ostendentia ordinatos ab haereticis ut legitimos sacerdotes habitos esse. Cf. Billuart, De ord. diss. III, a. 2, § 2, ubi clare omnes difficultates oppositae solvuntur. Cf. etiam S. th. supp. q. 38, a. 2, et Lehmkuhl II 595. J. Hergenröther, Die Reordinationen der alten Kirche (Öster. Vierteljahrsschr. f. kath. Theol. I [1862] 207 ff), et praesertim L. Saltet, Les réordinations 42 ss 385 ss.

[1] Cardinales presbyteri possunt conferre primam tonsuram et ordines minores subditis suis in ecclesiis suorum titulorum. Innocentii XII const. «Romanus Pontifex» et Benedicti XIV const. «Ad honorandam». Attamen iuxta praxim modernam Romae servatam haec Cardinalium potestas nullius est utilitatis practicae. Si Cardinalis presbyter (qui non est episcopus) — et idem valet de abbate regulari — confert tonsuram et minores ordines alicui non subdito dubitatur de validitate talis ordinationis et proinde casu occurrente consulendus esset Summus Pontifex. Cf. Gasparri, De s. ordinat. n. 954 sqq.

[2] Conc. Trid. sess. 23, c. 10 de reform.

[3] Cf. Gasparri l. c. n. 798 et 949; Scherer, Kirchenrecht 328; Gelasius, Epist. (a. 494).

non est episcopus, et haec sententia est probabilior nec infirmatur privilegio valde dubio Cisterciensibus a. 1489 d. 9 Aprilis ab Innocentio VIII concesso [1].

Multo magis omnes theologi omnesque canonistae docent, presbyterum non posse delegari ad ordinationem alterius presbyterii.

2. Ad **licitam** ministrationem ordinationis requiritur ex parte ministri, quod episcopus ordinans sit proprius ordinandi episcopus. «Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur.» Ita Conc. Trid. sess. 23, c. 8 de reform. [2]

Proprius evadit episcopus ordinandi ex sequentibus titulis [3]:

a) Ratione originis, i. e. illius loci, quo pater legitimus tempore nativitatis ordinandi domicilium habuit [4]. Quodsi pater legitimus tempore nativitatis filii iam mortuus est, tunc domicilium matris videtur censeri locus originis sicuti etiam est pro filiis illegitimis [5]. Si autem ordinandus est neophytus pro origine probabiliter habetur etiam locus ubi est baptizatus [6] (absolute vel conditionate).

---

[1] Cf. Billuart l. c. a. 1. Quidquid est de privilegio illo Innocentiano, de quo videsis Pie de Langogne, Bulle d'Innocent VIII pour les ordinations in Sacris (Etudes franc. 1901, 129 ss). Ab eodem auctore de eadem materia tractatur in Anal. Eccl. IX 311 358 468, ubi etiam textus Bullae adducitur sed non ex originali quodam. Res dubia manet; certum est illud privilegium hodie iam non exsistere, cum Leo XIII Brevi «Non mediocri» 30 Iul. 1902 hoc implicite abrogaverit, concedens abbatibus Cisterciensibus privilegium «conferendi servatis servandis regularibus suis subditis primam tonsuram et quattuor ordines minores tantummodo».

[2] Cf. c. 1 2 3 (Conc. Nic.); c. 4 (Conc. Chalc.), D. 71; et c. 1 de temp. ord. in VI° 1, 9; et c. 2 ib. (Conc. Lugd. I).

[3] Cf. const. Innocentii XII «Speculatores» 4 Nov. 1694.

[4] Cf. S. C. C. 13 Sept. 1834 apud Lingen-Reuss, Causae sel. S. C. Conc. 2.

[5] Cf. Gasparri, De s. ordinat. n. 806.

[6] Const. Pauli III «Cupientes». Gasparri l. c. n. 807 823.

b) Ratione domicilii. Ut iste titulus adsit et quidem distinctus a titulo originis, requiritur, quod domicilii acquisitio sit probata

α) vel per decennalem habitationem [1];

β) vel per translationem «maioris rerum ac bonorum suorum partis cum instructis aedibus in locum huiusmodi». Ita S. C. C. d. 20 Decembris 1823 [2]; et in utroque casu necesse est iuramentum ordinandi se habuisse vere et realiter animum acquirendi domicilium [3].

Pro praxi quando episcopus vult ordinare aliquem, qui non est proprius subditus ratione originis vel domicilii commodius adhibetur medium excardinationis et incardinationis de quo infra n. e.

c) Ratione beneficii ille episcopus censetur proprius in cuius dioecesi ordinandus obtinuerit beneficium [4], quod

α) ordinandus debet iam pacifice possidere et quod

β) est per se sufficiens ad honestam sustentationem ordinandi [5], neque admittitur supplementum per patrimonium etiam pingue. — Praeterea necessariae sunt litterae testimoniales episcopi tum originis tum domicilii de vita, moribus, aetate, natalibus ordinandi.

d) Ratione familiaritatis vel famulatus efficitur quis proprius episcopus (dioecesanus, nam episcopo titulari hoc non licet ut patet ex Conc. Trid. sess. 14, c. 2 de reform.) alicuius clerici ordinandi, qui

α) ordinandum per completum triennium in sui servitio retinuerit et suis sumptibus aluerit et insuper

---

[1] Innocentii XII const. «Speculatores».

[2] Apud Lingen-Reuss l. c. n. 96.

[3] Ita const. «Speculatores». Cf. Many, De s. ordinat. n. 33.

[4] Sufficit beneficium manuale i. e. amovibile, ut patet ex causa Pientina S. C. C. 18 Iulii 1733. Habetur in Thesaur. Res. S. C. C. VI 111.

[5] Const. «Speculatores» et S. C. C. in causa Arimin. 17 Iulii 1723. Habetur in Thesaur. Res. S. C. C. II 309 et 338.

β) ordinando infra mensem a die ordinationis beneficium sufficiens conferat[1]. Utrum autem in hoc casu sufficiat ut episcopus loco beneficii proprie dicti conferat pensionem non concordant auctores. Sed sententia affirmativa videtur solide probabilis[2]. — Requiruntur litterae testimoniales sicut n. c dictum est.

e) Ratione incardinationis in clerum dioecesis. De hoc titulo notandum est aliter se res habere, quando laicus ab una dioecesi in aliam transmigravit ad ordines suscipiendos, et aliter quando clericus unius dioeceseos transit ad aliam ordines suscepturus.

Incardinatio clerici in aliam dioecesim supponit prius excardinationem ex alia dioecesi[3] et debet fieri

α) ex iustis causis i. e. quae verum bonum vel clerici vel dioecesis producunt;

β) scripto ex parte episcopi et iuramento ex parte recipiendi se esse perpetuo permansurum in nova dioecesi. Praescribit enim S. Congr. Conc. 24 Novembris 1906: «Incardinationem faciendam esse ab episcopo non oretenus sed in scriptis, absolute et in perpetuum i. e. nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam, ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius, quod constitutio «Speculatores» pro domicilio acquirendo praescribit»;

γ) praemissa seria informatione de moribus et scientia clerici sic transeuntis[4];

δ) prohibetur autem incardinatio alicuius clerici (et idem valet, de laico) qui ex seminario alterius dioecesis est dimissus. Decrevit enim S. C. C. d. 22 Decembris 1905: «Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum

[1] Conc. Trid. sess. 23, c. 9; c. 2 X 3, 5; S. C. C. 27 Iul. 1697 apud Schulte-Richter 197.

[2] Cf. Wernz, Ius decr. II 28, n. 51.

[3] S. C. C. 20 Iul. 1898. [4] Idem decretum S. C. C.

seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab episcopo oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis aut determinare, utrum iuste an iniuste alius episcopus egerit, aditum in suum seminarium praecludat.» Ut patet cogitanti, haec est tantum regula communis; minime autem tali clerico dimisso praecluditur recursus ad Curiam Romanam, si putet se esse iniuste ab episcopo suo dimissum. Talis dimissus potest quidem institutum religiosum intrare et, si superiores religiosi illum dignum iudicant, etiam s. ordines suscipere, sed si ex instituto religioso exeat, vetatur in dioecesim redire e cuius seminario dimissus fuerit [1].

Quando autem laicus vult ordines recipere ab episcopo, qui non est proprius illius ratione quattuor titulorum supra dictorum, requiritur et sufficit, ut habeat litteras dimissoriales sui episcopi, quae nonnisi iusta ex causa et quidem pro determinata dioecesi concedi possunt. Laicus qui sic incardinatur in novam dioecesim debet ante susceptionem tonsurae clericalis iuramentum [2] praestare, se perpetuo mansurum in nova dioecesi illique semper serviturum esse. Cum autem tale iuramentum non sit faciendum «ante maiorem aetatem» etiam susceptio tonsurae ad hoc tempus differendum est. Ita S. C. C. 24 Novembris 1906. Cum haec decisio a Summo Pontifice approbata sit, constitutio «Speculatores» partim abolita est. Quae supra dicta sunt de illo qui ex seminario alterius dioecesis dimissus est, etiam applicanda sunt, si agitur de incardinatione laici.

Proprius episcopus regularium exemptorum iuxta disciplinam Ecclesiae vigentem est episcopus, in cuius

---

[1] Ita etiam decretum S. C. C.

[2] Praescriptum in constitutione «Speculatores» Innocentii XII.

dioecesi situm est monasterium, in quo regularis ordinandus habitat[1]. Habent tamen aliqui ordines speciale privilegium hac de re iuxta const. Leonis XII «Plura inter» 11 Iulii 1826 et const. «Inter religiosas» 12 Martii 1828[2]. Novitii nondum professi probabiliter ordinari possunt ab eodem episcopo, a quo ordines suscipiunt professi. Ita S. Alphons., Theol. mor. l. 6, n. 765, Lehmkuhl, Theol. mor. II 597 aliique contra Wernz, Ius decr. II, n. 28, nota 60, Gasparri, De s. ord. n. 839, aliosque, quorum sententiam videtur amplecti S. Congr. Ep. et Reg. 9 Ianuarii 1895[3].

Contra episcopum, qui ordinare praesumpserit illos, qui non sunt proprii subditi, ex iure statuta est iuxta disciplinam nunc vigentem: «suspensio per annum ab ordinum administratione Summo Pontifici reservata ipso iure incurrenda contra ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut statim collati, sed minime sufficientis absque eius episcopi litteris dimissorialibus vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus»[4].

---

[1] Conc. Trid. sess. 23, c. 8 10 12 de reform.

[2] Cf. infra t. II, q. 234.

[3] Rogatus a FF. Min. Capuccinis ut declinandae militiae causa in subdiaconos ordinare vellet duos Novitios quorum alter origine suo ad alienam pertinebat dioecesim, Episcopus Cenomanensis ne in iure erraret causam proposuit S. Congregationi Ep. et Reg., quae respondit: «Cum agatur de Novitiis qui non sunt adhuc Regulares iuxta notissimum iuris praescriptum, quod sola professio religiosa facit aliquem Regularem, minime vero probatio . . . exinde sequitur quod enuntiati Novitii relate ad s. ordinationem considerandi sint veluti pertinentes ad respectivas dioeceses, non autem ut veri regulares. Idcirco antequam Novitii vota nuncupent, nequit episcopus eos nisi tamquam suos subditos ad s. ordines canonice promovere ad formam notissimae constitutionis Apostolicae ‚Speculatores'.» Haec responsio ab authentico exemplari transscripta est a Vermeersch, De religios. Instit. Document. CCXXIX.

[4] Ita Bulla «Apost. Sed.» a. 3.

Tempus sufficiens ad contrahendum impedimentum canonicum ab auctoribus censetur semestre moraliter continuum (non autem discontinuum), immo pro clericis, sive saecularibus sive regularibus, qui servitio militari addicti fuerunt, litterae testimoniales iam requiruntur, si per trimestre continuum in aliquo loco versati fuerunt[1]. S. C. C. 25 Iunii 1904 decrevit: «Ordinarium non teneri sub poena suspensionis ad testimoniales requirendas, nisi agatur de trimestri vel semestri moraliter continuis salvo iure episcopi inquirendi super idoneitate promovendi et testimoniales exigendi pro minore vel discontinua commoratione aut exigendi iuramentum suppletorium, si in Domino necessarium censuerit.»[2]

Q. 60. *Quid notandum sit de litteris dimissoriis et testimonialibus ordinandorum?*

R. 1. Litterae dimissoriae[3] vocantur litterae, quibus proprius ordinandi praelatus rogat vel designat aliquem episcopum, ut ordines conferat suo subiecto idoneo. Distinguuntur igitur litterae dimissoriae a litteris testimonialibus, quibus tantum attestatio conceditur authentica ordinandum habere sufficientem scientiam, bonos mores, aetatem et esse liberum ab impedimentis canonicis.

2. Quisnam possit licite concedere litteras testimoniales et dimissorias pro regularium ordinatione vide infra t. II, q. 235.

3. Ordinandis non pertinentibus ad ordines exemptos litteras testimoniales et dimissorias concedere potest Papa

---

[1] S. C. super Disc. Reg. 27 Novembris 1892; S. C. C. 9 Septembris 1893.

[2] Apud Anal. Eccl. a. 1904, p. 241.

[3] Litterae dimissoriae vocantur etiam litterae formatae (c. 7, D. 71) et antiquis temporibus inducebant excardinationem ex dioecesi (c. 1, C. XXI, q. 2) cum quilibet clericus ordinari soleret pro aliquo determinato titulo (ecclesia), cui per totam vitam addictus fuit ordinatione suscepta.

pro universa Ecclesia; Legati a latere subditis provinciae suae legationis (communiter saltem loquendo); episcopus proprius rite confirmatus etsi nondum consecratus suis dioecesanis; vicarius capitularis infra annum sedisvacantiae nonnisi clericis dioecesanis arctatis, uti vocant, ad ordines suscipiendos [1].

4. Litterae testimoniales requirendae sunt ab episcopo, in cuius dioecesi ordinandus post annos pubertatis i. e. 14 annorum (non autem ante id tempus) ultra semestre continuum, et si agitur de illis qui militiae adscripti fuerunt, per trimestre commoratus fuit [2].

5. Quid litterae dimissoriae et testimoniales continere debeant, vide in formulario infra t. II.

6. Si litterae testimoniales non sufficientem notitiam de moribus et clerici vita afferunt, tunc episcopus ordinans potest a clerico ordinando exigere «iuramentum suppletorium», qua suppletur attestatio per litteras Ordinarii praebenda [3].

Q. 61. *Quid requiratur ad validam et licitam susceptionem ordinum ex parte ordinandi?*

R. 1. Ad **validam** susceptionem ordinum requiruntur ex parte ordinandi: sexus masculinus, baptismus fluminis valide susceptus, intentio suscipiendi ordines, et si ordo episcopatus suscipiendus est, requiritur de valore, quod ordinandus sit sacro presbyteratus ordine insignitus [4].

---

[1] Cf. Conc. Trid. sess. 7, c. 10 de reform. et sess. 23, c. 10 de reform.

[2] Innocentii XII const. «Speculatores»; cf. Wernz l. c. et supra q. praec.

[3] Cf. S. C. C. 25 Ian. 1895 (Anal. Eccl. a. 1865, p. 16).

[4] Ita sententia communissima. Iam S. Raymundus de Peñaforte (Summa l. 3, tit. 22, § 7) asseruit: «Dicunt fere omnes doctores, quod nullo modo potest esse episcopus, nisi sit sacerdos.» Oppositam sententiam tamquam probabilem tenent Gasparri l. c. n. 26 et Many, De s. ordinat. n. 5; Wernz l. c. II, n. 91, sed infundate.

Ad singula breviter sequentia notentur: femina est iure et divino et ecclesiastico incapax suscipiendi ordines [1]; baptismus autem est ianua omnium sacramentorum et sine valido baptismo praevio nullum sacramentum valide recipi potest [2]. Intentio suscipiendi ordinem requiritur, quia nemo contra suam voluntatem aliquod sacramentum recipere potest; valide tamen etiam infans ordinaretur [3]; episcopatus vero cum sit complementum presbyteratus non potest valide suscipi sine suo fundamento i. e. presbyteratu. Ad sacerdotii vero valorem (et idem valet a fortiori de aliis ordinibus) non requiri ceteros ordines praevios certum est.

2. Ad **licitam** susceptionem ordinum requiruntur vocatio divina, gratia sanctificans, sacramentum confirmationis susceptum, exercitia spiritualia peracta, examen de scientia et moribus, litterae testimoniales, libertas ab irregularitatibus, interstitia servata, titulus pro ordinibus maioribus, observantia Rubricarum Pontificalis Romani. De titulo ordinationis infra specialius investigabitur. De reliquis sequentia meminisse sufficit:

a) Vocationem divinam requiri ad ordines suscipiendos patet ex gravibus difficilibusque obligationibus, clericis incumbentibus [4]. Unde S. Apostolus dicit: «Nec

---

[1] Cf. 1 Cor 14, 34 et c. 10 X 5, 39.

[2] C. 1 2 3 X 3, 43.

[3] Ordinandus, qui intrinsece renuit ordines suscipere, etsi extrinsecus ficte consensum dederit, vi aliisque motivis inductus, invalide ordines suscipit. Casu autem, quo talis invalide ordinatus reclamaret libertatem ab obligationibus clericorum, processus iudicialis instituendus est haud dissimilis processui de nullitate professionis religiosae. Cf. infra t. II, q. 62.

[4] Signa vocationis divinae sunt: probitas vitae vel saltem vita serio et diuturne emendata, recta intentio qua quis quaerit non ea quae sua sunt, sed gloriam Dei et propriam perfectionem; aptitudo ad subeunda munera status clericalis. Unde gravissimi momenti est munus directoris spiritualis, qui alumnos debet efformare et probare ad statum clericalem.

quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron» (Hebr 5, 4).

b) Gratia sanctificans requiritur, quia sacramentum ordinis est sacramentum vivorum. Etsi autem iuxta plures ordines minores non sint sacramenta, cum tamen opposita sententia sit certe probabilis, esset speciale peccatum suscipere etiam ordines minores in statu peccati mortalis. Utrum sit peccatum mortale, disputant auctores [1].

c) Sacramentum confirmationis requiritur tum ex Conc. Trid. sess. 23, c. 4 de reform. tum ex Pontificali Romano, attamen probabilius sub levi tantum [2].

d) Exercitia spiritualia ordinum susceptioni praemittenda non quidem praescribuntur a iure communi, sed convenientissime requiruntur tum ex consuetudine tum statutis particularibus [3]. S. Carolus Borromaeus a. 1576 videtur fuisse primus qui pro suo clero exercitia spiritualia ante susceptionem ordinum maiorum praescripserit. S. Vincentius a Paulo hunc sacrum recessum maxime commendavit et Benedictus XIV scripsit totam dissertationem «de exercitiis spiritualibus, quibus vacare debent qui ad sacros ordines promovendi sunt» [4]. De duratione et modo istius sacri recessus servandae sunt legitimae consuetudines.

e) Examen de qualitatibus ordinandorum praescriptum est a Concilio Trid. sess. 23, c. 7 de reform. [5]: «Episcopus sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.» — Etiam regulares exempti ad ordines promovendi, nisi habeant speciale privilegium,

[1] Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. II 607.
[2] S. Alphons., Theol. mor. 786. Lehmkuhl l. c. II 600.
[3] Cf. Wernz, Ius decr. II, n. 36. [4] Instit. eccl. 104.
[5] Cf. c. 5, D. 24 (Conc. Nanet.).

tale examen subire tenentur, ad minus in proprio ordine, antequam superior concedat litteras testimoniales et dimissorias. De episcopi iure examinandi regulares ordinandos quoad scientiam tantum et de specialibus statutis pro Urbe et Italia vide infra t. II, q. 236. Quae Concilium Tridentinum sess. 23, c. 4 5 13 et 14 de reform. statuit de ambitu scientiae ordinandorum hodie legibus particularibus magis determinatum et ampliatum est, e. gr. pro clericis regularibus decreto «Auctis admodum»[1]; pro universo clero Romano per Motu proprio «Sacros. Trid. Syn.» die 16 Iul. 1905.

Clerici saeculares (non autem regulares), «qui ad singulos maiores (ordines) erunt assumendi per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in ecclesia[2] propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quam primum transmittat»[3]. Hae quidem proclamationes a Tridentino praescriptae non in omnibus dioecesibus fiunt, sed testimoniis parochorum et superiorum seminarii supplentur; S. Congregatio Inquisitionis tamen admonet episcopos, ut «sedulo curent, ne parochi praetermittant, quae cauta sunt per Conc. Trid. sess. 23, c. 5 de reform.»[4] Videtur igitur sine speciali licentia S. Sedis consuetudo contraria non satis legitima[5].

---

[1] Cf. infra t. II, q. 235.

[2] Id est in ecclesia parochiali originis, vel domicilii, quod ordinandus post annum XIV suae aetatis acquisivit. Cf. Many, De s. ordinat. n. 119.

[3] Conc. Trid. sess. 23, c. 5 de reform.

[4] S. C. Inqu. 27 Apr. 1888.

[5] Iuxta antiquam praxim examen ordinandorum pertinebat ad archidiaconum et propterea adhuc nostris diebus episcopus ordinans quaerit a sacerdote vicem archidiaconi gerente: «Scis illos (ordinandos) dignos esse?» Et ille sacerdos respondet: «Quantum humana fragilitas

f) Rubricae Pontificalis Romani praescribunt pro ordinatione:

α) legitimum tempus, sc. pro consecratione episcoporum Dominicam vel natalitia Apostolorum, pro ordinibus sacris sabbata quattuor temporum, ante Dominicam Passionis et ante Pascha; ordines minores vero conferri possunt etiam diebus Dominicis et festivis atque Missae celebratio non rigorose requiritur. Tonsura clericalis potest dari quavis die et hora[1]. Hodie exsistunt plura privilegia et indulta conferendi et recipiendi ordines «extra tempora»[2]; sed nunquam licet conferre ordines maiores extra Missam;

β) observationem interstitiorum. Iuxta Concilium Tridentinum inter ordines minores intercedat oportet aliquod interstitium, sed episcopus ex qualibet rationabili causa dispensare ab hac lege potest; unde consuetudo iam obtinuit quattuor ordines minores simul cum tonsura eodem die conferre. Inter ordines minores autem et subdiaconatum et inter singulos ordines maiores intercedat unus annus, nisi episcopo aliter videatur et suadeat utilitas Ecclesiae[3]. «Duo sacri ordines non eodem die etiam regularibus conferantur.»[4] Pariter nec eodem die quattuor ordines minores simul cum subdiaconatu licet recipere[5]. —

---

nosse sinit et scio et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii.» Haec interrogatio et responsio videntur hodie esse mera caeremonia, cum examen ordinandorum iam non ad archidiaconum pertineat. Proinde ille sacerdos, qui vicem archidiaconi in ordinatione gerit, supradictam responsionem potest tuta conscientia dare fretus testimonio aliorum, de idoneitate ordinandorum, dummodo tamen ipse non sit persuasus de indignitate alicuius ordinandi. Ita iam statuit Innocentius III in c. un. X 1, 12. Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 69.

[1] Cf. Gasparri, De s. ordinat. n. 50 sqq.

[2] Cf. infra t. II, q. 237.

[3] Conc. Trid. sess. 23, c. 11 13 15.

[4] Conc. Trid. l. c. c. 13.

[5] C. 2 X 5, 30. S. C. C. 29 Ian. 1707; 21 Febr. 1728 in causa Calaritana. Ad hanc causam scripsit doctissimas adnotationes Prosper

Ex privilegio regulares non tenentur ad interstitia servanda [1];

γ) caeremonias determinatas in collatione cuiusque ordinis. Istae caeremoniae vel sunt essentiales i. e. materiam et formam sacramenti respicientes, vel accidentales. Non semper planum est, quae sint caeremoniae essentiales, quae vero accidentales et propterea tot dubia circa valorem ordinationis susceptae cum aliquo defectu SS. CC. Officii et Concilii quolibet anno proponuntur. De caeremoniis ritibusque in singulis ordinibus conferendis non vacat hic tractare [2]. Cf. Pontificale Rom.;

δ) ne ordines conferantur per saltum. Haec prohibitio iam a Siricio (a. 385) facta [3] confirmata est ex iure Decretalium [4] et ex Concilio Tridentino [5]. Attamen nihilominus non semper ordines maiores collati fuere praemissis (saltem omnibus) ordinibus minoribus [6]. Qui per saltum ordines suscepit, valide quidem ordinatur (excepto episcopatu, de quo supra), sed nequit ordines susceptos licite exercere, nisi prius ordinem praetermissum valide receperit [7];

ε) debitum locum. Prima tonsura conferri potest quolibet loco honesto, ordines minores in loco sacro, ordines maiores in cathedrali praesentibus canonicis vel si alibi conferantur ex rationabili causa praesenti clero locali [8].

Lambertini (postea Benedictus XIV) explicans clare et succincte totam doctrinam de interstitiis. Videsis Thesaur. Res. S. C. C. IV 161 sqq.

[1] Cf. infra t. II, q. 237.

[2] Videsis Gasparri l. c. n. 983 sq.

[3] Cf. c. 29, C. XVI, q. 1. [4] C. un. X 5, 29.

[5] Sess. 23, c. 14 de reform.

[6] Cf. S. Thom., In 4 sent. dist. 24, q. 1, a. 2 ad 5.

[7] C. un. X 5, 29 et Conc. Trid. sess. 23, c. 14 de reform.

[8] Conc. Trid. sess. 23, c. 8 de reform. et plures decisiones S. C. C. apud Schulte-Richter in editione Conc. Trid.

Q. 62. *Quid sit titulus requisitus ad licitam ordinationem?*

R. 1. Titulus ordinationis iuxta antiquam disciplinam significavit in foro ecclesiastico clerici incardinationem inter clerum alicuius tituli i. e. certae ecclesiae. Cum quaelibet ecclesia denominetur a suo Patrono seu Sancto titulari, hinc ipsae ecclesiae vocatae sunt tituli [1]. Cardinales adhuc creantur e. gr. titulo S. Praxedis, i. e. ecclesiae S. Praxedis. Incardinatio clerici in aliqua ecclesia duplicem effectum produxit: clericus debuit per totam vitam inservire huic ecclesiae, et viceversa ista ecclesia debuit clerico congruam sustentationem providere [2]. Titulus vero ordinationis iuxta vigentem disciplinam coarctatus est et significat reditus clerico sustentationem congruam praestantes vel melius definitur cautio legitima de congrua et perpetua sustentatione clerici [3]. «Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere . . . statuit sancta Synodus, ne quis deinceps clericus saecularis . . . ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.» [4]

2. Titulus ordinationis non est necessarius pro ordinibus minoribus, sed tantum pro ordinibus maioribus [5].

3. Omisso iure antiquo omissisque indultis specialibus, praesertim quattuor tituli iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam sunt in usu et ante ordinationem subdiaconi publicandi sunt ab archidiacono.

---

[1] Cf. Ducange, Glossar. Latin. s. v. Titulus, et Devoti I, sect. 2, § 9, n. 2.

[2] De historia titulorum ordinationis videsis Thomassinus, Nov. et vet. disc. p. II, l. I, c. 9 vel Sägmüller, Kirchenrecht § 51.

[3] Cf. c. 4 X 3, 5 et Conc. Trid. sess. 21, c. 2 de reform.

[4] Conc. Trid. l. c. [5] Cf. Conc. Trid. l. c.

a) Titulus beneficii ecclesiastici, qui est pacifica possessio veri et perpetui beneficii ecclesiastici, quod ad honestam clerici sustentationem iuxta regionis morem sufficit[1]. Iste titulus fuit olim usitatissimus, sed hodiernis temporibus rarius usu venit. Multas decisiones S. C. C. de hoc titulo videsis apud Schulte-Richter, Conc. Trid. 113 vel apud Lingen-Reuss, Causae sel. 14 sqq.

b) Titulus patrimonii constituitur bonis (immobilibus) certis et propriis clerici ordinandi. Episcopus pro suo arbitrio vel pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum admittere potest patrimonium[2] ut titulum tantum subsidiarium et extraordinarium[3]. Bona hunc titulum constituentia debent esse certa et sine consensu episcopi alienari nequeunt. Fere idem ac titulus sacri patrimonii est.

c) Titulus pensionis constituitur ex certo censu clerico concesso. Non requiritur pensio canonica i. e. proveniens ex bonis ecclesiasticis, sed sufficit etiam pensio civilis. Concilium enim Tridentinum nullam distinctionem faciens dicit generaliter: «Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari possunt.» Sed neque iste, neque etiam praecedens titulus sufficit, nisi simul adsit necessitas aut commoditas Ecclesiae S. C. C. 9 Sept. 1679[4].

Aliquando enumeratur titulus familiaritatis tamquam titulus ordinationis, sed immerito. Familiaritas triennalis potest quidem efficere ut episcopus fiat proprius episcopus alicuius ordinandi[5], sed ipsa non est in stricto sensu titulus ordinationis. Requireretur igitur in hoc

---

[1] Conc. Trid. l. c. [2] Conc. Trid. l. c.

[3] Cf. Devoti I, sect. 2, § 9, n. 3, et S. C. C. 13 Maii 1679 apud Anal. Eccl. XIV 308.

[4] Quantitas sufficientis pensionis determinari solet iuxta diversas dioeceses. Parisiis requiritur pensio annua 400 *Fr.*, Romae 320 *Fr.* (cf. Many, De s. ordinat. n. 137).

[5] Cf. supra q. 59 d et Conc. Trid. sess. 23, c. 9 de reform.

casu praeter familiaritatem titulus beneficii, pensionis vel patrimonii (cf. Devoti I, sect. 2, § 13, n. 7).

d) Titulus paupertatis (vocatur aliquando titulus religionis) est sustentatio religiosis solemniter professis a proprio ordine concessa [1]. Ex iure communi nonnisi solemniter professi isto titulo ordinari possunt et proinde casu quo simpliciter professus s. subdiaconatum recipere coarctetur ante elapsum triennium, quod debet intercedere inter professionem simplicem et solemnem; aut deberet ordinari alio titulo, vel iuxta recentem Curiae Romanae praxim, dispensatione pontificia praemissa, statim professionem solemnem emittit et tunc legitime ordinatur titulo paupertatis [2]. Ex privilegio autem subditi plurium institutorum religiosorum possunt ordinari titulo paupertatis vel mensae communis etiam post vota simplicia emissa, e. gr. Iesuitae [3], Redemptoristae [4].

Scholion. Quattuor tituli recensiti iam inde a temporibus Concilii Tridentini tamquam legitimi habebantur. Nostra vero aetate disciplina vigens non parum mutata est hac in re; nam in regionibus S. Congr. de Prop. Fide subiectis ordines sacri solent conferri titulo missionis. In Germania frequenter occurrit titulus mensae episcopalis, qui consistit in promissione certa, clerico concedendi semper sustentationem honestam, casu quo citra propriam culpam inhabilis factus sit ad lucrandum decentem victum. In Hungaria sufficiens censetur titulus servitii dioecesani. In Gallia episcopi, benigne annuente Sede Apostolica, ab obligatione tituli, urgente necessitate subditos suos dispensant vel absolute vel ad tempus [5]. Pro republica

[1] S. Pius V, Const. «Romanus Pontifex» 14 Oct. 1568.
[2] Cf. infra t. II, q. 235.
[3] Const. Gregorii XIII «Ex Sedis Apost.» 28 Febr. 1573.
[4] Const. Leonis XII «Inter religiosas» 11 Martii 1828.
[5] Cf. Marc-Huguenin, Expos. meth. n. 269.

Mexicana titulus administrationis approbatus est[1]. Ex quibus omnibus patet, Sanctam Sedem hodiernis temporibus non ita urgere legem de titulo canonico habendo in sacra ordinatione[2]. Ratio est, quia laudabili industria episcoporum et laicorum in qualibet dioecesi exsistunt media opportuna pro sustentatione honesta omnium clericorum digne viventium. Quocirca in praxi rarissime duae suspensiones latae in Bulla «Apost. Sedis» contra episcopos non observantes leges de titulo ordinationis evenire posse videntur: «Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta» et «Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.»

Casu quo clericus titulum in sua ordinatione habitum amisit, debet sibi novum titulum procurare. Quod praesertim usu venit in dimissione et saecularizatione clericorum regularium[3].

Scholion II. Nunc quidem agendum esset de irregularitatibus utpote impedimentis sacrae ordinationis, sed quia iste tractatus sufficienter habetur in modernis Manualibus Theologiae moralis, nos brevitati studentes illum omittimus remittentes studiosum lectorem ad suum Manuale Theologiae moralis, vel si ampliorem doctrinam quaerit ad excellentia opera D. Gasparri, De sacra ordinatione, et P. Wernz II, n. 95—150. Ceterum de privilegiis regularium in dispensandis irregularitatibus satis tractatur infra t. II, q. 240 sqq.

---

[1] Cf. Acta S. Sedis XII 569 et Wernz, Ius decr. II, n. 70.

[2] Una tamen Sancta Sedes et non episcopus dispensare potest ut clericus sine titulo ordinetur, quippe qui iure communi praescribatur. Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. n. 290.

[3] Cf. infra t. II, q. 116.

ARTICULUS III.

DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS STATUS CLERICALIS.

Q. 63. *Quaenam sint iura et privilegia status clericalis?*

R. Omissis privilegiis et iuribus clericorum singulis gradibus et officiis propriis, de quibus suis locis sermo redibit, sequentia iura et praerogativa generaliter statui clericali competunt:

1. Potestas ordinis et iurisdictionis plus minusve perfecta, de quibus recole supradicta. Hic tantum per transennam notetur clericos in ordinibus minoribus constitutos posse ex rationabili causa supplere vices subdiaconi in Missa solemni. Sic enim statuit S. Rit. Congregatio die 14 Mart. 1906: «Clericus ad munus subdiaconi obeundum in Missa solemni non deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem tonsura initiatus. Clericus pro subdiacono inserviens alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia quae ad subdiaconum ex Rubricis spectant rite expleat hisce tamen exceptis: a) aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu diaconus praestabit; b) calicem ipsum infra actionem (i. e. canonem) nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat, aut super eum reponat; c) post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso celebrante), sed tantum illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.» [1]

Diaconi possunt ex **commissione** episcopi vel parochi licite administrare sacramentum Eucharistiae in casu necessitatis, cum nullus sacerdos adest, qui Eucharistiam dare commode potest. Idem valet de solemni admini-

[1] Cf. bonam explicationem huius decreti iuxta ritum S. Ordinis Praed. in Anal. O. Pr. VII 670.

stratione baptismi. Ergo necessitate non exsistente diaconus illicite ageret, administrans ista duo sacramenta et episcopus vel parochus etiam illicite ageret tunc talem licentiam concedens; attamen diaconus in neutro casu irregularitatem incurreret. Cf. Gasparri l. c. n. 341 et 1153, qui putat etiam necessitate non exsistente diaconum posse ex delegatione administrare ista sacramenta; cf. etiam Lehmkuhl II 65, qui requirit delegationem et mediocrem necessitatem.

2. Privilegium canonis, fori et immunitatis. Haec tria privilegia non tantum clericis sed omnibus personis religiosis competunt. De his sufficienter dicitur in tractatu de privilegiis regularium infra t. II, q. 217—220.

3. Privilegium competentiae, quod etiam privilegium Odoardus vocatur (quia c. 3 X 3, 23, ubi agitur de hoc privilegio incipit verbo Odoardus), consistit in beneficio, vi cuius clerico debitis onerato nemo potest capere eam fructuum partem, quae ad ordinati sustentationem (non laute sed tenuiter vivendo) iudicis ecclesiastici arbitratu fuerint necessaria[1]. Hodiernis diebus tale ius competentiae non tantum clericis sed etiam aliis officialibus civilibus agnoscunt plurium regionum codices civiles, e. gr. in Germania, ubi non licet pignore coacte accipere a sacerdotibus annua pensio 1500 *M* (§§ 749 et 715 in Z.P.O.).

Scholion. Privilegia clericorum (non autem potestas ordinis) possunt multis modis amitti, e. gr. a clericis bigamis, a clericis minoribus, qui habitum clericalem dimittunt, a degradatis, a clericis etiam maiorum ordinum, qui artem ignominiosam exercent, e. gr. ioculatoris seu goliardi, marcellarii, tabernarii etc.[2], de quibus infra sermo redibit.

---

[1] Cf. Schulte Richter; Conc. Trid. sess. 21, c. 2, n. 26. Cf. etiam Aichner, Comp. iur. eccl. § 70.

[2] Cf. Wernz II, n. 172.

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONIBUS STATUS CLERICALIS SEU DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Q. 64. *Quid praescripserit ius de vita et honestate clericorum?*

R. Cum status clericorum tot privilegiis et praerogativis sit elatus, congruum, immo et necessarium est, ut et vita eorum tantae dignitati correspondeat. Et ideo clerici non tantum coram Deo sancte et iuste vivere, sed etiam tamquam exemplaria omnium virtutum coram hominibus apparere debent. Optimo iure dicit Conc. Trid. sess. 22, c. 1 de vita et honestate clericorum: «Decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant, levia etiam delicta quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo maiore in Ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda, statuit sancta Synodus, ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus, necnon saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis, vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur; nec appellatio executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat.» Ex his verbis patet statuta, quae habentur in Corpore iuris titulo de vita et honestate clericorum[1] non solum non revocata sed auctoritate Concilii Tridentini confirmata esse.

[1] Apud Greg., in VI° et in Clement.

Fatendum tamen est nonnulla particularia statuta mutatis temporibus etiam mutata esse iure consuetudinario legitimo. Quae a iure canonico singulatim statuta sunt ad haec capita, reduci possunt: interior sanctitas, exterior modestia, et impedimenta utriusque.

Q. 65. *Quomodo a clericis sit acquirenda sanctimonia vitae necessaria?*

R. a) Pietate erga Deum, quae praecipue colenda est oratione, meditatione, officio divino et celebratione sacrificii Missae. Si illud S. Augustini: bene noscit vivere, qui bene noscit orare, verum est pro omnibus christianis, hoc a fortiori valet pro clericis et sacerdotibus. Hinc viri ecclesiastici saepissime a Conciliis admonentur, ut sint orationi instantes, spiritu ferventes[1]. Idem valet de meditatione aliisque exercitiis pietatis, quae clero saeculari statutis particularibus saepe praescribuntur, clero vero regulari propriis constitutionibus ordinis mandantur. Quantum ad officium divinum sequentia breviter notantur. Obligatio divinum officium vel horas canonicas persolvendi oritur ex triplici titulo sc. ex ordine sacro, ex beneficio ecclesiastico et ex professione religiosa. De obligatione orta ex professione religiosa cf. quae dicuntur infra t. II, q. 130—139. Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam principium generale est: Omnes clerici in maioribus ordinibus constituti ad Ecclesiam Occidentalem pertinentes et pariter omnes clerici etiam minorum ordinum possidentes utiliter beneficium ecclesiasticum tenentur sub peccato mortali quotidie dicere officium divinum iuxta formam suae Ecclesiae approbatam. In Ecclesia Orientali mitior est disciplina. Ibi a S. Congregatione

[1] Cf. Benedictus XIV, Encycl. «Ubi primum» 3 Dec. 1740, et Pii IX Encycl. «Qui pluribus» 9 Nov. 1856.

de Prop. Fide statutum est generaliter: «Clerici sequantur praxim aliorum piorum sacerdotum illius regionis.» [1]

Cum oratio sit tam necessaria pro clericis et tam excellens actus religionis, ut verus cultus divinus sine illa habere nequeat, hinc tum in Vetere tum in Novo Testamento certae horae diei publico mandato fuerunt destinatae orationi. Praelucente exemplo Salvatoris, qui in oratione solebat pernoctare [2], orationes nocturnae praesertim a monachis primae aerae christianae habitae sunt, orationes vero diurnae hora tertia, sexta, et nona iam tempore Apostolorum introductae fuerunt [3]. Labente tempore tum clerici tum monachi statutis particularibus vel iure consuetudinario ad horas canonicas adigebantur. Unde Concilium Agath. (a. 506) citatum in c. 1 X 3, 41 praescribit: «Presbyter mane matutinali officio expleto pensum servitutis suae videlicet. Primam, Tertiam, Sextam, Nonam persolvat.» Beneficiatis clericis expresse praescribitur recitatio officii divini a Leone X const. «Supernae» 5 Maii 1514 et a Pio V const. «Ex proximo» 20 Sept. 1571. Clara, expressa et undequaque completa lex scripta de obligatione divini officii non exsistit, sed obligatio desumitur ex antiquissima consuetudine, quae vim legis obtinuit [4].

Obligatio divini officii est per se gravis, unde est peccatum mortale, si clericus in maioribus ordinibus constitutus, vel beneficiatus, vel religiosus solemniter professus sine sufficiente causa excusante, notabilem partem divini officii aliqua die omittit.

Notabilis autem pars communiter censetur parva Hora vel quid aequivalens. Si quis ex pluribus horis partem

---

[1] Cf. Wernz II, n. 195. [2] Cf. Lc 6, 12.

[3] Act 2, 15; 3 1; 10, 9.

[4] De historia Breviarii cf. optima opera: Batifoll, Histoire du Bréviaire (a. 1893); Bäumer, Geschichte des Breviers (a. 1895).

omisit, hae omissiones utique intra diem (non autem intra spatium plurium dierum) coalescunt; quare si tantum evadunt, quantum parvae Horae aequivalet, materia gravis est[1]. Si autem quis in officio chorali parvas partes omittit impeditus aliquo opere ad chorum pertinente, e. gr. qui pulsat organum, vel qui quaerit antiphonas, nihilominus satisfacit officio divino, quia tunc chorus censetur supplere[2]. Integrum officium unius diei uno praecepto iniungitur, hinc qui proponit integrum officium unius diei omittere et reapse omittit, unum peccatum committit[3] et non tot, quot sunt partes aequivalentes parvae Horae. Officium divinum debet recitari iuxta formam praescriptam i. e. iuxta Breviarium Romanum vel iuxta Breviarium a S. Sede permissum. Propria Breviaria habent adhuc nostris diebus, e. gr. Benedictini, Praemonstratenses, Dominicani et plures Ecclesiae cathedrales. In recitatione chorali utendum est sub poena non satisfaciendae obligationis Breviario proprio. In recitatione vero privata ex rationabili causa probabiliter satisfit strictae obligationi utendo quolibet Breviario approbato[4], nisi tamen superiores usum Breviarii Romani vel alterius Breviarii specialiter prohibuerint[5]. A gravi obligatione divini officii recitandi excusat impossibilitas moralis vel legitima dispensatio. Cum in praxi sit saepe difficile immo et periculosum discernere, utrum adsit impossibilitas moralis necne, praestat recurrere ad remedium dispensationis, quam episcopi et superiores regulares possunt auctoritate propria dare in casu particulari, et quam saepe etiam habituaLiter dare possunt plus minusve limitate ex privilegio

---

[1] Lehmkuhl II 627.

[2] Salmant., Theol. mor. tract. XVI, c. 1, 19; cf. infra t. II, q. 136.

[3] Noldin, S. th. mor. I 746.

[4] S. Alphons., Theol. mor. l. 4, n. 158; cf. Noldin l. c. n. 749.

[5] Cf. infra t. II, q. 136.

vel indulto speciali [1]. Seclusa speciali facultate confessarii non possunt dispensare in recitatione divini officii, possunt tamen declarare ex legitima causa legem in hoc casu non obligare. De modo recitandi divinum officium cf. infra t. II, l. c. Sententiae tam acriter controversae: etiam praeciso indulto licere Matutinum et Laudes sequentis diei semper anticipare hora secunda pommeridiana, non est deneganda saltem probabilitas extrinseca et propterea in praxi nemo inquietandus est, qui sequitur hanc sententiam [2]. Ex decreto »Supernae» Concilii Lateranensis V et ex constitutione S. Pii V «Ex proximo» clerici verum beneficium utiliter possidentes, qui elapsis sex mensibus post obtentum beneficium culpabiliter omittunt officium divinum recitare, restituere debent fructus beneficii et quidem pro rata partis omissae. Haec poena obligat in conscientia ante sententiam iudicis [3]. Restitutio debet fieri in pias causas vel in fabricam beneficiorum et quidem pro rata omissionis. Hinc beneficiatus, qui vi beneficii non tantum tenetur officium dicere, sed etiam curam animarum agere ut parochus vel episcopus, potest non obstante omissione officii sibi retinere partem fructuum [4]. Obligatio restitutionis urget pro singulis diebus immo pro singulis horis canonicis omissis. Qui ergo totum officium unius diei omittit, debet etiam restituere fructus uni diei respondentes, qui omittit Matutinum et Laudes debet restituere dimidiam partem unius diei, qui unam Horam tantum omittit, debet restituere sextam partem

---

[1] Cf. infra t. II., q. 137.

[2] Cf. Noldin II 763; Lehmkuhl II 625.

[3] Prop. 20 ab Alexandro VII damnata 24 Sept. 1625: «Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis, eo quod sit poena.»

[4] Noldin II 747 putat in hoc casu beneficiatum posse sibi retinere novem partes et nonnisi decimam partem fructuum restituat necesse esse.

fructuum unius diei[1]. Clericus beneficiatus, qui etsi legitime monitus nihilominus officium divinum non recitat, potest privari beneficio[2].

Quod susceptionem sacramenti poenitentiae attinet, iure communi clerici obligantur sicut ceteri fideles, attamen statutis dioecesanis haud raro hebdomadaria confessio vel de quindena in quindenam salubriter clericis praescripta est. Idem valet de susceptione Eucharistiae et celebratione Missae. De presbyteris vero statuit Concilium Tridentinum sess. 23, c. 14 de reform.: «Curet episcopus, ut ii (presbyteri) saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.» Hodiernis temporibus, quibus Pius X omnes fideles tam instanter adhortatur ad frequentem communionem, omnes sacerdotes, nisi sint legitime impediti, Missas quotidie celebrent.

b) virtutum exercitio. Clerici omnes virtutes debent habere et etiam data occasione exercere. Debent enim exemplo aliis praelucere in sublimi statu

---

[1] Mirum est, quam diversimode canonistae et theologi explicent verba Pii V in citata constitutione: «Statuimus ut qui Horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent, qui vero Matutinum, tantum dimidiam; qui ceteras alias Horas, aliam dimidiam; qui Horam singulam, sextam partem fructuum eius diei amittant.» Mazzota apud Lehmkuhl II 641 et Noldin II 747 hanc sextam partem ita explicant, ut sit sexta pars respondens officio diurno, seu duodecima pars fructuum officio integro respondentium. D'Annibale (Summula Theol. mor. III, n. 64) putat, quota pars restituenda sit, id relinquere arbitrio boni viri, qui rem varie ex officiis metiri debebit. Lehmkuhl recte putat eleemosynas, quae post commissum peccatum neglecti officii divini datae sunt; etsi sine recordatione restitutionis faciendae, computari posse propter uniuscuiusque interpretativam intentionem prius satisfaciendi obligationibus strictis, quam merae liberalitati. Haec sententia videtur esse practice tuta, dummodo tamen non computentur eleemosynae, quas quis iam ex alio titulo donare tenetur.

[2] Cf. Wernz II, n. 195.

constituti. Non tantum res sacrosanctas tractare eos oportet, verum etiam ex pulpito, in confessionali, in scholis fideles docere omnes virtutes tamquam veri apostoli. Porro apostolus, qui caritatem non habet et idem valet de aliis virtutibus, est velut aes sonans et cymbalum tinniens ac de ipso Christo narratur: «Coepit Iesus facere et docere.» Praeprimis illis inculcatur exercitium castitatis, temperantiae, beneficentiae, et oboedientiae canonicae:

Quam sit conveniens clericorum statui perfecta castitas nemo non videt. Unde monet Innocentius III in Conc. Lateran. IV: «Ut clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, praesertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio praecaventes, maxime illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiae, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare.» [1] Ad praecavenda castitatis pericula plura salutaria remedia sive iure communi sive iure particulari statuta sunt, inter quae primo loco enumeratur prohibita cohabitatio cum mulieribus [2]. Tamquam principium generale habendum est statutum Decretalium: «Nullus sacerdos feminas, de quibus suspicio potest esse, retineat.» [3]

Addit autem Concilium Tridentinum [4]: «Quod si (clerici) a superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae Ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes secundae

---

[1] C. 13 X 3, 1.
[2] Cf. tit. 2, l. 3 X: De cohabit. cleric. et mulier.
[3] C. 1 X 3, 2.
[4] Sess. 25, c. 14 de reform.

monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione . . . suspendantur.» [1]

Nulla suspicio censetur adesse respectu consanguinearum et affinium in prioribus gradibus[2], saltem si istae feminae habent bonam famam. De ancillis sacerdotum scribit Benedictus XIV[3]: «Ipsarum quoque (famularum) aetas cognita sit, ita ut parochi famulae, qui consanguineis caret, quadraginta saltem annos iam absolverint. Aliter tamen decernendum est, si cum parocho etiam mulieres consanguineae versentur . . . Magnum sane discrimen interest, cum plures simul mulieres . . . eadem domo continentur; diverso tamen modo se res habet, cum sola mulier, nulla sanguinis propinquitate, sed famulae tantum conditione accita, cum parocho versatur, qui fortasse per hiemem longissimum noctis spatium non precibus aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem vanis colloquiis insumit.» Fere in qualibet dioecesi solent statuta particularia determinare, qualem aetatem qualesque conditiones habere debeant famulae sacerdotum. Cf. Berardi (Prax. conf. III 632—650) qui ample et iudiciose hanc quaestionem tractat.

---

[1] Iuxta Bullam «Apostolicae Sedis» et decretum S. C. Inqu. 22 Dec. 1880 clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahentes, necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes incurrunt excommunicationem Ordinariis reservatam. Cum nonnisi «praesumentes» hac censura plectantur, excusat ab illa quaelibet ignorantia (cf. Lehmkuhl II 970), attamen quia iste casus fere semper est publicus, in foro interno nequit absolutio dari, nisi prius episcopus licentiam dederit. Modum procedendi contra clericos concubinarios ex Tridentino praescriptum videsis apud Wernz II, n. 209.

[2] Aliqui excipiunt uxorem fratris eo vivente (Bouix, Schmalzgrueber); cf. Berardi, Prax. conf. III 634.

[3] Instit. eccl. 82, 3.

Ad tuendam castitatem simul atque ad scandala cavenda prohibita sunt clericis diversa oblectamenta sc. visitatio theatrorum, chorearum et tabernarum. De iure communi positivo prohibitum est clericis nedum partem activam agere in theatris ut ioculatores, golliardi aut buffones[1], sed etiam repraesentationibus theatralibus assistere. In Decretalibus[2] monentur clerici «ne mimis, ioculatoribus, histrionibus intendant» et in Decreto Gratiani[3] habetur: «Lege Patrum cavetur, ut a vulgari vita seclusi, a mundi voluptatibus se abstineant (clerici) non spectaculis, non pompis intersint.» Et[4] additur: «Nec his coetibus misceantur, ubi amatoria cantantur et turpia; aut obscoeni motus corporum choreis aut saltationibus offeruntur, ne auditus aut obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.» Iam imperator Iustinianus[5] interdixit omnibus clericis, «ne tabula ludant vel eorum, qui talio ludunt, socii vel spectatores fiant vel ad quodlibet spectaculum spectandi causa veniant». Statutis particularibus sub gravibus poenis aliquando visitatio theatrorum clericis interdicitur. Sic e. gr. in tota Anglia sub poena suspensionis Ordinariis reservata omnibus clericis prohibetur, ne repraesentationibus theatralibus assistant[6]. In aliquibus regionibus mitior praxis exsistit, et superioribus conniventibus clerici possunt assistere repraesentationibus musicalibus (vulgo Opera vel Music Hall) artificiosis, dummodo tamen nihil contra religionem et bonos mores exhibeatur.

Concilium Lateranense IV statuit: «Tabernas prorsus evitent (clerici), nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.» Hodiernis temporibus multis in locis clericis licet ob honestum finem et rationabilem causam in-

[1] C. un. in VI° 3, 1 et c. 1 Clem. 3, 1.
[2] C. 15 X 3, 1. [3] C. 3, D 23. [4] C. 19, D 34.
[5] Novell. 123, c. 10. [6] Conc. Westmonast. I, decr. 24.

gredi tabernas bonae famae (vulgo Restaurant, Café). Attamen merito dicit Berardi[1]: «Culpa autem mortalis intervenire posset, si clericus v. gr. quotidie longo tempore, horis quoque nocturnis cum personis impietate vel liberalismo infectis etc. illuc moraretur, luderet» etc.

Ad exercitium temperantiae adhortantur clerici, ut «a crapula et ebrietate omnes diligenter abstineant . . . cum ebrietas et mentis inducat exilium et libidinis provocet incendium»[2]. Non solum excessus in esu et potu, sed etiam in vestitu, habitatione et generatim in vitae commodis clericis interdicitur[3].

Beneficentiae virtus magno amore exercenda est. Clerici debent seponere omnem inordinatum affectum ad bona temporalia et fugere turpissimum avaritiae vitium[4]. Clerici beneficiati tenentur ea, quae ex bonis beneficialibus supersunt post congruam sustentationem, erogare in pias causas vel eleemosynos[5]. Eadem obligatio exsistit in testamento mature condendo.

---

[1] Prax. conf. III 670. Etsi hodiernis diebus veteres severae prohibitiones ludorum cum aleis, taxillis chartis (c. 12 15 X 3, 1; c. 11 X 5, 31; Conc. Trid. sess. 22, c. 1 de reform. et sess. 24, c. 12 de reform.) consuetudine vigente multo mitigatae sint, tamen clerici non terant tempus in ludis, attendentes insuper, quam facile in ludis committatur excessus cum damno proprio et scandalo fidelium. — Venatio clamorosa clericis vetita est (Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform.). Quantum ad venationem quietam non exsistit ex iure communi stricta prohibitio, sed iure particulari etiam quieta venatio clericis interdici potest. Cf. Wernz II, n. 214. Ad rem scribit Lehmkuhl II 615: «Venatio quieta quae fiat laqueis, retibus, immo etiam sclopeto, sed cum uno alterove tantum cane sine magno strepitu non censetur ex se prohibita, adeoque omni culpa vacat, si fit raro, moderate, sine scandalo.» S. Alph., Theol. mor. l. 4, n. 606.

[2] C. 14 X 3, 1.

[3] Conc. Trid. sess. 22, c. 1 de reform.

[4] C. 9 X 3, 1.

[5] Conc. Trid. sess. 25, c. 1 de reform. Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 7, c. 2. Latius de hac re infra agetur, quando sermo erit de bonis beneficiorum.

Oboedientia canonica clericis prorsus necessaria est. Si enim iam laici admonentur et obligantur legitimis superioribus debitam oboedientiam praestare, a fortiori perfecta oboedientia a clericis praestanda est. Ad hoc accedit, quod isti in ordinatione solemniter oboedientiam promiserunt. Sacerdos enim in sua ordinatione ponens manus suas iunctas inter manus episcopi dicentis: Promittis mihi et successoribus meis . . . oboedientiam? respondit: Promitto. Unde Benedictus XIV [1] iure merito scribit: «Neque porro nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam oboedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus episcopi ordinantis iuxta vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum.» Haec oboedientia se extendit ad omnia, quae officia et statum clericorum respiciunt, non autem ad res prorsus privatas vel indifferentes [2]. Haec oboedientia adigit clericos, praecipue ne episcopum deserant et in alia dioecesi officium vel beneficium accipiant. Pro transitu definitivo clerici ab una dioecesi in aliam requiritur «excardinatio», quae conceditur per litteras sic dictas excardinationis vel excorporationis vel dimissoriales vel Exeat [3]. Pro ingressu clerici in ordinem religiosum non requiritur licentia episcopi, sed sufficit certioratio [4]. Si superiores vel episcopi suam praecipiendi facultatem excedunt, tunc sane licite subditi possunt appellare ad superiorem maiorem vel ad Curiam Romanam.

Q. 66. *Quid praescriptum sit clericis circa externam modestiam?*

R. 1. Praeter fugam luxus praescribitur habitus et tonsura clericalis. De luxu iam satis dictum est [5]; de

---

[1] Const. «Ex quo». [2] Cf. Berardi, Prax. conf. III 609 sqq.

[3] Cf. supra q. 59 e et Hoffmann in Innsbrucker Zeitschr. f. kath. Theol. XXIV (1900) 92 sqq.

[4] Cf. infra t. II, q. 28. [5] Cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 1 de reform.

vestitu clericali praescripsit idem Concilium Tridentinum[1], ut sit honestus, proprio congruens ordini et per decentiam habitus extrinseci morum honestas ostendatur. Pro clericis regularibus habitus est quantum ad formam et materiam determinatus a constitutionibus ordinis[2]. Pro clericis vero saecularibus vestis clericalis est talaris nigri coloris[3]. Cum autem Concilium Tridentinum (l. c.) statuat: ut clerici deferant habitum clericalem «iuxta episcopi ordinationem et mandatum», consuetudo potest tolerari accedente consensu episcopi, ut loco talaris nigri coloris alia vestis decens a clericis extra sacras functiones portetur. Ut plurimum statutis dioecesanis pro clericis normae sancitae sunt, de forma et colore vestis clericalis, de collari, pileo, calceamentis, cingulo, birreto etc.[4]

2. Clerici in sacris constituti necnon clerici beneficiati tenentur sub gravi habitum clericalem portare. Hoc praeceptum esse ex genere suo grave docet communis sententia[5] et elucet ex verbis acribus et poenis a Tridentino adhibitis contra transgressores: «Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.» , . . (Transgressores) «per sus-

---

[1] Sess. 14, c. 6 de reform.; cf. c. 2 Clem. 3, 1.

[2] Cf. infra t. II, q. 127 sq.

[3] Sixtus V, Const. «Cum sacrosanctam» 9 Ian. 1589; cf. Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 11, c. 8.

[4] Quibusdam clericis permittitur vel praescribitur anulus. Illi, quibus praescribitur anulus, portare illum possunt vel debent etiam intra Missam, e. gr. Cardinales, episcopi, praelati mitrati, abbates; illi vero, quibus permittitur anulus, illum gestare non possunt intra Missam, e. gr. canonici Ecclesiarum cathedralium, doctores et magistri theologiae et iuris canonici. Cf. S. C. R. 9 Mart. 1894.

[5] Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. II 609; Berardi l. c. III 324; Wernz, Ius decr. II, n. 177.

pensionem ab ordinibus ac officio et beneficio ac fructibus, reditibus et provenientibus ipsorum beneficiorum, necnon, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum huiusmodi coerceri possint ac debeant» [1].

3. In transgressione huius praecepti graviter obligantis datur parvitas materiae. Lacroix [2] et post ipsum Lehmkuhl [3] et Berardi [4] putant spatium 4—6 dierum esse materiam levem. Si quis clericus beneficiatus vel in sacris constitutus cum gravi scandalo vel contemptu vel ex pravo fine vestem clericalem deponeret, peccatum grave multo citius adesse posset. Per se patet.

4. Clerici autem, qui neque in sacris sunt constituti neque sunt beneficiati, iure communi per se non tenentur gestare habitum clericalem sub gravi praecepto, amittunt tamen privilegia clericorum, si habitum clericalem gestare negligunt [5]. Potest tamen episcopus praecipere, ut etiam isti clerici semper in habitu clericali incedant.

5. Cum lex portandi habitum clericalem sit lex positiva humana, dispensatio legitima vel grave incommodum ab illa excusat. Causae excusantes sunt e. gr. transitus per loca infidelium vel haereticorum cum periculo gravis iniuriae, persecutio imminens etc. Ceterum attendendae sunt consuetudines in singulis locis vigentes.

Circa tonsuram comae in capite et circa rasuram barbae in facie non fuit nec est una consuetudo apud clericos Ecclesiae Romanae et Orientalis. In ordinibus religiosis specialia statuta vigent circa tonsuram barbae et comae. Pro clericis saecularibus in Ecclesia Romana iam a saeculo quarto mos invaluit coronam tonsam in capite deferre. Scribit enim S. Hieronymus (331—420): (Clerici) «sunt reges id est se et alios in virtutibus

---

[1] Sess. 14, c. 6 de reform.
[2] Theol. mor. l. 1, n. 672. [3] L. c. [4] L. c.
[5] Cf. Wernz l. c.

regentes et ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hinc coronam habent ab institutione Romanae Ecclesiae in signum regni, quod in Christo exspectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio» [1]. Postea vero labentibus temporibus clerici etiam Romanae Ecclesiae iterum barbam portare solebant. Hinc Medio Aevo plures Summi Pontifices, e. gr. S. Pius V, Leo X, Iulius II etc. cum barba depingi solent. A saeculo XVIII exeunte antiquus mos iterum invaluit et iuxta nunc vigentem Ecclesiae Romanae disciplinam omnes clerici sacculares debent barbam radere et coronam tonsam in capite deferre, nisi habeant speciale indultum (quod non difficulter concedi solet). Secluso speciali statuto dioecesano vel contemptu clericus non peccat mortaliter, si etiam per plures menses tonsuram in capite non defert, dummodo de cetero in habitu clericali incedat [2]. Clerici saeculares itinerantes in Oriente vel viventes inter missiones paganorum solent barbam deferre [3]. Coma ficta (vulgo Perücke, parruca, wig) olim graviter prohibita fuit clericis [4], cum istis temporibus haec capillitia ficta valde aliena essent a modestia clericali, hodie tamen episcopus facile potest clericis concedere licentiam portandi decentem comam fictitiam extra Missarum celebrationem. Si autem etiam in Missa talem comam deferre volunt clerici, necessaria videtur licentia S. Sedis. Benedictus XIV [5] in longum et latum tractat istam quaestionem et dicit: «Innocentius XII per suos Apostolicos Nuntios locorum Ordinarios moneri iussit, ne quemquam permitterent, sine Apostolicae Sedis privilegio, cum

[1] C. 7, C XII, q. 1.

[2] Cf. Lehmkuhl II 610 et S. Alphons., Theol. mor. l. 6, n. 826.

[3] Cf. pro historia tonsurae et rasurae barbae Kraus, Realencykl. s. v. Tonsur; vel Kirchenlexikon s. v. Bart.

[4] Cf. S. C. C. 8 Aug. 1722 apud Schulte-Richter, Conc. Trid. 184.

[5] De syn. dioec. l. 11, c. 9, n. 5 et Instit. eccl. 34 et 96.

adulterino capillitio sacrosanctam peragere Missae sacrificium.»

Q. 67. *Quousque lex coelibatus obliget clericos?*

R. 1. Lex ecclesiastica coelibatus vi nominis praescribit vitam coelibem i. e. matrimonii usu liberam. Hoc modo obligat in Ecclesia Occidentali a) omnes clericos beneficiatos, etiam in ordinibus minoribus constitutos[1], ita ut isti clerici, quando matrimonium contrahunt, eo ipso beneficia possessa amittant. Clerici vero minorum ordinum, qui non sunt beneficiati, possunt valide et licite matrimonium contrahere[2], sed tunc amittunt plura privilegia clericalia[3]; b) omnes clericos, qui maiores ordines susceperunt.

2. In Ecclesia Orientali lex coelibatus valet pro episcopis[4]. Sacerdotes vero et diaconi possunt uti matrimonio inito ante susceptionem diaconatus, non autem possunt ordine maiore iam suscepto matrimonium vel secundas nuptias inire. Hodiernis tamen temporibus lex coelibatus etiam in Oriente a pluribus clericis servatur. Immo Synodus Alexandrina Coptorum (a. 1899) decrevit: «ut in posterum omnes ad maiores ordines promovendi coelibes esse debeant iuxta antiquam disciplinam Ecclesiae Alexandrinae ceterarumque Ecclesiarum Dei».

3. In Ecclesia Latina iuxta vigentem disciplinam omnes clerici in susceptione subdiaconatus debent non tantum promittere coelibatum, sed etiam solemniter vovere perfectam castitatem. Quod quidem votum castitatis non explicitis verbis, sed facto ipsius liberae susceptionis

---

[1] C. 1 2 3 5 X 3, 3.

[2] Conc. Trid. sess. 23, c. 6 de reform.

[3] Cf. Wernz II, n. 203.

[4] Sacerdotes tamen coniugati consentiente uxore etiam in episcopos consecrari possunt, sic tamen ut ab usu matrimonii abhinc penitus abstineant. Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 75.

subdiaconatus exprimitur et fere (non tamen omnimodo) aequivalet voto solemni castitatis religiosorum [1]. Bonifatius VIII expresse statuit: «illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuit per susceptionem s. ordinis aut per professionem» [2]. Susceptio subdiaconatus est igitur pro clericis saecularibus ad instar professionis tacitae perfectae castitatis. Matrimonium attentatum a clerico maioribus ordinibus initiato non tantum est illicitum, sed prorsus invalidum atque inducit excommunicationem episcopo reservatam [3] aliasque poenas. Omnia peccata contra castitatem patrata a clerico in sacris ordinibus constituto (non autem a clerico Minorista beneficiato) sunt sacrilegia, utpote violationes voti.

4. Vir matrimonio iunctus non potest sacros ordines suscipere, nisi uxore consentiente et castitatem vovente, immo aliquibus casibus nisi monasterium intrante [4].

5. Coelibatus convenientissimus est et dignitati et salutari operationi clericorum. Ipse Dominus Iesus Christus exemplar omnium sacerdotum, vitam coelibem duxit illumque secuti sunt Apostoli innumerique episcopi et sacerdotes, qui unice quaerentes quae Dei sunt fructuosissime laboraverunt in vinea Domini [5].

6. Dispensatio super lege coelibatus et voto subdiaconatui annexo reservata est Summo Pontifici, qui extra articulum mortis [6] rarissime illam concedit. Casu quo sacri ordines invalide suscepti fuissent, lex coeli-

---

[1] Cf. S. th. 2, 2, q. 88, a. 11.

[2] C. un. in VI° 3, 15. [3] Bull. «Apostol. Sedis».

[4] Cf. 4 6 X 3, 32; cf. infra t. II, q. 18.

[5] Quantum ad historiam coelibatus cf. Kraus, Realencykl. s. v. Cölibat; Laurin, Der Cölibat der Geistlichen, et praeprimis Funk, Cölibat und Priesterche im christlichen Altertum, in seinen Kirchengeschichtl. Abhandl. u. Untersuchungen I 121—155 (ed. 1897).

[6] S. C. Inqu. 20 Febr. 1888.

batus non obligat, attamen taliter invalide ordinatus non posset ilico matrimonium contrahere, sed prius ex duplice processu iuxta normas Bullae Benedicti XIV «Si datam» 4 Maii 1748 confecto de nullitate subdiaconatus constare debet. Immo S. C. Inqu. 20 Iunii 1883 praescripsit: «Quoties tractanda occurrerit causa matrimonialis, in qua de impedimento solemnis voti castitatis vel ordinis sacri cum annexa castitatis lege agatur, ea integra post processum informatorium ad necessaria documenta et motiva colligenda institutum, a Reverendissimis Patriarchis aliisve Ordinariis ad Sedem Apostolicam deferatur.»

Q. 68. *Quaenam saecularia negotia censeantur impedimenta statui clericali incongrua?*

R. Clericis prohibita sunt: 1. negotiatio et mercatura; 2. exercitium chirurgiae; 3. plura officia ut esse iudex civilis, miles, administrator bonorum alicuius laici etc.; 4. venatio et quidam ludi, de quibus supra q. 65 sufficienter dictum est. Quantum ad singula haec notentur:

1. Negotiatio interdicitur omnibus clericis vel beneficiatis vel in sacris constitutis et omnibus religiosis. Iam ipse S. Paulus[1] monuerat S. Timotheum: «Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.» Postea Ius Decretalium[2], Concilium Tridentinum[3] et plures Summi Pontifices, inter quos Urbanus VIII[4], Clemens XI[5], Benedictus XIV[6], hoc idem praeceptum innovarunt gravibusque poenis sanxerunt. Eodem modo statuerunt plura Concilia particularia[7].

---

[1] 2 Tim 2, 4.
[2] C. 15 X 3, 1 et totus titulus «Ne clerici» 50 X 3.
[3] Sess. 22, c. 1 de reform.
[4] Const. «Ex debito» 22 Febr. 1633.
[5] Const. «Sollicitudo» 17 Iunii 1669.
[6] Const. «Apostolicae» 25 Febr. 1741.
[7] E. gr. Conc. Westmonast. I, decr. 24; Conc. Mediol. I.

2. Nomine negotiationis hic intelligitur mercatura (sive en gros sive en detail) seu emptio rerum cum intentione eas postea cum lucro vendendi.

3. Negotiatio solet dividi in oeconomicam, lucrativam et politicam. Negotiatio oeconomica consistit in acquisitione rerum cum intentione adhibendi illas in proprium usum et in venditione (etiam maiore pretio) illarum, quae superfluae fuerunt pro proprio usu, e. gr. administratio propriae oeconomiae et venditio fructuum inde provenientium. Negotiatio lucrativa est emptio et venditio rerum cum principali intentione inde lucrum capessendi, e. gr. si clericus emeret vinum a vinitoribus cum intentione illud postea pretio maiore vendendi. Negotiatio politica est emptio et venditio rerum non nomine proprio sed nomine et utilitate alicuius communitatis, e. gr. si parochus omnes vinitores suae parochiae coadunat in unum consortium et nomine huius consortii in vino facit mercaturam [1].

4. Negotiatio oeconomica clericis licita est. Hinc clerici vel conventus regularium agriculturam vel vineas habentes, licite possunt etiam ope famulorum saecularium fructus colere, bestias nutrire, illaque postea bono pretio vendere. Ratio est, quia talis negotiatio potius est administratio licita immo praecepta rei domesticae vel bonorum ecclesiasticorum [2]. Attamen etiam in hoc casu negotia et pacta semper transigenda sunt cum decore status clericalis, non more saecularium mercatorum; et praeprimis vitanda est species avaritiae vel nimia competitio vel aemulatio cum mercatoribus laicis [3].

---

[1] Vulgo Handelsgesellschaft; Manager of a company limited; Directeur d'une compagnie.

[2] C. 1 et 6 X 3, 50; cf. Lehmkuhl II 612.

[3] Cf. Fagnani in cap. «Ne clerici» num. 35 sqq.

5. Negotiatio politica clericis per se est prohibita [1]. Ratio est, quia inde clerici nimis implicantur negotiis saecularibus atque periculis administrationis pecuniariae et experientia etiam nostrarum dierum testante non raro in maximas angustias rediguntur. «Possunt autem clerici pro Ecclesia, orphanis, viduis, pupillis, ac pauperibus administratorum munere non tantum licite, sed etiam laudabiliter fungi, atque interdum negotiationem exercere.» [2] Ut autem etiam in istis casibus clerici secure agere queant, requiritur licentia episcopi, quae habet vim sententiae declaratoriae [3].

6. Negotiatio lucrativa proprie dicta omnibus clericis interdicitur, ut patet ex auctoritatibus sub n. 1 citatis, casu autem urgentis necessitatis, quo clericus aliter se suosque alere nequeat, vel si per hereditatem devolvatur ad illum negotiatio, quam statim non potest sine magno damno dimittere, licita est etiam negotiatio lucrativa, praevia tamen licentia episcopi extra Italiam et praevia licentia S. C. C. in Italia insulisque adiacentibus [4].

7. Clerici et religiosi, qui illicitam negotiationem exercent, plectuntur diversis poenis, quae tamen omnes sunt ferendae sententiae (cf. Wernz II 219 Scholion), si excipitur poena excommunicationis latae sententiae, privationis vocis activae et passivae, officiorum, dignitatum, graduum quorumcumque et inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda inflicta contra omnes personas ecclesiasticas missas in Indiam, Iaponiam, Chinam et Americam, quae negotiationem faciunt. Missionarii delinquentes non possunt absolvi ab his poenis nisi

---

[1] Reiffenstuel in l. 3, tit. 50, n. 3. Ferraris s. v. Clericus a. 3, n. 63. S. C. C. 20 Nov. 1824 et 14 Maii 1825 apud Lingen-Reuss 153—154.

[2] S. C. C. 14 Maii 1825. [3] Cf. Wernz II, n. 219.

[4] Benedictus IV, Const. «Apostolicae» supra citata. Clemens XIII, Const. «Cum primum» 27 Sept. 1759.

in articulo mortis, vel nisi prius restituerint omnia lucra acquisita[1].

Scholion. Nostra aetate circa hanc materiam quaestio valde practica orta est: Utrum liceat clericis et emere et vendere titulos, qui vulgo vocantur «actiones», «obligationes» et Kuxen vel shares?

a) Fere ab omnibus auctoribus docetur non licere clericis facere uti dicunt speculationes in istis titulis. Cf. resp. S. C. Inqu. 15 Apr. 1885, quae statuit: «Iuxta exposita et attentis peculiaribus temporum circumstantiis personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae numulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat et vulgo dicitur dei giuochi di borsa.» Nam istae speculationes nedum sunt periculis plenae, verum etiam prorsus alienae a dignitate clericali.

b) Sententia communis docet clericos posse emere «obligationes» pertinentes ad honestas societates commerciales vel industriales iam constitutas[2]. Ratio est, quia istis obligationibus vel nullo modo vel nonnisi valde indirecte exercetur negotiatio, et ordinarie non solet adesse periculum damni.

c) Etiam aliquando licitum est clericis emere actiones, e. gr. viae ferreae, fodinarum, bancae etc., dummodo tamen sint societates honestae et solide fundatae[3]. Ratio est, quia istae actiones fere aequiparantur obligationibus et ex parte clerici fere nulla implicatio inter-

---

[1] Cf. S. C. Inqu. 4 Dec. 1872 et 17 Ian. 1883. Etiam regulares cuiuscumque Instituti his poenis subiacent.

[2] Lehmkuhl II 612. Wernz II, n. 219. Ballerini-Palmieri, Opus theol. IV 354. Scherer, Kirchenrecht 377.

[3] Cf. resp. S. C. Inqu. iam cit.

venit cum negotiatione. Attamen quando clerici possunt aliter pecuniam suam collocare cum sufficienti foenere, melius abstineant ab actionibus emendis.

d) Emere «Kuxen»[1] non videtur licitum clericis, cum hoc manifeste sit negotiatio lucrativa et insuper dignitati clericali minus conveniens. Ita salva meliore sententia.

Q. 69. *An et quousque lege ecclesiastica clericis prohibitum sit exercitium chirurgiae et medicinae?*

R. 1. Aliquando clericis prohibitum est exercitium chirurgiae et medicinae ratione legis civilis prohibentis vel ratione scandali facile inde orientis vel ratione legis particularis ecclesiastici.

2. Antiquitus iure ecclesiastico communi haud vetita fuit artis medicae exercitatio iis, qui in sacris ordinibus constituti fuerunt[2], sed iure Decretalium[3] statutum fuit, ne clerici ex professo medicinam neve chirurgiam exerceant. Dico ex professo, nam nisi scandalum aliaque inconvenientia adsint, non videtur iure communi prohibitum, quominus clericus arte medica peritus, aliquando medicinam consulat infirmis, non tamen debet adhibere incisionem vel ustionem[4].

3. Clericis praesertim missionariis aliquando conceditur Indultum pontificium, artem medicam exercendi. Quomodo clausulae tali Indulto insertae intelligendae sint, videsis apud Benedictum XIV l. c.

---

[1] Kuxen (anglice shares in a mine) vocantur participationes in aliqua fodina carbonum, ita ut possessor illorum sit revera partialis possessor fodinae, quam ob causam etiam gallice vocantur: portion d'une mine.

[2] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 10, n. 5.

[3] C. 3 et 10 X 3, 50; c. 7 X 1, 14; c. 19 X 5, 12.

[4] Iure particulari non raro clericis et regularibus interdicitur quodlibet exercitium medicinae e. gr. in dioecesi Ultraiectensi, in tota Sicilia, in Ordine Praedicatorum etc. Cf. Hollweck, Die kirchl. Strafgesetze § 238, nota 4.

Scholion. Studium medicinae, chirurgiae, iuris civilis, philosophiae mundanae, poesis etiam in publicis universitatibus, quod veteribus canonibus prohibitum fuit clericis, seclusa speciali licentia, hodiernis temporibus facilius tolerari potest accedente consensu episcopi vel legitimi superioris[1].

Q. 70. *Quaenam civilia officia clericis prohibeantur?*

R. Principium fundamentale hac in quaestione est: Omnia illa officia clericis interdicuntur, quae vel incompatibilia vel minus congrua eorum statui sunt. Hinc prohibita sunt clericis:

a) Officia advocati, notarii, procuratoris, tabellionis aliaque huiusmodi in foro civili, nisi tamen agatur pro pauperibus, causis piis, proximis cognatis[2]. Adhuc severius haec omnia prohibita sunt regularibus, nisi agatur de causis proprii ordinis[3]. In foro autem ecclesiastico clericis licitum est omnia haec munia obire, nec videtur obstare c. 3 X 1, 37 mox citatum. Aliquando tamen obstant leges civiles. Benedictus XIV[4] scribit de hac materia: «Sacerdoti saeculari, qui scientiae et iuris peritiae famam sibi comparavit, indulgetur ut in tribunalibus etiam laicalibus possit tam civiles quam criminales causas agere, prout advocati laici solent, dummodo in criminalibus iudiciis ad defensionem tantummodo scribat et agat; nec ei interdicitur, quin laborum praemium possit exposcere, superadditur tamen eousque advocationis exercitium eidem permitti, quousque certos ecclesiasticos reditus in congruam sustentationem, aut beneficium residentiale fuerit assecuta.» Licet haec vera sint theoretice, nostris diebus nostrisque regionibus, in praxim reduci nequeunt, tum quia decorum

---

[1] Cf. Wernz II, n. 220—222.
[2] C. 1 3 X 1, 37. [3] C. 35, C. XVI, q. 1; c. 2 X 1, 37.
[4] L. c. l. 13, c. 10, n. 12.

clericale inde laederetur, tum quia leges civiles non permitterent.

b) Officium ministri laicorum vel procuratoris bonorum laicorum [1]. Possunt autem clerici haec munera exercere pro pauperibus et causis piis [2].

c) Officium tutoris et curatoris prohibetur regularibus et episcopis [3]; clerici saeculares possunt cum licentia proprii episcopi esse tutores et curatores quoad personas cognatas et pauperes [4].

d) Officium militis vel ducis militum [5], quia «minus decet, ut manus illae incruentum perficiant sacrificium, quae humano sanguine sint pollutae» [6]. Quodsi clerici iuxta civiles leges coguntur servitium militare subire et in bello pugnare, aliquando incurrunt irregularitatem ob defectum lenitatis, de qua vide Tract. de irreg. Ob eandem rationem omnibus clericis prohibitum est, quominus sint iudices in sententiis capitalibus ferendis. Hinc Medio Aevo Inquisitores haereticae pravitatis non ipsi iudicabant vel puniebant reum, sed illum iudicandum tradebant brachio saeculari.

Scholion. Nostris diebus sacerdotes et episcopi non raro rebus politicis et civilibus immiscentur, immo eliguntur tamquam deputati in parlamentis et municipiis. Non potest negari, sacerdotes in pluribus regionibus, ubi tot tantique hostes Ecclesiam Dei impugnant, prorsus muneri suo defendendi Ecclesiam defuturos esse, si non operose simul et prudenter in re politica et civili niterentur, attamen ex alia parte magnae difficultates et angustiae possunt facile oriri ex tali modo agendi. Unde maxima circumspectione opus est. Clerici saecu-

---

[1] C. 2 4 5 X 3, 50. S. C. C. 14 Maii 1825 apud Lingen-Reuss n. 121.

[2] Cf. supra q. 68, 4.

[3] Ferraris s. v. Tubela n. 52.

[4] Cf. Conc. Westmonast. I, decr. 24, 9 et c. 26, D. 86.

[5] C. 9 X 3, 50.

[6] S. C. C. 6 Iunii 1840.

lares in rebus gravioribus huc spectantibus semper prius consulant proprium episcopum; episcopi Sanctam Sedem, clerici regulares proprios superiores. Saluberrime praeprimis sacerdotes et episcopi operantur in prudenti organizatione et coadunatione operariorum [1].

ARTICULUS V.

DE AMISSIONE STATUS CLERICALIS.

Praenotamen. Status clericalis acquiritur susceptione primae tonsurae. Iuxta sententiam multo probabiliorem tonsura non est ordo (cf. supra); iuxta sententiam multorum nec etiam quattuor minores ordines et subdiaconatus sunt in stricto sensu ordines characterem sacramentalem imprimentes, attamen iuxta disciplinam Ecclesiae neque tonsura neque minores ordines et subdiaconatus repetuntur, si clericus post reductionem ad communionem laicalem legitime redit ad statum clericalem [2]. Immo reordinatio proprie dicta nunquam ex praescriptione iuris videtur esse facta [3] et praecipue

---

[1] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 56.

[2] Cf. Kober, Die depos. und degrad. 100.

[3] Dico «ex praescriptione iuris»; quia non potest negari haud ita raro usque ad saeculum XII reordinationes esse factas. Videsis plura exempla citata a Saltet, Les réordinations, Paris 1907, 149 182 238 328 etc. Sed inde a temporibus S. Raymundi de Peñaforte, qui strenue defendit validitatem ordinationum ab haereticis factarum (Sum. de poenit. l. 1, c. «De haereticis et ordinatis ab eis»), reordinationes cessaverunt. Saltet l. c. 392 suas eruditas investigationes de hac quaestione sic concludit: «On a toujours admis qu'une ordination validement conférée ne pouvait pas être réitérée. Les réordinations ne supposent pas la négation du caractère inamissible de l'ordre; elles supposent toujours une ordination antérieure considérée comme nulle. Qu'on se trompât sur la nullité de la première ordination c'est incontestable; mais cette erreur de fait laissait entière la doctrine d'après laquelle l'ordination ne peut pas être réitérée.» — Si igitur Summi Pontifices aliquando praescripserunt reordinationem simoniacorum, forsan erraverunt quantum ad factum sc. ordinis invalide

in ordinibus maioribus. Ex quibus elucet illum, qui semel in statum clericalem intravit vel ordines rite suscepit, nunquam posse fieri laicus, sicuti sunt ceteri laici. Datur tamen partialis amissio status clericalis, qua scilicet potestas ordinis non tollitur, sed qua tolluntur praerogativa status clericalis. Haec partialis amissio status clericalis vocatur reductio ad communionem laicalem[1].

Q. 71. *Quotuplici modo status clericalis possit partialiter amitti i. e. quotuplici modo clericus possit reduci ad communionem laicalem?*

R. Triplici modo, sc. degradatione, dispensatione pontificia et aliquando libera electione.

1. Degradatio clerici olim pro eodem sumebatur ac depositio[2], attamen istae duae poenae hodiernis diebus sunt ab invicem distinctae. Depositio poena vindicativa est, per quam «clericus perpetuo removetur aut a suscepti ordinis exercitio, aut ab officio et ecclesiasticae iurisdictionis usu, aut a beneficio aut denique ab ordine simul, officio et beneficio; non tamen spoliatur privilegio canonis et fori»[3]. Depositio igitur iuxta modernam praxim nihil aliud est ac suspensio perpetua et perfecta. Degradatio vero est poena vindicativa, per quam «clericus non solum arcetur in perpetuum ab omni

---

suscepti, non autem quantum ad doctrinam de inamissibilitate ordinationis semel valide susceptae. Proindeque ex reordinationibus factis nihil concludi potest contra dogma infallibilitatis Summi Pontificis.

[1] Non constat quo sensu haec expressio reductio ad communionem laicalem sit adhibita in vetere Ecclesia (cf. Devoti l. 1, tit. 8, sect. 4) et quomodo differat a reductione ad communionem peregrinorum. Probabilior explicatio videtur sumere reductionem ad communionem laicalem pro totali amissione praerogativarum status clericalis, reductionem autem ad communionem peregrinorum pro temporali suspensione clerici ab ordinum exercitio; cf. Devoti l. c.

[2] Cf. Devoti l. c. n. 2. Usque ad saeculum XII. Cf. Kober, Die depos. und degrad. 130, et Aichner, Comp. iur. eccl.

[3] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 9, c. 6, n. 3.

ecclesiastico ministerio omnique privatur ecclesiastico officio et beneficio, verum etiam exuitur privilegio fori et subicitur potestati saeculari . . . perinde ac si esset laicus»[1]. Duplex degradatio distinguitur a Bonifatio VIII[2]: verbalis, quae est ipsa sententia, per quam iudex ecclesiasticus clericum de gradu dimovet et foro laico subicit, et realis vel actualis, quae est tristis illa caeremonia, qua episcopus clerico, contra quem iam pronuntiata est sententia degradationis, detrahit insignia singulorum ordinum et potestati saeculari tradit[3]. Cum degradatio sit gravissima poena, ideo non potest infligi nisi propter enormia crimina, qualia sunt: a) haeresis et apostasia saltem si relapsus vel pertinacia accedit[4]; b) falsificatio litterarum apostolicarum[5]; c) assassinium[6]; d) peccata venerea contra naturam pluries commissa[7]; e) sollicitatio ad turpia occasione confessionis[8]; f) celebratio Missae vel exceptio confessionum sine ordine presbyterali[9]; g) procuratio abortus foetus animati[10]; h) falsificatio monetae[11]; i) furtum SS. Eucharistiae sive cum sacra pyxide sive sine illa[12]. Praeter ista crimina etiam in aliis criminibus valde atrocibus, si de incorrigibilitate rei constat ad degradationem tandem procedi potest (saltem de licentia S. Sedis).

---

[1] Benedictus XIV l. c. [2] C. 2 in VI° 5, 9.

[3] Cf. Pontificale Rom. p. 3, tit. 7; Devoti l. c.

[4] C. 1 X 5, 7; c. 1 in VI° 5, 2 et Clemens VIII, Const. «Dominici gregis». [5] C. 7 X 5, 20. [6] C. 1 in VI° 5, 4.

[7] S. Pius V, Const. «Horrendum».

[8] Gregorius XV, Const. «Universi» et Benedictus XIV, Const. «Cum sacramentum».

[9] Clemens VIII, Const. «Etsi alias». Benedictus XIV, Const. «Sacerdos in aeternum».

[10] Sixtus V, Const. «Effrenatam» et Gregorius XIV, Const. «Sedes Apostolica».

[11] Pro provinciis Italiae tantum. Urbanus VIII, Const. «In suprema» et Benedictus XIV, Const. «Ad curam».

[12] Alexander VIII, Const. «Cum alias» et Benedictus XIV, Const. «Ab augustissimo».

Post degradationem clericus amittit omnia privilegia status clericalis, attamen obligationes huius status illi manent, e. gr. coelibatus et recitatio officii divini, si est in ordinibus maioribus constitutus [1].

2. Reductio ad communionem laicalem vi dispensationis pontificiae rarissime conceditur clericis in sacris ordinibus constitutis. Exemplum celebre huius dispensationis habetur in Brevi «Gravissimas» 29 Iunii 1802, qua Pius VII principi Talleyrand, qui fuit episcopus Augustodunensis indulsit communionem laicalem, ita ut interdicto exercitio cuiusvis functionis sive episcopalis sive ecclesiasticae in veste saeculari incedere et saecularia officia gerere potuerit. Haec reductio ad communionem laicalem semper implicite vel explicite includitur, quando Summus Pontifex clericis maiorum ordinum (ritus Latini) concedit dispensationem a voto castitatis. Quod utique etiam rarissime accidit.

3. Ex libera electione clerici minorum ordinum possunt iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam habitum et tonsuram clericalem dimittere, statum laicalem redire et matrimonium contrahere. Quod si fit ex rationabili causa, nullum delictum, nullaque culpa est [2].

CAPUT II.

DE SINGULIS PERSONIS ECCLESIASTICIS IN SPECIE.

Praenotamen. Postquam in praecedenti capite egimus de personis ecclesiasticis in genere, nunc de singulis categoriis clericorum tractandum est. Non potest

[1] Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. II 916. Hodiernis temporibus poenae degradationis et depositionis iam non solent infligi. Clerici graviter delinquentes mittuntur in monasteria vel in domos correctionales specialiter pro clericis erectas, vel illis imponuntur exercitia spiritualia aliaque opera poenitentiae.

[2] Cf. Wernz II, n. 235.

quidem sermo fieri de omnibus omnino categoriis, quin extra limites huius Manualis excurratur; unde tractatum nostrum limitamus ad illas tantum, quae universalioris sunt necessitatis. Totum caput dividitur in tres sectiones sc.

1. De clericis nulla praelatura vel personatu ornatis;
2. De episcopo eiusque curia;
3. De Romano Pontifice et Curia Romana.

SECTIO I.

DE CLERICIS NULLA PRAELATURA VEL PERSONATU ORNATIS.

Cum iam satis dictum sit de officiis clericorum sacerdotio inferioribus, hic tantum agitur de clericis, qui sunt sacerdotes vel saltem quorum officium iuxta modernam praxim exigit, ut sint sacerdotes. Hodie autem praeter parochos et coadiutores parochorum sunt quam plurimi sacerdotes (non praelati) in aliis officiis occupati, e. gr. capellani militum, hospitalium, monialium, collegiorum, carcerum, coemeteriorum, professores in collegiis et universitatibus etc. Antiquum ius commune fere nulla statuta habet specialia de omnibus istis officiis. Nostris autem diebus per statuta iuris particularis de istis satis provisum est; unde omnibus his officiis hic praetermissis tantum agimus in hac sectione de parochis et de coadiutoribus parochorum.

ARTICULUS I.

DE ORIGINE OFFICII PAROCHIALIS.

Q. 72. *Quaenam sit origo officii parochialis?*

R. Officium parochorum, quod hodie iure merito magno honore ornatur, nondum exsistebat tribus primis saeculis aerae christianae [1]. Episcopus tunc erat unicus

[1] Cf. Zorell, Die Entwicklung des Parochialsystems, in Archiv für kath. Kirchenrecht LXXXII 74.

dioeceseos pastor et velut parochus; per seipsum curam animarum exercebat. Quando autem ob multitudinem populi aliasque causas non potuit solus hoc munus exercere, adscivit sacerdotes pro libitu eos mittens et revocans. Nemini committebat per modum stabilis officii curam animarum in certa dioeceseos parte [1]. Saepe una erat tantum ecclesia in tota dioecesi, ad quam christiani omnes die dominico confluebant S. Eucharistiam recepturi; ad absentes vero per diaconos SS. Sacramentum portabatur. Unde S. Ignatius scribit ad Smyrn.: «Omnes in unum templum Dei concurrite; unum altare sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis. . . . Non licet sine episcopo baptizare, nec agapen celebrare.» [2] Crescente vero fidelium numero, cum una ecclesia non sufficeret, plures erectae sunt ecclesiae diversis in locis dioeceseos. Ad has ecclesias episcopi mittebant sacerdotes, sed nondum stabili modo, qui propterea vocabantur visitatores, circumcursatores, circuitores vel si stabiliore modo addicebantur alicui ecclesiae; cardinales, cardinati, velut cardines affixi ecclesiae [3]. Dicti etiam sunt presbyteri vicarii, vel forastici, vel plebani, vel proprii sacerdotes [4]. Quae quidem ecclesiae considerari possunt ut parochiae rurales inde a quarto saeculo. Saeculo undecimo praxis introducta est etiam civitatem episcopalem in plures parochias dividendi, sed nec ipso tempore Concilii Tridentini nondum ubique fuerat recepta [5]. Ex quibus patet, quam falsa sit doctrina Ianseniſtarum, Synodi Pistoriensis et paucorum Catholicorum asserentium, parochos ab ipso Christo fuisse institutos [6].

---

[1] Cf. Ferraris s. v. Parochia a. 1, n. 7.

[2] Migne, Patr. Graec. 5, 714.

[3] C. 5, D. 71 (S. Greg. Magn.) et c. 42, C. VII, q. 1.

[4] C. 12 X 5, 38.

[5] Cf. Bouix, De parocho 16—41; Devoti l. 1, tit. 3, sect. 10.

[6] Cf. Bouix l. c. Guilielmus a S. Amore, ut impugnaret privilegia regularium in exercenda cura animarum primus fuit, qui saeculo XIII

Pariter parochi nequaquam sunt 72 discipulorum successores [1]. Nam hi discipuli neque erant sacerdotali charactere insigniti, neque ipsis erat tributa potestas regendi populos, neque electi ad sacramenta administranda, cum potestas clavium nonnisi in Petrum et Apostolos a Christo collata fuerit et quidem post resurrectionem [2]. Unde merito cum Bouix l. c. concludendum est: «Parochi neque divinae institutionis sunt, neque apostolicae, at dumtaxat ecclesiasticae.» [3]

Q. 73. *Quid sit parochiale officium?*

R. Parochus, qui antiquis temporibus etiam vocabatur curio, rector ecclesiae, persona [4], plebanus, rector [5] curatus, est clericus ab episcopo rite deputatus ad curam animarum vi officii et proprio nomine exercendam super determinatum numerum fidelium. Iuxta hanc definitionem formale distinctivum parochi consistit in hoc quod vi officii sui et proprio nomine curam animarum gerat; habet igitur parochus non vicariam quandam curam animarum ut alii sacerdotes, sed suo officio haec cura essentialiter coniuncta est [6]. Singula munera et privilegia parochi infra explicabuntur [7].

---

hanc doctrinam sustinuit. Sed S. Thomas Aquinas in opusculo «Contra impugnantes Dei cultum et religionem» egregie illum refutavit.

[1] Cf. Bouix l. c. c. 6. [2] Cf. Devoti l. c.

[3] Optime originem systematis parochialis explicat Sägmüller, Kirchenrecht § 99.

[4] C. 7 X 3, 38; c. 3 X 3, 48.

[5] Cf. Ferraris s. v. Parochus a. 1, n. 5 sq.

[6] Cf. Sägmüller l. c. § 101.

[7] Multum a multis disputatum est de etymologia verbi parochi. Parochi apud ethnicos olim dicebantur illi qui legatis publice Romam missis salem et ligna praeparabant, i. e. illi qui omnia necessaria legatis regum, principum ac rerum publicarum hospitio receptis suppeditabant teste Arrone in illud Horatii l. 1 Satir. 5: «Proxima Campano ponti, quae villula tectum | Praebuit et parochi, quae debent ligna salemque.» Ita Ferraris s. v. Parochus a. 1, n. 1. Unde apud paganos parochus idem fuit ac dominus cauponae, diver-

Divisiones. Iuxta modernam disciplinam solent distingui:

a) parochi inamovibiles et parochi amovibiles seu deservitores seu succursalistae. Beneficium parochiale est de se perpetuum et inamissibile; unde Concilium Tridentinum [1] mandat episcopis, «ut distincto populo in certas propriasque parochias» unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent . . . aut alio utiliore modo prout loci qualitas exegerit, provideant». Verumtamen pluribus in locis sive ex consuetudine legitima sive ex Indulto apostolico parochi sunt ad nutum episcopi (i. e. ex rationabili causa) amovibiles [2].

b) parochi independentes et incorporati. Parochi independentes sunt illi, qui nomine proprio munus parochiale exercent et non dependent in spiritualibus et temporalibus ab alio instituto ecclesiastico. Sunt plurima pars parochorum. Parochi vero incorporati praesunt alicui parochiae, quae incorporata est alicui conventui religioso, capitulo cathedrali vel alii instituto ecclesiastico. In hoc casu parochi non sunt nisi vicarii qui vice quidem instituti ecclesiastici sed proprio nomine curam animarum exercent [3].

---

sorii sive hospitii (vulgo Hôtelier, albergatore). Quare verbum parochi prout significat sacerdotem curatum in fontibus iuris antiqui non occurrit, et nonnisi a temporibus Concilii Tridentini usu venit. Nomen vero parochiae vel paroeciae iam antiquis temporibus (licet in significatione dioeceseos) occurrit, ut patet ex c. 5 D. 93: «Si quis ordinatus episcopus ad parochiam, cuius est electus» etc. et c. 20 eiusdem Distinctionis «De parochia unius episcopi»; cf. Bouix 7. Hodiernis diebus parochus vocatur diversis in regionibus etiam pastor. Quamvis nomen pastoris (animarum) proprie tantum convenit episcopis, tamen latiore sensu etiam parochi possunt vocari pastores, nec est cur ista appellatio tam severe impugnetur, sicut fecit Bouix l. c. 149—165.

[1] Sess. 24, c. 13 de reform.

[2] Cf. Bouix l. c. 219 sq et Pignatelli, Consult. can. t. IX, cons. 143, n. 13 (ed. Lugduni 1700).

[3] Cf. Acta S. Sedis XVI 134 et Ferraris s. v. Parochus a. 1, n. 8.

c) parochi locales et personales seu gentilicii. Parochi locales illi vocantur, qui gerunt officium parochiale in determinato territorio. Parochi autem personales seu gentilicii vocantur illi, qui gerunt officium parochiale non in determinato territorio super omnes personas inibi habitantes, sed super personas determinatae speciei, licet istae habitent in diversis parochiis localibus. Tales parochi personales sunt parochi militum, parochi Germanorum Londini, Petropoli aliisque in urbibus exsistentes etc. [1]

d) parochi saeculares et regulares, prout pertinent ad clerum saecularem vel regularem [2].

---

[1] Cf. Ferraris s. v. Parochia n. 17; S. C. C. 26 April 1902.

[2] In Iure canonico divisio parochorum in parochos primi et secundi gradus non exsistit. Pariter non exsistit locutio: parochus superior (Germanice Oberpfarrer). Nomen autem archipresbyteri multoties usurpatur in antiquis documentis. Solebant distingui duplicis generis archipresbyteri, sc. urbani seu civitatenses et rurales seu foranei. Archipresbyteri civitatenses in urbe episcopi constituti ceteris presbyteris praeerant. Archipresbyter vero ruralis seu foraneus seu etiam decanus ruralis vel foraneus vicarius praefuit ceteris presbyteris per minores titulos sive ecclesias habitantibus eorumque inspectionem habebat. Cf. Ferraris s. v. Archipresbyter. Hodie fere idem munus obtinet decanus ecclesiae cathedralis (Domdechant) et decanus ruralis (Landdechant). Praeter archipresbyteros olim erant archidiaconi, qui potestate ordinis fuerunt inferiores, sed potestate iurisdictionis superiores. Archidiaconus fuit enim vicarius episcopi et eius etiam oculus dicebatur c. 7 X de off. archid. 1, 23 (Innoc. III). Iuxta Conc. Trid. (sess. 24, c. 12 de reform.) debuit esse magister in theologia seu doctor aut licentiatus in iure canonico. Fuit olim collector oblationum, redituum atque universae pecuniae ecclesiasticae; praebendas distribuebat clericis; mittebat in possessionem eos, qui beneficia acceperant; quos cognovit idoneos ad ordines et beneficia episcopo praesentabat et definiebat causas fori episcopalis; cf. Devoti l. c. § 72. Non raro archidiaconi limites suae potestatis excesserunt et propterea episcopi enitebantur eorum officium limitare vel etiam abolere. Hodiernis temporibus admodum rari exsistunt archidiaconi; eorum potestas et munus secundum maiorem partem translata sunt in vicarios generales episcopi. Optime de historia Archidiaconatus et Archi-

ARTICULUS II.

DE CANONICA ERECTIONE ET SUPPRESSIONE PAROCHIAE.

Praenotamen. Quamvis iste articulus potius pertineat ad tractatum de beneficiis ecclesiasticis et proinde ad partem de rebus ecclesiasticis, tamen illum hic subnectimus, ad hoc ut studentes habeant uno loco ea quae scire debent de officio parochiali universim sumpto.

Q. 74. *Quotuplici modo constitui possit nova parochia?*

R. Duplici modo sc. via quam dicunt creationis et via quam dicunt dismembrationis. Via creationis erigitur nova parochia, cum efformatur non ex parte quadam alicuius parochiae vel parochiarum iam exsistentium, sed ex territorio vel populo nondum ulli parochiae adscripto. Hoc modo eriguntur parochiae in locis missionum, ubi systema parochiale primum instituitur. Via dismembrationis nova parochia erigitur «quando ex una vel pluribus parochiis iam exsistentibus aliquae partes distrahuntur et ex iis partibus alia (parochia) efformatur et constituitur» [1].

Q. 75. *Quid notandum sit de erectione parochiae per viam creationis?*

R. 1. De potestate ordinaria episcopi possunt erigere parochias via creationis, ut patet manifeste ex Conc. Trid. sess. 24, c. 13: «In iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales (ecclesiae), quam primum fieri curent (episcopi) non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.»

2. Sive parochia erigatur via creationis sive via dismembrationis requiritur:

---

presbyteratus disseruerunt Sägmüller, Die Entwicklung des Archipresbyterates und Dekanates bis zum Ende der Karolingerzeit (1898) et Fournier, Les officialités au moyen-âge (1880).

[1] Bouix l. c. 242.

a) sufficiens numerus populi. Doctores communiter docent 10 domos vel familias sufficere [1]. «Ut ecclesia, quae 10 habet mancipia, super se habeat sacerdotem, quae vero minus 10 mancipiis habuerit, aliis coniungatur ecclesiis.» Hodiernis temporibus maior numerus de facto requiritur.

b) dos congrua pro sustentatione parochi et expensis cultus. Reditus isti possunt provenire vel ex bonis immobilibus (et hoc melius est), vel ex bonis mobilibus, vel ex fidelium largitionibus liberis aut impositis, vel etiam ex pensione a civili gubernio data [2].

c) sacerdos idoneus. Patet.

d) actus erectionis ab episcopo faciendus [3]. Documentum erectionis debet asservari in archivio ecclesiae parochialis.

e) In aliquibus regionibus, e. gr. in Germania requiritur etiam licentia gubernii civilis.

Q. 76. *Quid notandum sit de erectione parochiae per viam dismembrationis?*

R. 1. Potestas hoc modo parochiam erigendi non tantum competit Summo Pontifici, sed etiam episcopo et quidem tum de potestate delegata tum de iure ordinario. Debet tamen episcopus, nisi intercedat specialis facultas pontificia, procedere iuxta tramites iuris, ut statim dicitur.

2. Normae praecipue observandae ab episcopo in hac materia inveniuntur in Conc. Trid. sess. 21, c. 4: «Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et

---

[1] Leurenius, Forum benef. p. 1, q. 160.

[2] Cf. Conc. Trid. sess. 24, c. 13 de reform. et sess. 21, c. 7 de reform.

[3] Quoad formulam cf. Bouix l. c. 671.

cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quod sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam vel difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus iuxta formam constitutionis Alexandri III[1], quae incipit ‚Ad audientiam', constituere possint. Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus; et si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam, quacumque reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis ecclesiis non obstantibus.» Ex quibus verbis sequitur sequentes conditiones adesse debere, quando episcopus vult erigere novam parochiam per viam dismembrationis:

a) distantia ecclesiae parochialis. Qualis autem distantia requiratur, non potest absolute determinari, sed hoc pendet etiam ex asperitate viae. S. C. C. 27 Sept. 1732 decrevit, ut nova vicaria erigeretur in villa Meridie, quae ab ecclesia parochiali 1500 passus distabat[2]. Generatim dicendum est tunc parochialem ecclesiam nimis distare, quando debiles non possunt sine magna difficultate accedere ad illam[3].

---

[1] C. 3 X 3, 48. [2] Schulte-Richter, Conc. Trid. 117.

[3] Cf. S. C. C. 28 Ian. 1736. Caus. Asculan. in Thesaur. Res. IX 32 et in tomo anni 1803 (eiusdem Thesauri) p. 92 habetur: «Satis reputatur distantia duplicis milliaris ut dismembratio fiat» testibus Fagnano (in cap. «Ad audientiam» n. 19), Pirhing (Ius can. in 5 libr. Decret. distr. c. 16, n. 19) et Sacra Congregatione (in Ariminensi erectionis parochiae 18 Iuni 1789 et in Placentina dismembrationis 28 Maii 1791) apud Bouix l. c. 264.

b) nimium incrementum numeri parochianorum[1]. Ingens populi multitudo non est per se causa legitima dismembrationis, multoque minus reputatur pro iusta causa constituendi novam parochiam, «si ecclesia non sit capax totius populi ac ita deformis, tum quia neque Tridentinum[2] neque citatum caput ‚Ad audientiam' id consideravit; tum quia huic difficultati occurri potest per ampliationem ecclesiae, vel per exstructionem novae capellae in proprietate parochialis antiquae»[3]; attamen Bouix l. c. 255 merito dicit: «Quamvis citati doctores tamquam causam legitimam dismembrationis non admittant populi numerum etiam exorbitanter adauctum, . . . bonum spirituale animarum expostulat eiusmodi parochias ingentissimas in plures dividi (ubi id per circumstantias licet). Id certe dubium nequaquam habuit Pius VI, qui statutas per civilem cleri Gallicani constitutionem 6000 animarum parochias tamquam longe longeque nimis parochi vires excedentes lamentabatur.»

Ex verbis Concilii Tridentini manifeste patet, episcopum posse dividere parochias «etiam invitis rectoribus», qui quidem, si se iniuste gravatos reputant, possunt licite recurrere ad S. Congregationem Concilii. Plures casus huiusmodi recursus videsis apud Schulte-Richter l. c.[4] Appellatio habet effectum devolutivum, non autem suspensivum. Antequam vero parochia ab episcopo dividatur, formalitates seu solemnitates iuris praescribuntur sc.

c) Debet fieri processus ad verificandum an revera adsit iusta causa novam parochiam erigendi[5].

---

[1] S. C. C. 27 Ian. et 19 Maii 1877 (A. S. S. X 260 sqq); 16 Apr. 1876 (A. S. S. XIII 68 sqq).

[2] Sess. 21, c. 4 de reform.

[3] Leurenius, Forum benef. p. 1, q. 154, n. 4.

[4] Cf. Bouix etiam l. c. 280 sqq.

[5] Cf. Leurenius l. c. p. 1, q. 157, n. 2.

d) Citandus est dismembrandae parochiae rector et alii, quorum interest, ut dicant, si quid opponendum habeant. Casu quo parochia vacat rectore, alius tamquam defensor iurium parochialium est instituendus [1].

e) Citandus est etiam patronus, si ecclesia dismembranda est iuris patronatus. Cum enim Concilium Tridentinum eodem modo loquatur de rectore ecclesiae et de iis, quorum interest, et cum caput «Ad audientiam» specialem mentionem faciat de patrono seu fundatore, videtur patronum esse citandum. Ast sicuti invito rectore, ita etiam invito patrono dismembratio ex iustis causis fieri potest [2].

f) Novae parochiae debent assignari determinati limites, dos congrua, sacerdos idoneus [3].

g) Requiritur consensus capituli ecclesiae cathedralis et quidem de validitate, si agitur de dismembratione parochiarum non exemptarum [4]. Quando autem agitur de dismembratione parochiarum exemptarum, e. gr. alicuius parochiae subiectae regularibus exemptis, tunc iuxta Fagnanum non requiritur consensus capituli [5].

h) In Germania, in Gallia et nonnullis aliis regionibus requiritur gubernii civilis assensus [6].

g) Requiritur diploma erectionis ab episcopo emanatum. Cf. q. praec. n. d. (non tamen ad validitatem).

Scholion. Quae hucusque dicta sunt de dismembratione parochiarum, valent etiam positis ponendis de unione, mutatione et suppressione parochiarum [7]. Hoc tamen notandum est episcopum non posse unire pa-

---

[1] C. 1 in VI° 3, 9 et c. 2 Clem. 3, 4; cf. Leurenius l. c.

[2] Cf. Leurenius l. c.

[3] Cf. supra q. praec. et Bouix l. c. 269.

[4] A. S. S. III 400; Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 5.

[5] Fagn. ad c. 3 «Ad audientiam» III 48, n. 49 sq; cf. Bouix l. c. 272.

[6] Cf. Bouix l. c. 279 et Vogt l. c.

[7] Videsis Ferraris s. v. Unio beneficiorum; cf. infra q. 164. Conc. Trid. sess. 21, c. 5 de reform. et Leurenius l. c. p. 3, q. 966.

rochiam conventui regularium sine speciali licentia S. Sedis vel sine speciali privilegio [1].

Ex rigore iuris reservari deberet ius patronatus in favorem parochi ecclesiae matricis, eo saltem casu, quo ex reditibus istius ecclesiae nova ecclesia parochialis dotata est. Sin minus, aliquo saltem modo debitus honor matrici ecclesiae agnoscendus esset, e. gr. per annuum censum. Ex hodierna vero praxi non adeo huic conditioni attenditur, quamvis non desint casus, in quibus vestigia antiquae disciplinae conspiciuntur [2].

ARTICULUS III.

DE NORMA CANONICA PAROCHOS CONSTITUENDI ET REMOVENDI.

Q. 77. *Ad quem pertineat parochos constituere?*

R. Distinguendum est, num parochia sit liberae collationis, uti dicunt, necne, vel aliis verbis, num parochia sit iuris patronatus necne.

Quando parochia non est liberae collationis, sed **iuris patronatus,** sequentia requiruntur:

1. Ut a patrono fiat legitima praesentatio. Tunc autem praesentatio est legitima, si 4 sequentes conditiones adsunt sc.

a) quando ius patronatus est legitime acquisitum et nondum exstinctum. De quibus cf. infra q. 173 sqq;

b) quando fiat de persona idonea et digna [3], i. e. quae iis dotibus ornata est, quae tum per canones generatim tum ex lege fundationis in specie requiruntur (cf. infra q. sequ.);

c) quando fiat intra tempus a iure concessum. Patronis laicis conceditur a iure tempus 4 mensium a die

---

[1] Cf. infra t. II, q. 180.

[2] Cf. S. C. C. die 20 Sept. 1879 apud Acta S. Sedis XIII 299.

[3] C. 5 et 18 X 3, 38.

habitae notitiae de vacatione parochiae [1]. Patronis vero ecclesiasticis conceditur tempus 6 mensium [2];

d) quando facta est in forma legitima, sc. episcopo vel alii competenti institutori; potest autem fieri scripto vel oretenus. Ex legitima praesentatione patroni acquirit praesentatus ius ad rem, i. e. ius, ut parochia illi ab episcopo vel alia competenti auctoritate revera conferatur [3]. Sin vero patronus intra tempus determinatum legitimam praesentationem non fecerit, collatio ad episcopum vel superiorem devolvitur [4].

2. Facta legitima praesentatione a patrono requiritur institutio collativa ab episcopo. Quamvis saepe institutio et collatio promiscue sumantur, tamen proprie loquendo differunt. Collatio enim est voluntaria concessio parochiae (vel beneficii) sine ulla electione, postulatione aut praesentatione; institutio vero est concessio quadamtenus necessaria parochiae vel beneficii vacantis, praecedente aliqua praesentatione sive nominatione patroni vel alterius privilegiatae personae, a competente superiore ecclesiastico [5]. Haec institutio vocatur etiam institutio collativa tituli et ex iure communi in officiis ecclesiasticis maioribus reservatur Summo Pontifici, in officiis vero minoribus, qualis est parochia, pertinet ad superiorem ecclesiasticum immediatum (episcopum, vicarium generalem, vicarium capitularem, praelatum «nullius»). Quoad officium parochiale institutio collativa danda est infra duos menses a die factae praesentationis. Quibus mensibus

---

[1] C. 3 27 X 3, 38.

[2] C. 22 X 3, 38; cf. Santi in hunc tit. n. 35. Iste terminus legibus particularibus nonnunquam coarctatur. Sic e. gr. lege Austriaca quibusvis patronis privatis nonnisi sex hebdomadae ad praesentandum conceduntur. Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 93, ubi etiam inveniuntur iura particularia de forma praesentandi.

[3] Cf. Leurenius, Forum benef. p. 2, q. 126. [4] Cf. ib.

[5] Cf. ib. q. 160 sqq.

inutiliter elapsis, provisio reservatur S. Sedi, datur tamen tunc patrono optio ut recursum habeat ad Metropolitanum vel viciniorem Ordinarium vel ad S. Sedem [1]. Nisi consuetudo contraria legitime invaluit, publico edicto nomen praesentati est promulgandum eo fine ut quilibet possit coram Ordinario deponere rationes suas contra institutionem canonicam illius [2]. Episcopus potest, immo et debet praesentatum examinare, utrum sit idoneus pro beneficio proposito [3]; excipiuntur ab hoc examine illi qui ab universitatibus vel collegiis studiorum generalium sunt praesentati [4]. Si episcopus recusat institutionem clerici, tenetur rationes huius recusationis patrono manifestare, qui tunc potest vel legitime appellare contra episcopum ad S. C. C. vel novum clericum praesentare [5]. Pendente appellatione episcopus nequit (saltem definitive) alium clericum nominare pro beneficio vacante. Si vero ipse clericus, qui primo fuit praesentatus a patrono et deinde reiectus ab episcopo, contra sententiam episcopi reclamans causam obtinuit, tunc alius clericus a patrono secundo loco praesentatus et iam institutione canonica donatus nihilominus in beneficio obtento remanere potest [6].

3. Requiritur institutio realis (corporalis vel actualis), vocatur etiam investitura vel inductio (vulgo Einführung). Legitima praesentatione et institutione collativa finita superest, ut novus parochus introducatur a competente superiore ecclesiastico in parochiam; non enim potest propria auctoritate possessionem parochiae capere [7]. Nostris regionibus insti-

---

[1] S. Pius V, Const. «In conferendis» 18 Martii 1567; cf. Wernz II 445.

[2] Cf. c. 47 in VI° 1, 6.

[3] Conc. Trid. sess. 7, c. 13 de reform.

[4] Ita Conc. Trid. l. c.

[5] C. 5 29 X De iure patr. 3, 38.

[6] Cf. Leurenius l. c. [7] Cf. ib. q. 798 sq.

tutio realis novi parochi ab episcopo demandari solet decano vel alio presbytero digniori. Institutione reali peracta novus parochus habet omnia iura suo officio debita.

1. **Quando vero parochia est liberae collationis** tunc in omni casu Summus Pontifex valide potest instituere parochum. Patet, quia institutio parochi est mere iuris ecclesiastici [1]. Summo Pontifici de facto reservatur collatio parochiae:

a) quando parochia vacat «apud Sanctam Sedem» [2], nisi tamen parochia est iuris patronatus laicalis vel est manualis, i. e. ad nutum revocabilis. Reservatio cessat, si Summus Pontifex intra mensem a die vacationis computandum parochiam alii non contulerit [3];

b) quando parochia fuit collata sine concursu a Tridentina Synodo praescripto [4];

c) quando parochia collata fuit contra 1. et 9. Regulam Cancellariae Apostolicae [5].

Merito autem dicit Wernz [6]: «Quo ambitu in singulis regionibus etiam nostra aetate reservationes pontificiae vigeant, maxime ex Concordatis et probatis scriptoribus canonicis de iure particulari est eruendum. In universum autem reservationes pontificiae saltem in regionibus extra Curiam Romanam et Italiam . . . secundum disciplinam vigentem ad angustos limites sunt redactae.»

2. Parochiam liberae collationis conferre pertinet de iure communi ad episcopum dioecesanum electum et confirmatum licet nondum consecratum [7], nisi tamen sit

---

[1] C. 2 X 3, 4.

[2] Decretal. l. c. et c. 34 de Praebendis in VI°; cf. Bouix l. c. 316 sqq. Quid significet expressio: vacare apud Sanctam Sedem vel in Curia Romana, vide infra q. 170.

[3] C. 3 Statutum 3, 4 in VI°.

[4] Pius V, Const. «In conferendis» 18 Mart. 1567.

[5] Vide Bouix l. c. 320 sq; cf. etiam infra q. 170.

[6] Ius decr. II, n. 334. [7] Leurenius l. c. q. 668.

reservata Summo Pontifici (de quo supra) vel ex praescriptione, consuetudine vel certo privilegio aliud statutum sit. Vicarius generalis indiget speciali delegatione episcopi ad collationem parochiarum. Sede vacante capitulum vel vicarius capitularis non potest de iure communi parochias conferre [1], potest tamen vicarium in parochia vacante instituere. Ex iure particulari solet amplior facultas concedi vicario capitulari.

Etiam in libera collatione parochiae requiritur institutio realis seu investitura de quo supra.

Q. 78. *Cuinam possit beneficium parochiale conferri?*

R. Qui promovendus est ad beneficium parochiale, debet esse dignus tanto officio. Censetur vero dignus ille, qui habet aetatem sufficientem et qualitates requisitas. Aetas sufficiens est vigesimus quintus annus inchoatus; qualitates requisitae sunt status clericalis, natales legitimi, honestas vitae et scientia competens. De istis qualitatibus debet fieri diligens inquisitio praesertim per formam concursus a Conc. Trid. (sess. 24, c. 18 de reform.) praescriptam, quam postea Clemens XI (d. 10 Ian. 1721) et Benedictus XIV (14. Dec. 1742) accuratius determinaverunt. Examinatores praeter episcopum vel eius vicarium sunt saltem tres (e sex examinatoribus synodalibus vel prosynodalibus) [2]. Concursus debet convenienti tempore omnibus candidatis intimari, qui statuto termino conveniant et clausi in eodem conclavi Latino idiomate respondere debeant in scriptis quaestionibus theologicis,

---

[1] C. 2 X 3, 9 «Ne sede vacante» et caput unicum eiusdem tituli in VI°.

[2] Vocantur examinatores synodales, quia in synodo dioecesana instituí debent. Quodsi autem synodus dioecesana non celebratur, episcopus facultate a S. C. Concilii accepta cum consensu capituli instituit examinatores prosynodales; cf. Bened. XIV, De syn. dioec. l. 4, c. 7, n. 9.

et scribere in lingua vernacula brevem sermonem. In pluribus regionibus [1] legitima consuetudo ab Apostolica Sede approbata invaluit, ut concursus non fiat qualibet vice, quando parochia vacat, sed ut examen de scientia aliisque conditionibus fiat semel vel bis in anno ab omnibus clericis alicuius dioecesis, qui cupiunt esse parochi et qui habent omnes qualitates requisitas ad normam concursus a Tridentino praescriptam. Examine feliciter peracto episcopus vacante aliqua parochia eligit ex clericis, qui sic digni inventi fuerunt, illum qui magis idoneus apparet [2].

Q. 79. *Quomodo beneficium parochiale possit auferri?*

R. De ablatione officii parochialis per parochi mortem et renuntiationem legitime acceptatam nihil dicendum est. De ablatione vero per translationem involuntariam vel privationem ob delictum parochi imprimis videndum est, num parochus sit inamovibilis ex iure, vel amovibilis seu succursalista uti dicunt.

1. Parochi succursalistae possunt ex rationabili causa ab episcopo transferri ad aliud officium, vel possunt etiam privari officio parochiali. Si parochus putat se esse iniuste gravatum vel remotionem sibi causare damnum iniustum, potest contra statutum episcopi reclamare apud S. Congregationem Concilii [3].

2. Parochi inamovibiles autem possunt amoveri duplici modo: privatione parochiae et remotione administrativa vel oeconomica. Quantum ad primum modum parochi inamovibiles non possunt privari parochia sua nisi ob culpam gravem cuius exsistentia

---

[1] In Germania, Austria, Gallia, Belgio etc. cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 70.

[2] Videsis Instructionem S. C. de Propaganda Fide de concursibus ad paroecias d. 10 Oct. 1884 apud Santi II, post n. 75; cf. Kirchenlexikon s. v. Konkurs.

[3] Cf. Leurenius, Forum benef. p. 1, q. 72, et Bouix l. c. 419 sqq.

processu iuridico constare debet. Non potest ergo procedere episcopus ex informata conscientia[1]. Tales culpae sunt omnes illae, ob quas poena degradationis licite inferri potest (cf. supra q. 71). Generatim competit episcopis facultas removendi parochos, qui turpiter et scandalose vivunt, si, postquam sint admoniti, in sua nequitia perseverant[2]. Singula crimina, ob quae parochi privari possunt parochia, videsis apud Bouix l. c. 375—396.

Quantum ad alterum modum ex verbis Conc. Trid. (sess. 21, c. 6) clare eruitur episcopis ius adesse aliquando parochos (inamovibiles) removendi, quin ulla culpa gravis in iis inveniatur et sine processu iuridico; quae via ab auctoribus vocatur remotio oeconomica vel administrativa et haec quidem remotio potest esse aut perpetua aut temporanea. Causae ob quas haec remotio licita est ad duas referri possunt: a) Si propter imperitiam vel inutilitatem parochus prorsus impar factus est regendi parochiam. Ratio patet, quia in hoc casu parochiani magnum damnum paterentur, si non alius pastor illis daretur. b) Si propter grave odium vel magnam aversionem plebis parochi ministerium redderetur infructuosum, nec spes mutationis in melius adsit. Ratio est eadem[3]. Tunc enim ut habet c. 5 X 3, 19: «Si perspexerit episcopus causam necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uno loco sunt minus utiles, alibi utilius se valeant exercere.» — Verum in utroque casu remotio ista nullatenus privationi poenali aequiparari potest. Unde ut rite eam peragat episcopus, convenit ut antea parochum suaviter inducat ad sponte resignan-

---

[1] Cf. Leurenius l. c. p. 3, q. 172.

[2] Conc. Trid. sess. 21, c. 6 de reform. et sess. 25, c. 14 de reform.

[3] Ita pluries S. C. C. e. gr. 19 Dec. 1857, 14 Dec. 1885, 25 Febr. 1905 etc.

dum vel aliud beneficium accipiendum vel coadiutorem tenendum. Praeterea necesse est ut episcopus provideat parocho aut de congrua pensione aut de alio officio eiusdem fere dignitatis. In amotione administrativa formalitates iuris non praescribuntur [1].

ARTICULUS IV.

DE IURIBUS ET PRAEROGATIVIS PAROCHORUM.

Q. 80. *Quaenam sint praecipua iura parochi?*

R. 1. Omnia iura parochialia fundantur super principio, quod parochus sit pastor (iure ecclesiastico) deputatus ad pascendas oves sibi commissas. Exinde enim sequitur, quod parochus gaudeat iurisdictione ordinaria, i. e. vi sui officii sibi commissa. Haec quidem iurisdictio non est undequaque perfecta, quia parochia etiam non est societas perfecta. Hinc parochus non habet propriam iurisdictionem in foro externo, nec leges dare potest; potest tamen facere ordinationes et statuta pro tota parochia sua.

2. Iura parochialia [2] in stricto sensu vocantur illa praerogativa, quae privative parocho conveniunt, ita ut absque consensu parochi nemo haec iura usurpari possit nisi eius superior ecclesiasticus. Antiquis temporibus iura parochialia fuerunt ampliora quam nunc, quia Concilium Tridentinum et legitima privilegia functiones olim parochiales nunc etiam aliis commiserunt. Iura parochialia adhuc exsistentia possunt considerari:

---

[1] Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. n. 1009 sqq.

[2] Quidam doctores distinguunt inter iura parochialia et functiones parochiales. Iura parochialia sunt illa quae potius utilitatem quam honorem vel praeeminentiam afferunt. Functiones vero parochiales sunt illae, quae exclusive a parochis vel eorum delegatis peragi possunt; cf. Bouix l. c. 442. Nos autem sub nomine iurium parochialium etiam includimus functiones parochiales.

a) in ordine ad sacramentorum ministrationem et tunc iura parochialia sunt:

α) solemnis administratio baptismi et benedictio fontis baptismalis (nisi ius particulare aliud statuat ut e. gr. Florentiae) Baptismus autem neoconversorum solet ab episcopo demandari sacerdoti, qui neoconversum in gremium S. Matris Ecclesiae recipit;

β) administratio communionis paschalis, viatici et extremae unctionis;

γ) annuntiatio bannorum et celebratio matrimonii;

δ) administratio sacramenti poenitentiae suis parochianis etiam in alia dioecesi. (Est quidem ius parochiale sed non privative.)

b) In ordine ad quasdam benedictiones. Ad parochum pertinet benedicere nuptias, benedicere domos Sabbato Sancto, benedicere solemniter campos [1]. Alias benedictiones sive privatas sive publicas possunt debita facultate supposita fieri ab aliis sacerdotibus sine licentia parochi. Benedictio puerperae non est ius parochiale, sed a quolibet sacerdote fieri potest [2].

c) Quantum ad funera. Generatim loquendo parochus habet ius peragendi funera suorum parochianorum. Casu autem quo illi elegerint sepulturam apud regulares vel extra parochiam, nihilominus parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere vel ad ianuam ecclesiae regularium vel ad ianuam publici coemeterii vel saltem usque ad terminos parochiae. Pariter etiam in hoc casu parochus habet ius ad «Quartam funeralium» [3].

d) Quantum ad dispensationem in lege ecclesiastica parochus potest in casu particulari ob rationabilem causam talem dispensationem suis parochianis concedere. Pro praxi parum refert, utrum in

---

[1] Decreta auth. n. 3801. [2] S. C. C. 17 Ian. 1896.

[3] Cf. infra t. II, q. 247.

istis casibus adsit dispensatio proprie dicta vel declaratio authentica de lege non observanda.

e) Quantum ad bona temporalia. Parochus est administrator bonorum parochiae; iure tamen particulari et non raro etiam iure civili eius potestas administrativa limitatur. Insuper parochus ius habet ad congruam sustentationem ex bonis parochiae [1], sicuti etiam sic dicta «iura stolae» illius sunt.

Scholion. De iure parochi nominandi et removendi sacerdotes coadiutores postea sermo erit, quando tractatur de coadiutoribus parochorum.

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

Q. 81. *Quaenam sint obligationes parochi?*

R. Sicut iura parochi sequuntur ex eius officio pastoris fidelium, ita ex eodem officio sequuntur eius obligationes:

1. Professio fidei intra duos menses a die adeptae possessionis facienda in manus episcopi vel eius vicarii generalis [2]. Per indultum apostolicum episcopi possunt obtinere facultatem delegandi alios sacerdotes, e. gr. decanos rurales ad professionem illam fidei recipiendam [3].

2. Residentia in parochia. Parocho de iure divino incumbere residentiae onus omnes fere post Tridentinum [4] sacrorum canones interpretes uno ore profitentur. Ut autem huiusmodi oneri satisfaciat, necesse est a) ut in aedibus parochialibus prope ecclesiam ipsam inhabitet sicut centies declaravit S. C. C. [5] et b) ut

---

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 13 de reform.
[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform.
[3] Cf. Congr. Ep. et Reg. 9 Mart. 1892.
[4] Conc. Trid. sess. 23, c. 1 de reform.
[5] Cf. Lingen-Reuss 780.

non per longum tempus a parochia absit, etiamsi reliquerit idoneum vicarium. De huius absentiae spatio Concilium Tridentinum l. c. statuit «illud singulis annis sive continuum sive interruptum . . . nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento». Praesertim curent parochi, ne tempore Adventus, Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi a suo grege absint. Haec Tridentina lex obligat parochum et omnes qui possident beneficium aliquod ecclesiasticum, cui cura animarum annexa est, sub peccato mortali, et transgressores pro rata temporis absentiae fructus beneficii pauperibus loci vel fabricae ecclesiae erogare tenentur in conscientia. Praeterea aliis poenis immo et ipsa privatione beneficii possunt ab episcopo puniri. Haec de iure communi. De iure vero particulari episcopi solent speciales normas praescribere, quando parochus vult abesse a parochia. Sine licentia episcopi prius obtenta parochi non possunt per hebdomadam abesse de iure communi[1] a sua ecclesia etiam relicto vicario idoneo[2]. Si parochi praesertim rurales sunt absque vicario, a parochia nec etiam per unum diem absint; experientia enim lugubri constat parochianos (non ita raro) esse mortuos sine sacramentis durante absentia non necessaria proprii parochi.

3. Praedicatio verbi Dei. Parochi tenentur ipsi vel per legitime deputatos diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebem sibi commissum pro sua et eius capacitate pascere praedicatione verbi Dei[3]. Haec lex obligat in conscientia, unde parochus qui raro vel nunquam praedicat, peccat mortaliter etiam praecisa gravi

[1] S. C. C. 7 Oct. 1604.
[2] Ferraris s. v. Parochus a. 2, n. 30.
[3] Conc. Trid. sess. 5, c. 2 de reform.

populi necessitate. Si vero populus propter pravitatem morum vel ignorantiam in rebus fidei et religionis multum indigeat praedicatione, facilius omissio praedicationis potest pro parocho fieri peccatum mortale. Auctores docent parochum peccare mortaliter si tribus mensibus unius anni neque per se neque per alios idoneos praedicaverit [1]. Parochi sint solliciti ut qualibet die dominica et diebus festivis pueri et rudes instruantur doctrina christiana sive in ecclesia sive in scholis [2].

4. Administratio sacramentorum suis parochianis [3]. Parochus tenetur ministrare sacramenta suis parochianis (tempore gravis necessitatis etiam cum periculo propriae vitae). Unde si magnum detrimentum ovium suarum imminet in spiritualibus, non potest propter morbum contagiosum aut aeris intemperiem relinquere gregem, nisi per alios idoneos ministros sufficienter curet de salute parochianorum [4]. Parochos sedulo observare debere rubricas aliaque statuta in administrandis sacramentis et generatim in cultu peragendo per se patet.

5. Applicatio Missae pro populo [5]. Tenentur iure divino — dicit enim Conc. Trid. l. c.: «cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas dignoscere, pro his sacrificium offerre» . . . — omnes parochi, sive amovibiles sive inamovibiles, sive saeculares sive regulares et omnes curam animarum actu gerentes ad offerendum pro populo sacrificium. Dies quibus parochus tenetur Missam

[1] Cf. Ferraris l. c. n. 71; Conc. Trid. sess 5, c. 2 de reform. et sess. 24, c. 4 de reform.

[2] Cf. Pius X, Encycl. «Acerbo» 14 Apr. 1905.

[3] Conc. Trid. l. c.

[4] S. th. 2, 2, q. 185, a. 5 et S. C. C. 10 Dec. 1576 tempore S. Caroli Borromaei, quando pestis grassabatur Mediolani.

[5] Conc. Trid. sess. 23, c. 1 de reform.

applicare pro populo sunt dies dominicae et festa, quae continentur in const. Urbani VIII «Universa per orbem» addito festo Immaculatae Conceptionis ex const. Clementis XI (insimul sunt dies 38) [1]. Excepto casu legitimi impedimenti tenetur parochus Missam pro populo per seipsum offerre, nec potest alium sacerdotem ad hoc substituere [2]. Huic obligationi parochus satisfacere potest per Missam privatam. Unde non tenetur Missam solemnem applicare. Ita saltem de iure communi [3]. Casu quo parochus duabus parochiis praeficeretur, etiam diebus festis et dominicis duas Missas debet applicare, praeciso speciali indulto [4]. Si parochus duas Missas dicit diebus dominicis et festivis, non potest unam applicare pro populo et pro alia recipere stipendium [5].

6. Parochus debet supervigilare scholas catholicas, in quantum possibile est, nisi tamen quaedam scholae ex iure particulari ab aliis sacerdotibus vel a religiosis custodiantur [6]. Ratio patet quia exemplo divini Pastoris dicentis: Sinite parvulos ad me pervenire — nihil magis corde esse debet bono parocho quam optima educatio iuventutis.

7. Parochus tenetur cum solertia libros sic dictos parochiales tenere i. e. librum baptizatorum, librum

---

[1] Dispensatio vel reductio huius obligationis difficulter obtineri potest a S. Congregatione Concilii; cf. S. C. C. 18 Febr. 1865 apud Lingen-Reuss, Causae sel. 801. Quomodo episcopi aliquantisper indulgere possint parochis, habetur in Bulla Benedicti XIV «Cum semper oblatas» 19 Aug. 1744. In Anglia Missionarii Rectores non tenentur ex stricto iure applicare Missam pro populo, sed «id decet ex caritate». S. C. de Prop. Fide 3 Dec. 1866. In Conc. Westmonast. I 88—90.

[2] S. C. C. 26 Ian. 1771. [3] Cf. Bouix l. c. 591.

[4] S. C. C. 8 Iulii 1843 apud Lingen-Reuss 799.

[5] Aliquando tamen conceditur Indultum pontificium pro secunda Missa accipiendi stipendium, quod tunc solet erogari in pauperes vel in bonum commune dioeceseos (e. gr. in archidioecesi Coloniensi).

[6] Cf. const. Leonis XIII «Romanos Pontifices».

St. Albert's College Library

defunctorum, librum confirmatorum, librum matrimoniorum, libros de administratione temporali parochiae et Archivium parochiae. Licet quidem istos libros tenere per alios fide dignos, dummodo parochus supervigilet, sed experientia constat non parvos abusus irrepere, si libri teneantur, e. gr. per sacristam laicum et parochus non attentam supervisionem exerceat. Quantum ad administrationem bonorum temporalium parochiae magna diligentia a parocho adhibenda est. De iure communi parochus tenetur a) facere Inventarium rerum, bonorum, et redituum ecclesiae [1]; b) singulis annis reddere Ordinario rationem administrationis [2]. De iure vero particulari non raro saluberrima statuta lata sunt pro bona administratione rerum temporalium parochiae [3]. Cum parochi non sint liberi possessores bonorum parochiae, sed tantum administratores, hinc sequitur quod si eorum culpa aliquid deperiisse comperiatur aut deterius factum sit, teneantur proprio aere damna resarcire [4].

Iurisdictioni potestatis saecularis nullatenus subiacet administratio bonorum ecclesiasticorum, cum adsit et adhuc vigeat privilegium immunitatis, attamen in pluribus regionibus (e. gr. in Germania, Austria, Gallia) tolerante Ecclesia gubernium civile multa statuta edidit de rebus ecclesiasticis administrandis. Quae quidem statuta observanda sunt, si Ecclesia illa rata habuit [5].

8. Parochus tenetur intervenire collationibus casuum conscientiae. S. C. C. 3 Sept. 1650 censuit episcopum cogere posse ad interveniendum congregationi casuum conscientiae parochos tam saeculares quam regulares curam animarum exercentes, ut refert Bene-

[1] Sixtus V, Const. «Provida» 29 Apr. 1586.

[2] Conc. Trid. sess. 22, c. 9 de reform.

[3] Cf. pro archidioecesi Coloniensi Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 60 sqq.

[4] Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. I, n. 968.

[5] Cf. Bouix l. c. 623 sq; Vogt l. c. § 45.

dictus XIV (Inst. eccl. 103). Pariter tenetur parochus accedere ad synodum dioecesanam[1] ac sic dictum Cathedraticum i. e. determinatam summam quotannis episcopo solvere, si tamen tale Cathedraticum in aliqua dioecesi praescriptum sit[2].

9. Parochus tenetur «pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere»[3] et generatim omnia illa facere, quae sunt boni pastoris.

ARTICULUS VI.

DE COADIUTORIBUS PAROCHORUM.

Q. 82. *Quotuplicis generis distinguantur coadiutores parochi?*

R. Triplicis generis sc. a) Administratores parochiales seu vicarii curati, quibus ad modum veri parochi cura committitur. Quod quidem multiplicem ob causam accidere potest. Tales curati sunt curati cathedralium vel monasteriorum, quando parochia est annexa capitulo vel monasterio. Tales sunt curati missi ab episcopo in parochiam vacantem. Vocantur etiam provisores, oeconomi. Generatim loquendo sunt vicesgerentes parochi[4]. Ad hoc genus videntur reduci etiam rectores missionum et generatim rectores alicuius ecclesiae, cui annexa est cura animarum, quin tamen haec ecclesia sit ecclesia parochialis.

b) Cooperatores parochiales, qui in adiutorium veri et idonei parochi dantur ob multitudinem populi et laboris. Non raro isti cooperatores parochi sunt insimul deservitores alicuius capellaniae vel alterius minoris beneficii.

---

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 2 de reform.

[2] Cf. Conc. Westmonast. III, decr. 17 (p. 175), et Bargilliat l. c. n. 663.

[3] Conc. Trid. sess. 23, c. 1 de reform.

[4] Germanice vocantur Pfarrverweser.

c) Coadiutores parochi, qui mittuntur in aliquam parochiam, si parochus ob aegritudinem aliasve rationes vel totaliter vel partialiter incapax est munus suum adimplendi nec tamen propter causam rationabilem potest amoveri a parochia.

Praeter istos cooperatores parochiales dantur adhuc multi alii sacerdotes curam animarum exercentes cum maiore vel minore dependentia a respectivis parochis, e. gr. capellani nosocomiorum, carcerum, monialium, orphanotrophiorum, praepositi collegiorum pro pueris educandis et instruendis etc. Generatim loquendo omnes isti exercent curam animarum ex pura delegatione episcopi et tantas facultates habent, quantas ex statuto particulari receperunt.

Q. 83. *Quid notandum sit de officio istorum parochi cooperatorum?*

R. 1. Quantum ad vicarios curatos seu administratores parochiales.

a) Conc. Trid. sess. 24, c. 18 de reform. statuit: «episcopus habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere (debet), qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur». Iste vicarius debet igitur «onera ecclesiae» i. e. totum officium parochiale adimplere et recipit congruam ab episcopo taxandam retributionem. Eius officium durat usque dum novus parochus in parochia advenit.

b) Si parochia vero perpetuo incorporata est alicui capitulo vel conventui, tunc omnino deputandus est a capitulo vel a conventu vicarius cum actuali et universa cura animarum [1]. Vicarius sic deputatus in-

[1] Conc. Trid. sess. 7, c. 7 de reform. Merito scribit Wernz II, n. 840: «In pluribus capitulis cathedralibus vel collegiatis cura animarum ipsis propria nequaquam per vicarios perpetuos, sed per vicarios temporaneos vel secundum consuetudines quasdam receptas a

diget approbatione episcopi, sed approbatione accepta easdem facultates et obligationes habet ac verus parochus[1]. Si intra sex menses idoneus vicarius non est praesentatus episcopo, tunc ille habet ius proprium vicarium constituendi pro ecclesia viduata[2]. Si parochia est coniuncta monasterio tantum quoad temporalia, vicarius debet desumi ex clero saeculari[3], si vero parochia est coniuncta capitulo vel monasterio secundum plenum ius i. e. secundum corporalia et spiritualia, tunc capitulum vel superior regularis potest aliquem subditum idoneum deputare pro vicario. Episcopus potest quidem taliter deputatum examinare, et si est ineptus, repudiare, sed non potest (saltem ordinarie loquendo) libere alium eligere. Ceterum in praxi statutis particularibus deputatio istorum vicariorum ut plurimum ordinata est. Pro parochiis coniunctis cum religiosorum conventibus vide infra t. II, q. 183 et responsionem S. Congregationis Concilii die 18 Dec. 1847 in causa Savonen, quam hic propter rei gravitatem in extenso subiungimus ex Lingen-Reuss, Causae selectae 840, n. 493.

De Vicariis Curatis.

Savonen — Curae animarum.

Die 18 Decembris 1847.

«Post luctuosas rerum Italicarum vicissitudines in integrum fuit restitutum Savonae coenobium Patrum Carmelitarum discalceatorum iisque cura animarum, quae

canonicis turnatim vel in solidum exercetur. Qui usus vel haud raro abusus usque ad nostram aetatem fuerunt conservati, at S. C. C. saltem ex disciplina nunc vigente magis magisque urget praxim laudabilem deputandi perpetuos vicarios, qui etiam ex ipsis canonicis convenienter assumi possunt.»

[1] Conc. Trid. l. c.; cf. Santi l. 1, tit. 28, n. 6.

[2] S. C. C. 23 Ian. 1864 (Acta S. Sedis IV 401 sqq).

[3] S. C. C. 18 Iulii 1761 apud Schulte-Richter 53.

iam coenobii ecclesiae erat adnexa, fuit perpetuo concredita ad formam SS. canonum et S. Concilii Trident. Curae autem huiusmodi exercitium residet penes unum ex eadem regulari familia a Priore locali deputandum et ad eiusdem Prioris nutum amovibilem, cui praeterea et alii duo pariter regulares in adiumentum assignantur, habita pro omnibus Episcopi approbatione.

Contigit autem paucis abhinc mensibus, ut circa praefatae curae exercitium dubium oriretur, num Prior localis possit tam praesente quam absente viro religioso ad animarum curam deputato munia parochialia et ipse exercere, ut praetendere videbatur, quin nec ab eodem vicario curato deputationem nec ab Episcopo approbationem accipiat. Rebus sic stantibus procurator generalis congregationis Italicae supplex adfuit pro sequentium dubiorum declaratione:

1. An curato vicario absente Prior localis quantumvis ab Episcopo non approbatus possit eius vices gerere? Et quatenus affirmative.

2. An etiam praesente vicario curato Priori locali liceat se immiscere negotiis curam animarum concernentibus?

Episcopus cui preces fuerunt ablegatae pro informatione et voto audito parocho in scriptis, huius responsionem transmisit, qui negativam in omnibus sententiam tuetur tum ad vitanda absurda et collisiones, quae in sensu affirmativo sequerentur, tum ad servandam in parochiali regimine unitatem. Huic actualis vicarii curati sententiae subscribit et plaudit vel ipse Episcopus, eamque confirmat tum ex consuetudine non solum generali in omnibus paroeciis, quae per regulares administrantur, vigente, sed etiam peculiari illius ecclesiae de qua incidit quaestio; tum ratione iurisdictionis, quam Prior acquireret independenter ab Episcopo in illius territorio; tum denique ex gravissimorum malorum contingentia, quae ob facilem opinionum collisionem Priorem inter et

vicarium deputatum sive in sacramentorum administratione sive in recta parochianorum disciplina ac moribus instituendis orirentur.

Quamvis posset dubitari, num Prior conventus, penes quem residet uti familiae moderatorem cura habitualis, retineat etiam actualem in qua consistit exercitium, eo quod vicarius ab eo deputatus sit tantum ad nutum amovibilis, quo casu tam actualem quam habitualem remanere penes principalem tradit Barb. de off. parochi part. 1, c. 1, n. 64 sqq; nihilominus certum est in praxi sicuti explicat idem auctor inferius n. 75 omnimodam curam actualem transferri in vicarium, sive hic perpetuus sit, sive ad nutum amovibilis: ac proinde non licere superioribus conventuum, quibus adnexa est cura animarum, ius aliquod exercere in subditos parochianos sed privative ad Episcopum spectare ex adnotatis a Giraldio in eodem tractatu sub append. 2 de capitul. cathedr. et post n. 43 in add. n. 4 circa fin. Idipsum de canonicorum capitulis statuitur, qui, licet habeant habitu curam animarum, nequeunt tamen se immiscere illius exercitio, ut animadvertitur in ‚Faventin, Coadiutoriae' 22 Ian. 1763. Parochis autem regularibus quantumvis amovibilibus eaedem competunt praerogativae, quae saecularibus, auctore Barb. loc. nuper cit. n. 39 et in cap. seq. n. 14.

Quibus praehabitis alterum etiam est extra controversiam ac omnibus doctoribus probatissimum, neminem scilicet posse ad curae exercitium deputari quin ab Episcopo approbetur, eiusque examini subiciatur, uti ad tramites Conc. Trid. sess. 25 de regul. c. 2 et Constit. ‚Inscrutabili' 5 Febr. 1622 a Gregor. XV emanatae unanimiter tradunt Gaudentius de Ianua, De visit. praelat. regularium dub. 20, c. 7, sect. 2, n. 13 et 14; Barb. l. c. n. 16 et 24 et Giraldi in ‚Ius Pontificium' part. 2, sect. 89, quibus consonant plures S. Congregationis resolutiones ac praesertim in Passavien. Iurisdictionis

1 Octobris 1661 ad 3 dub., in Aliphana, Curae 18. Ian. 1726, in altera Passav. 28 Iulii 1731 et in Cingulana 19 Iulii 1732 aliisque sexcentis. Idque verum est, etsi alicuius deputatio contingat ad breve tempus, sicut eruditissime monet Gaudentius de Ianua l. c. t. I, dub. 13, c. 5, n. 91 et t. II, dub. 20, c. 7, sect. 2, n. 13 et 14 allata S. Congregationis auctoritate in Assisien 16 Nov. 1709 et in ‚Nullius' Montis Casini 26 Ian. 1726 ad 2 dub. Praeterea in absentia parochi seu vicarii alterius deputatio ab hoc fieri debet atque ad Episcopum spectat ipsius deputati approbatio ceu docet Barbosa in cit. app. 2, n. 37 et Giraldi in «Ius Pontificium» loc. supra cit.

Ex his, quae fuse cumulata sunt, probe noverunt Eminentissimi Patres, quantum abhorreat a iure ac a sapientissimis S. huius Ordinis resolutionibus facultas, quam sibi arrogare posse Prior conventus Savonensis existimat. Quibus si et ea adiciantur incommoda et collisiones, de quibus meminit tum Episcopus tum actualis vicarius deputatus ad curam animarum, quaeque causam profecto dederunt superius allatis tum Concilii Trid. sanctionibus tum uniformibus S. Congregationis decretis luculentissime patebit, quaenam sit propositis dubiis reddenda responsio.

Negative ad utrumque.»

2. Quantum ad cooperatores parochiales.

a) Ex iure Tridentino sess. 21, c. 4: «Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.» Ergo iudicium utrum et quot sint necessarii coadiutores, pertinet ad episcopum, ipsa autem

nominatio pertinet ad parochum. Quodsi parochi admoniti ab episcopo neglexerint sibi coadiutores idoneos adiungere, tunc ad episcopum pertinet providere de sufficientibus cooperatoribus [1].

b) Hoc ius Tridentinum in pluribus regionibus ex legitima consuetudine vel Indulto apostolico non adamussim observatur, sed episcopi iuxta proprium iudicium etiam invito parocho libere deputant cooperatores necessarios pro parochia. Ita est in Germania, Anglia, Austria, Gallia, Hispania etc. [2]

c) Potestas horum cooperatorum in diversis regionibus iure particulari determinata est. Tota illorum potestas est delegata, nisi tamen insimul sunt deservitores alicuius capellaniae vel beneficii.

d) Congrua sustentatio ab episcopo solet stabiliri. Si enim episcopus ex iure Tridentino l. c. potest cogere rectorem parochiae, aliosque ad quos pertinet, ad habendum cooperatorem parochialem, potest etiam providere de congrua sustentatione huius cooperatoris et quidem «ex fructibus ad ecclesiam quomodocumque pertinentibus». Unde etiamsi inde reditus parochiae aliquando minuerentur vel parochiani ad novas oblationes adigerentur, episcopus nihilominus cooperatorem parochialem deputare potest, si ita pro bono spirituali parochiae necessarium iudicaverit [3]. Ex iure communi sic dicta «iura stolae» pertinent ad parochum et non ad cooperatores. Unde etsi cooperator e. gr. funera peregit, non potest de stricto iure exigere, ut remuneratio inde obveniens illi solvatur. Valde autem decet parochum concedere suis cooperatoribus partem «iurium stolae».

---

[1] S. C. C. 24 Iulii 1875 (Acta S. Sedis VIII 694 sq).

[2] Cf. S. C. C. 14 Aug. 1863; cf. S. C. Ep. et Reg. 15 Iun. 1906.

[3] Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. I, n. 955. In Hungaria cooperatores recipiunt summam 420 Coronarum ex sic dicto fundo religionis; cf. Tauber, Man. iur. can. § 93.

Stipendia Missarum pertinent ad cooperatorem [1]. In pluribus dioecesibus viget consuetudo, quod parochus et cooperatores eadem domo habitent eademque mensa vescantur.

c) Cooperatores tenentur in omnibus ad curam animarum pertinentibus fideliter adiuvare parochum illique obœdire, nec possunt sine eius licentia etiam per unum diem e parochia egredi.

d) Remotio cooperatorum fit ex iusta et rationabili causa ab episcopo, unde episcopus non potest licite mero arbitrio agere, quia Ecclesia abhorret ab arbitrio [2]. Si parochus vel ipse cooperator putant episcopum iniuste egisse decreto remotionis, datur quidem appellatio (late dicta) vel recursus ad S. Sedem, sed, nisi iniustitia sit evidens et damnum inde ortum sit grande, recursus erit inefficax.

3. Quantum ad coadiutores parochiales.

a) Coadiutor ab episcopo tunc tantummodo est deputandus in aliqua parochia, quando proprius parochus revera iam non est capax exercendi officium parochiale nec tamen a parochia removeri potest, e. gr. ob infirmitatem corporis vel mentis [3]. Generatim loquendo talis vicarius constitui potest, quoties adsit vel necessitas vel evidens utilitas spiritualis fidelium [4].

b) Etiam invito parocho talis coadiutor potest ab episcopo deputari [5], non tamen cum futura successione [6].

---

[1] Ita saltem de iure communi; nam in aliquibus dioecesibus statutum est, ut isti coadiutores certum numerum Missarum dicere debeant ad intentionem parochi in compensationem sustentationis a parocho acceptae.

[2] Cf. Santi l. c. n. 12.

[3] Conc. Trid. sess. 21, c. 4 et 6; S. C. C. 5 Dec. 1863, 30 Iulii 1864, 12 Aug. 1865.

[4] Cf. Santi l. 1, tit. 28, n. 5.

[5] Conc. Trid. l. c.; Benedictus XIV, Const. «Ad militantis» 30 Mart. 1742.

[6] Bouix l. c. 433.

c) Coadiutor debet obire omnia illa officia parochialia, quae illi designata sunt ab episcopo et non a parocho[1].

d) Coadiutor recipit congruam sustentationem iudicio episcopi taxandam[2]. Si reditus ecclesiae non sufficiant pro parocho et coadiutore, tunc coadiutori, pro quanto ipsi ad congruam sustentationem deficiet, providebit episcopus inquantum possibile est[3].

SECTIO II.

DE EPISCOPO EIUSQUE CURIA.

Praenotamen. Expositis omnibus quae ad officium parochiale pertinent, ascendere oportet ad episcopum et tractare de clericis parocho maioribus usque ad ipsum episcopum. Iste tractatus est longissimus, attamen quia iam de parocho et diversis vicariis parochialibus satis-dictum est, et infra specialiter de regularibus in ordine ad episcopum dicitur, omitti possunt relationes inter episcopum et parochum atque regulares. Totum tractatum de episcopo dividimus in articulos 6: 1. De institutione episcopi; 2. De iuribus episcopi; 3. De obligationibus episcopi; 4. De amotione episcopi; 5. De curia episcopali; 6. De archiepiscopo, primate et patriarcha.

ARTICULUS I.

DE INSTITUTIONE EPISCOPI.

Q. 84. *Quid sint episcopi?*

R. Episcopi, qui et vocantur Principes, Praesules, Pontifices, Summi Sacerdotes, Dioecesani, Ordinarii, Pastores[4], sunt antistites ecclesiastici, qui sacerdotii pleni-

---

[1] Cf. Bouix l. c. 677, form. 5 et 430.

[2] Conc. Trid. l. c.; Bouix l. c. 437.

[3] Ferraris s. v. Coadiutor n. 40.

[4] Plures aliae appellationes recensentur a Ferraris s. v. Episcopus a. 1 et melius adhuc a Mamachio, Orig. et antiq. christian. l. 4, c. 4.

tudinem obtinentes in locum Apostolorum succedunt. Unde episcopi in hierarchia ordinis supremum gradum obtinent, in hierarchia vero iurisdictionis subduntur Summo Pontifici vel Papae licet in Apostolorum locum successerint et positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei[1].

Episcopi distinguuntur a) in episcopos residentiales, sive ordinarios vel dioecesanos, qui alicui determinato territorio sunt praepositi, et in episcopos titulares (antiquitus vocabantur in partibus infidelium), qui solam consecrationem episcopalem, non autem aliquam iurisdictionem ordinariam receperunt.

b) in Patriarchas, Primates, Metropolitas, archiepiscopos et episcopos[2], cf. infra art. 6.

c) in episcopos electos et praeconizatos et episcopos consecratos. Quando aliquis clericus est rite electus episcopus et confirmatus, vocatur episcopus praeconizatus, quando autem etiam recepit consecrationem episcopalem, est episcopus consecratus.

d) in episcopos suffraganeos, qui subiciuntur alicui Metropolitae, et episcopos exemptos, qui immediate S. Sedi subiciuntur.

Q. 85. *Quomodo episcopi instituantur?*

R. 1. Facultas constituendi episcopos proprio et nativo iure est penes Romanum Pontificem[3]. Episcopi olim eligebantur a clero accedente praesentia et consensu populi (exempla sunt electio S. Ambrosii et S. Nicolai)[4].

---

[1] Conc. Trid. sess. 23, c. 4.

[2] Chorepiscopi non fuerunt vi sui officii episcopatus ordine ornati, aliquando tamen illis iste ordo conferebatur; cf. Ferraris s. v. Episcopus a. 1, n. 36 sqq. Iam a mille annis non dantur chorepiscopi. Quantum ad eorum historiam videsis Hinschius, Kirchenrecht II 161.

[3] Wernz II, n. 736.

[4] Optime, ut assolet, de historia episcopalis electionis disserit Devoti, Ius can. univ. II, l. 1, tit. 6, § 3 sqq, ubi etiam tractat de dolendis abusibus, qui ex sic dicta «investitura laicali» oriri solebant.

Non raro etiam principes laici vel capitulum cathedrale habuerunt et adhuc habent ius eligendi episcopum, attamen hoc ius ortum habet ex concessione Summi Pontificis, non vero ex ipsa natura rei, neque ex tali electione laicali aliqua vera potestas seu iurisdictio ecclesiastica oritur. Ratio est, quia Summus Pontifex confert episcopis iurisdictionem quam non habent immediate a Christo, ut volunt quidam auctores[1]. «Ratio siquidem monarchici regiminis, quod Christus in sua Ecclesia constituit, videtur exposcere, ut totius Ecclesiae iurisdictionis fons et origo resideat in eiusdem Ecclesiae visibili capite, quod est Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cetera membra.»[2] Unde epi-

[1] An iurisdictio episcoporum sit immediate a Deo vel immediate a Papa, acriter disputatum erat in Concilio Tridentino, sed nihil tunc definitum est. In Concilio Vaticano quaestio nequidem fuit proposita. Pro praxi haec controversia est minoris momenti, dummodo tamen admittatur iurisdictionem episcopalem non esse pure iuris ecclesiastici. Nam si iurisdictio episcopalis esset pure iuris ecclesiastici, tunc Papa posset valide saltem illam auferre sine ulla causa et prorsus aliam hierarchiam iurisdictionis in Ecclesia constituere. Hoc tamen non videtur admissibile. Iurisdictionem episcoporum derivare non immediate a Christo sed a Papa docere dicuntur S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Lainez, Benedictus XIV aliique. Contrarium tenent Vasquez, Alphonsus de Castro etc.; cf. De Groot, Summa apol. q. 15, a. 4; Billot, De eccles. Christi q. 15, § 1. A Bolgenio, Phillips et Vering propugnata est sententia, iurisdictionem particularem episcopi in suam dioecesim derivare quidem a Papa, sed iurisdictionem quandam universalem sc. quando episcopi sunt coadunati in Concilio oecumenico, derivare immediate a Christo, sed merito haec sententia tamquam nova et infundata reicitur. Nam si haec sententia vera esset, tunc ad Concilium oecumenicum necessario vocandi essent omnes episcopali charactere insigniti (ergo etiam episcopi titulares) quod tamen pluries non factum est, et praeterea Cardinales aliique clerici ordinis sacerdotalis non possent habere ibi vocem decisivam, quod iterum falsum est. Cf. supra, ubi de Concilio oecumenico agebatur q. 22.

[2] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 1, c. 4, n. 2; cf. Pius VI, Const. «Super soliditate» 28 Nov. 1786; S. Thomas, Comment. in 4 libr. sent., dist. 20, a. 4 et Contra gent. l. 4, c. 76; Billuart, Diss. de primatu S. Pontif. a. 3, obi. 4 ad 3.

scopi non vi suae electionis neque consecrationis habent iurisdictionem, sed vi creationis Summi Pontificis, ut manifeste apparet in consecratione episcoporum titularium. Attamen ex alia parte episcopi non sunt meri vicarii Papae etiam quantum ad iurisdictionem, ut quidam Protestantes calumniaverunt, sed vi sui officii et vi institutionis divinae sunt in actu primo proximo ad determinatam iurisdictionem. Unde sicut Papa non potest officium episcopatus abolere, ita nec iurisdictionem episcopalem; potest tamen iurisdictionem episcopalem limitare et «causas maiores» sibi reservare sicuti etiam quasdam personas (e. gr. regulares) eximere a iurisdictione episcopali.

2. Iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam Summi Pontifices exercent hoc suum ius in nominatione et electione episcoporum titularium (praesertim vicariorum apostolicorum in regionibus missionum, si sunt ordine episcopali insigniti). Episcopi titulares qui sunt coadiutores episcoporum residentialium cum iure successionis, solent tamen a Papa creari, praevia electione, si ipse episcopus dioecesanus hoc modo crearetur[1]. Iuxta vigentem disciplinam episcopi residentiales seu dioecesani in diversis regionibus diversimode creantur. Praecipui modi sunt sequentes:

a) Praevia commendatione aliquorum candidatorum facta ab episcopis comprovincialibus, vel ab aliis viris ecclesiasticis conspicuis, Papa designat libere episcopum pro ecclesia viduata. Iste modus viget in America septentrionali, Anglia, Hibernia, Belgio, Hollandia et generatim in locis S. C. de Prop. Fide subiectis[2]. Modus procedendi pro Anglia definitus fuit a S. C. de Prop. Fide d. 21 Aprilis 1852 simul cum Conciliis Westmonast. I, decr. 12 et IV, decr. 8;

[1] Cf. Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 10, n. 24.
[2] Cf. Wernz II, n. 751.

pro Irlandia seu Hibernia d. 17. Octobris 1829; pro America in Tertio Concilio Baltimor.; pro Australia die 19 Maii 1866[1]. Haec commendatio nullo modo est electio canonica et propterea nemo potest queri de vitio electionis. Licet Papa soleat designare episcopum aliquem ex commendatis, minime tamen ad hoc tenetur.

b) Praevia nominatione vel praesentatione principum vel praesidum civitatum Papa instituit episcopum pro ecclesia viduata. Hic modus nititur vel iure patronatus vel privilegio vel Concordato a Summo Pontifice concessis et usu venit in Austria, Bavaria, Hispania, Lusitania aliisque regionibus[2]. Ut patet princeps non potest praesentare quemlibet sed tantum digniores ad tam sublime munus, et praeterea debet observare omnes conditiones in suo privilegio impositas.

c) Praevia electione vel postulatione capituli cathedralis. Papa instituit episcopum in Borussia, in Helvetia, in archidioecesi Olmucensi, Salisburgensi aliisque dioecesibus[3]. In Borussia libertas huius electionis arctata est, cum nemo possit eligi, qui sit persona minus grata gubernio civili. Quando agitur de electione episcopi in Germania, tunc religiose et ad integrum perlegatur «Instructio pro Capitulis Germaniae, quibus competit electio episcoporum circa modum hoc munus peragendi» a Cardinali Rampolla die 20 Iulii 1900 auctoritate S. Sedis edita[4]. In hac instructione deter-

---

[1] Cf. Taunton, Cyclopaedia of Canon Law s. v. Bishops a. 4.

[2] Cf. Wernz II, n. 752. In Austria dantur etiam alii modi nominandi episcopos. Sic archiepiscopus Salisburgensis constituit episcopos Secoviensem (Graz) et Lavantinum (Marburg). Modi valde speciales nominationis exsistunt in archidioecesi Leopolitana (Lemberg). Videsis Tauber, Man. iur. can. § 178, ubi etiam de nominatione episcoporum in aliis regionibus sermo est, praesertim in Hungaria.

[3] Cf. Wernz l. c.

[4] Habetur apud Anal. Eccl. (ann. IX 413—414).

minatur modus, quomodo interventus commissarii civilis sit intelligendus. «Speciatim admittere nequit Apostolica Sedes, ut canonici dum electionem peractam commissario significant, approbationem seu ratihabitionem quodammodo expostulent aut exquirere videantur civilis potestatis. Nec permitti potest, ut adstanti populo statim notificetur electio velut completa et perfecta. Sed comitiorum exitus ita publicandus erit, ut simul declaretur, capitularem actum suos canonicos effectus non sortiri, nisi cum a Summo Pontifice fuerit confirmatus.» Facta institutione a Summo Pontifice receptisque bullis pontificiis episcopi inthronizari solent cum magna solemnitate. Aliquando etiam tenentur facere iuramentum fidelitatis erga principem civilem sicuti e. gr. in Germania.

Scholion. Quomodo in Ecclesia Orientali episcopi et patriarchae instituantur videsis apud Wernz l. c.

Q. 86. *Quaenam qualitates requirantur in eo, qui debet fieri episcopus?*

R. Qualitates requisitae pro episcopatu a Concilio Lateranensi III (a. 1179) et Tridentino praecipue sequentes sunt: Quoad aetatem requiritur tricesimus annus completus[1] et quod candidatus ad minus a sex mensibus sit ordinibus maioribus initiatus. Praeterea debet esse immunis a qualibet irregularitate, praesertim ex defectu natalium[2].

Quoad mores requiritur non tantum integritas morum, sed virtus probata, cum episcopatus sit status perfectionis acquisitae[3]. Quoad scientiam requiritur tanta, ut muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. «Ideoque antea in Universitate Studiorum magister sive doctor aut licentiatus in sacra theologia vel iure

---

[1] C. 7 X 1, 6. [2] L. c.
[3] Cf. tamen S. th. 2, 2, q. 185, a. 3.

canonico merito sit promotus, aut publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.»[1] Disputant auctores, quaenam scientia magis requiratur, utrum theologia an scientia iuris canonici. Sententia communis respondet scientiam iuris canonici magis necessariam esse, quia episcopus est primus administrator Ecclesiae suae, quod munus non recte adimplere potest sine sufficienti notitia iuris canonici.

Antequam quis a Summo Pontifice episcopus creatur, solet diligens inquisitio institui de eius qualitatibus iuxta normam praescriptam in Conc. Trid. sess. 24, c. 1 de reform. In locis Propagandae subiectis determinatus modus scrutinii praescriptus est[2].

Episcopus electus et confirmatus a Summo Pontifice tenetur intra 3 menses consecrationem episcopalem suscipere. Quodsi non facit, amittit fructus sui beneficii, immo si intra sex menses id facere neglexerit, ecclesia et episcopatu eo ipso privatur[3]. Eo ipso quod episcopus dioecesanus (non titularis) consecratus administrationem suae dioeceseos suscipit, omnia beneficia eius prius possessa vacant, et provisio de illis pertinet ad Summum Pontificem[4]. Ante consecrationem novus episcopus tenetur emittere professionem fidei et iuramentum fidelitatis erga Summum Pontificem[5]. Consecratio episcopi

[1] Conc. Trid. sess. 22, c. 2 de reform. et sess. 24, c. 1 de reform.

[2] Cf. Conc. IV Westmonast. 386 sqq.

[3] Conc. Trid. sess. 23, c. 2 de reform.

[4] Sic saltem ex iure canonico c. 7 X 1, 6 videtur sequi «Cum vero (episcopus) electus fuerit et confirmationem electionis acceperit et ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit, decurso tempore de consecrandis episcopis a canonibus definito (3 menses), is, ad quem spectant beneficia quae habebat, de illis disponendi liberam habeat facultatem.» At iuxta primam regulam Cancellariae Apostolicae et praxim modernam Curiae Romanae beneficia et pensiones ipso facto solent vacare per promotionem in Consistorio et ante consecrationem et captam possessionem. Cf. Wernz II, n. 387.

[5] Forma huius iuramenti habetur in Pontificali Romano.

ex iure reservata est Papae [1], sed iam invaluit consuetudo, quod quilibet episcopus possit eligere suum consecratorem. Pro consecratione ipsa episcopi videsis Pontificale Romanum. Pro controversia, an de validitate tres episcopi debeant intervenire in consecratione episcopi, videsis Devoti, Ius can. univ. l. 1, tit. 6, § 27.

ARTICULUS II.

DE IURIBUS EPISCOPI.

Q. 87. *In quasnam categorias iura episcopalia convenienter dividantur?*

R. In tres sequentes: 1. iura iurisdictionis; 2. iura ordinis; 3. iura delegata et privilegia.

Q. 88. *Quid notandum sit praecipue de iure iurisdictionis episcopalis?*

R. Ut iam supra dictum est, potestas iurisdictionis competit episcopo vi sui officii et ideo illam exercere potest statim post confirmationem Sanctae Sedis acceptam et capitulo Ecclesiae cathedralis exhibitam, licet nondum sit consecrationem episcopalem consecutus. Haec potestas autem includit:

1. potestatem legislativam, quam episcopus exercere potest tum in synodo dioecesana [2] tum extra illam. Per se patet episcopum non posse auctoritate propria leges ferre contra ius commune nec eius leges obligare extra dioecesim. Episcopi legitime coadunati in Concilio oecumenico habent potestatem legislativam pro tota Ecclesia. Leges ab episcopo latae sive intra sive extra synodum non exspirant morte episcopi, sed tunc solum quando revocantur [3]. Obiectum legum dioecesanarum debet esse bona administratio dioecesis,

[1] Benedictus XIV, Const. «In postremo» 20 Octobris 1756.

[2] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 1, n. 5 aliisque locis eiusdem operis. [3] Cf. Benedictus XIV l. c.

finis vero bonum spirituale populi; unde generatim loquendo episcopus ea omnia praecipere vel lege statuere potest, quae ad bonam administrationem et ad bonum spirituale suae dioeceseos necessaria sunt. Attamen quam maxime vitanda est nimia multitudo legum. Praevia inthronisatio solemnis non est necessaria pro exercitio iurisdictionis[1]. — Potestas ferendi leges includit facultatem dispensandi in lege. In legibus dioecesanis episcopus libere et valide semper dispensare potest; in legibus vero communibus vel pontificiis facultas dispensandi episcopis commissa limitata est. In singularibus casibus consuetudo invaluit, ut episcopus possit suos subditos eximere a lege ecclesiastica communi, e. gr. in observantia abstinentiae, ieiunii, diei dominicae etc. Quousque se extendat facultas dispensandi episcopis commissa sive ex iure ordinario sive ex iure delegato, melius notatur in singulis materiis.

2. potestatem iudicialem et coercitivam. Qui enim leges ferre potest, debet etiam habere potestatem iudicandi delicta contra legem et transgressores legis coercendi et puniendi. Non raro episcopus est iudex etiam de regularibus exemptis, e. gr. in delictis haereseos, in crimine sollicitationis etc.[2] Episcopus habet potestatem iudicialem tum in foro interno, tum in foro externo. Hinc potest in tribunali poenitentiae suos subditos absolvere non tantum a peccatis sed etiam a pluribus (non autem omnibus) censuris, potest dispensare in pluribus irregularitatibus et votis, potest concedere aliquas indulgentias, ipse potest etiam propria auctoritate infligere censuras. Contra sententiam iudiciariam episcopi licet quidem appellare ad Metropolitam vel ad S. Sedem, sed appellatio interposita ut plurimum non habet effectum suspensivum, i. e. exsecutio sententiae episcopalis non suspenditur appel-

[1] Leurenius n. 668 692. [2] Cf. c. 9 X 1, 7.

latione pendente, sed tantum effectum devolutivum[1]. Potestate coercitiva episcopus potest infligere poenas etiam pecuniarias; attamen saltem quoad laicos hoc rarissime expedit. Episcopus potest coercere clericos dyscolos, ut in aliqua determinata domo (aliquando vocatur domus demeritorum) vel in aliquo conventu propter poenam luendam habitent.

3. potestatem magisterii. Ex iure divino episcopi sunt doctores gregis sui; sunt enim successores Apostolorum, qui munus praedicationis adeo sui proprium agnoverunt, ut Paulus asserere potuerit, se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum esse missum[2]. Antiquis temporibus episcopi fere soli munus praedicationis exercuerunt, ita ut magna admiratio orta fuerit, quando Valerius, episcopus Hipponensis permisit S. Augustino licet adhuc presbytero, ut praedicare possit. Adhuc saeculo XIII S. Dominicus non parvas difficultates passus fuit, quando voluit fundare ordinem, cuius principalis finis esset praedicare verbum Dei, quia

---

[1] Cf. Benedictus XIV, Const. «Ad militantis» 30 Mart. 1742. Praecipui casus in quibus tantum in devolutivo et non in suspensivo potest appellari contra sententiam episcopi sunt sequentes:

1. in omnibus causis commissis Ordinario, si adicitur clausula: «appellatione remota»;
2. quae respiciunt sacrificium Missae;
3. quae respiciunt curam animarum et administrationem sacramentorum;
4. in designatione et amotione cooperatorum parochialium;
5. in statutis pro meliore regimine parochiarum;
6. in correctione et punitione clericorum;
7. in suspensione, denegatione et limitatione facultatis audiendi confessiones;
8. in erectione paroeciarum;
9. in institutione parochorum;
10. in ordinationibus circa praedicationem;
11. in ordinationibus circa clausuram monialium;
12. in suspensione ab ordine vel in denegatione collationis ordinum;
13. in exsecutione piarum voluntatum.

[2] 1 Cor 1, 17.

hoc reputabatur officium episcopale. Episcopi igitur habent vi sui officii potestatem et obligationem doctrinam christianam explicandi, propagandi et defendendi. Quantum ad explicationem doctrinae christianae, episcopi munus est supervigilare catechizationem iuventutis et rudium in scholis et ecclesiis, dare magistris licentiam catechizandi; quantum ad praedicationem nemo (etiam regularis) potest in ecclesiis dioecesis publice praedicare, nisi praehabita licentia vel saltem benedictione episcopi; quantum ad defensionem fidei episcopi nunc sunt Inquisitores nati et ad illos pertinet crimina haereseos punire et conversos ab haeresi in gremium Ecclesiae iterum recipere.

4. potestatem administrationis et supervisionis. Episcopi est administrare, non autem possidere bona ecclesiastica ad dioecesim pertinentia. Hinc episcopus lege ordinare potest omnia expensa, quae ad cultum divinum, ad sustentationem vicariorum, seminarii, ecclesiae cathedralis etc. necessaria sunt, e. gr. potest exigere Cathedraticum i. e. tributum in honorem cathedrae episcopalis a sacerdotibus praesertim beneficiatis in synodo dioecesana solvendum [1] (vocatur propterea aliquando etiam Synodaticum); potest exigere portionem annalem pro sustentatione seminarii clericalis [2], potest exigere taxam pro conscribendis documentis quaesitis [3], posset etiam ex causa urgenti clericis beneficiatis decimas imponere. Attamen pro exsecutione dispensationum apostolicarum neque aliquid exigere neque recipere potuit [4], neque exigere valet aliquid pro sacris

---

[1] Cf. Schulte-Richter 335.

[2] Conc. Trid. sess. 23, c. 18 de reform.

[3] Taxa Innocentiana 1678 et S. C. C. 10 Iun. 1896.

[4] S. C. C. 28 Ian. 1882 et 18 April. 1885. Pius X hanc legem mutavit. Pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro exsecutione Rescriptorum, determinatur in quolibet casu ab ipsa Congregatione Romana (Norm. commun. c. 11, n. 1).

oleis [1]. Generatim loquendo episcopus abstineat a nimiis taxis imponendis et illas non imponat, nisi vera existente necessitate. Administrativa potestas episcopi non tantum in temporalibus, sed maxime in spiritualibus elucet; unde episcopus, servatis tamen quibusdam conditionibus, potest nova officia et beneficia erigere, confraternitates dirigere, synodum dioecesanam convocare, congregationes religiosas, quae non sunt exemptae, supervigilare etc. etc.

Quantum ad supervisionem episcopi est supervigilare omnia, quae ad cultum divinum et notanter ad augustissimum sacramentum Eucharistiae pertinent, cf. infra t. II, ubi de subiectione regularium in hoc puncto agitur.

Q. 89. *Quaenam competant episcopo vi potestatis ordinis?*

R. Ad episcopum iure ordinario spectat ministrare **omnia** sacramenta in sua dioecesi. Hinc episcopus potest etiam praetermisso proprio parocho alium sacerdotem delegare ad assistendum matrimonio in sua dioecesi. Iure ordinario episcopis reservata est confectio olei catechumenorum, infirmorum et chrismatis, consecratio altarium, campanarum et ecclesiarum; praeterea plures benedictiones, praesertim illae in quibus sacra unctio intercedat necesse est, episcopali ordini reservantur. Episcopus habet liberum usum Pontificalium in propria dioecesi (non autem in aliena dioecesi).

Q. 90. *Quaenam sit potestas episcopis delegata eorumque privilegia?*

R. In multis casibus, praesertim quando agitur de exemptione regularium, episcopi possunt procedere tamquam delegati Apostolicae Sedis [2]. Praeterea hodiernis

---

[1] S. C. C. 20 Dec. 1879.

[2] Cf. infra t. II, q. 181—199.

diebus episcopi solent habere speciales facultates ipsis ad quinquennium a S. Sede concessas (hinc nomen: facultates quinquennales). Episcopi non cadunt sub poena interdicti et suspensionis etiam universim lata, nisi expresse statutum sit, has censuras etiam ad episcopos extendi.

Episcopi habent plura privilegia honorifica, quae partim enumerantur in Caeremoniali episcoporum, e. gr. thronus episcopalis cum baldachino, usus baculi pastoralis, anuli, mitrae etc. — Nomen episcopi dioecesani debet nominari in canone. Etiam in curia civili episcopis specialis honor solet tribui, immo in aliquibus regionibus quaedam praerogativa politica illis tribuuntur, ut e. gr. in Austria [1]. Episcopi habent privilegium altaris portatilis ideoque ubique in loco decenti (etiam extra propriam dioecesim) possunt Missam celebrare [2].

Oratoria erecta in palatiis episcoporum censentur esse semipublica et proinde omnes, qui ibi Missam audiunt (non tantum ab episcopo sed etiam a quocumque alio sacerdote dictam) diebus dominicis et festivis, satisfaciunt praecepto Ecclesiae [3]. Hoc privilegium videtur tamen tantum valere pro propriis palatiis episcoporum, non autem pro villis eius rusticis.

Episcopi possunt eligere confessarium etiam non approbatum, et extra propriam dioecesim possunt confiteri cuilibet sacerdoti sibi subdito.

---

[1] In Hungaria episcopi habent ius sedendi et suffragii in domo superiore Parlamenti. Cf. Tauber, Man. iur. can. § 82.

[2] Benedictus XIV, Const. «Magno» 2 Iunii 1751. S. C. R. 22 Aug. 1818 et praesertim S. C. R. 8 Iunii 1896 quo Leo XIII decrevit: «Ut episcopi omnes sive dioecesani sive titulares eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur Patres Cardinales, sc. ut non solum ipsi in propriae habitationis oratorio aut super ara portatili, ubicunque degant, Missam facere, aliamque in sui commodum permittere valeant, sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant »

[3] Benedictus XIV l. c.

Episcopi possunt pro proprio servitio habere duos canonicos capituli cathedralis, qui fructus propriae praebendae recipiunt, etiamsi absint a choro.

Episcopi possunt portare insignia sua pontificalia etiam in conventibus exemptis suae dioeceseos [1].

Nota. Episcopi electi et confirmati etsi nondum consecrati gaudent privilegiis sicut consecrati exceptis illis, quae supponunt consecrationem episcopalem.

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPI.

Q. 91. *Quaenam sint praecipuae obligationes episcopi?*

R. Obligationes episcopi sunt complures, cum allatae in art. 2 potestates saepe sint potestates onerosae i. e. potestates, quibus annexum est onus. Omnes obligationes episcopi derivare videntur ex eo, quod est ipse proprius et primus pastor et cleri et laicorum suae dioeceseos et via virtutis debet omnes adducere ad salutem aeternam. Nemo autem apte ducere potest in via virtutis nisi ipse iam sit virtutibus magnis praeditus. Hinc duce S. Thoma omnes doctores docent episcopum esse in statu perfectionis christianae et proinde debere convenientissime habere omnes virtutes christianas in statu perfecto. Praeter istam obligationem principalem episcopi speciali mentione dignae sunt:

1. Visitatio dioecesis. Episcopus tenetur gubernare dioecesim. Non potest autem illam gubernare, nisi illam perfecte cognoscat. Impossibile vel saltem valde arduum est cognoscere perfecto modo dioecesim et singulos clericos ibi operantes, nisi episcopus personaliter visitet illam. Conc. Trid. sess. 24, c. 3 de reform. praescripsit: «Episcopi propriam dioecesim per se ipsos,

[1] Alia privilegia episcoporum vide Ferraris s. v. Episcopus a. 4 et 6 et infra t. II, ubi de subiectione regularium erga episcopum tractatur.

aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant.» In pluribus dioecesibus haec lex non adamussim observatur sive ex legitima consuetudine sive ex Indulto pontificio; sic e. gr. in Anglia visitatio fit quolibet triennio [1], et in schemate vaticano propositum fuit, ut visitatio in dioecesibus ordinariis fieret quolibet triennio et in dioecesibus valde amplis saltem quolibet quinquennio [2].

Obiectum huius visitationis sunt a) loca i. e. ecclesiae, coemeteria, scholae, aliaque loca ad ecclesiam pertinentia; b) personae i. e. clerus, moniales et quadamtenus omnes fideles; c) res i. e. vasa sacra, sacra supellex, reliquiae, administratio rerum temporalium ad ecclesiam pertinentium [3].

Modus visitationis sit potius paternus quam iudicialis [4]. Visitatio fiat celeriori quo potest modo, ne sit onerosa visitatis: procuratio i. e. summa pecuniae nonnisi semel in anno potest exigi [5].

Statuta in visitatione lata exsecutioni mandanda sunt nec datur contra illa appellatio in suspensivo, sed tantum in devolutivo [6].

2. Visitatio liminum SS. Apostolorum. Episcopi ante suam consecrationem iuramentum prae-

---

[1] Cf. Conc. Prov. Westmonast. I, decr. 29.

[2] Card. Melchers, De canonica visit. dioeces.

[3] Quomodo episcopus possit et debeat visitare ecclesias regularium exemptorum, vide infra t. II, q. 181 sqq.

[4] Cf. Conc. Trid. l. c.

[5] Cf. Schulte-Richter 325.

[6] Conc. Trid. l. c. c. 10. De caeremoniis quae in huiusmodi visitatione dioecesis observari convenienter poterunt, optime tractat Martinucci, Man. sacr. caerem. l. 6, c. 37.

stant se statis temporibus visitaturos esse limina Apostolorum; deferentes Summo Pontifici et debitam reverentiam oboedientiamque et claram relationem de propria dioecesi [1]. Praeter episcopos dioecesanos ad hanc visitationem tenentur praelati «nullius», non vero episcopi titulares. De vicariis apostolicis statuta singularia a S. C. de Prop. Fide hac in re lata sunt. Si episcopi impediti sunt, quominus ipsi limina SS. Apostolorum visitent, tenentur hoc facere per procuratorem [2] specialiter designatum.

Intervalla statuta pro ista visitatione variant pro varia distantia dioecesium. Quolibet triennio tenentur visitationem hanc facere episcopi Italiae insularumque adiacentium.

Quolibet quadriennio episcopi Germaniae, Galliae, Hispaniae, Belgii, Bohemiae, Ungariae, Angliae, Scotiae.

Quolibet quinquennio episcopi Hiberniae, insularum Oceani septentrionalis et occidentalis Europae et Africae, aliique ita distanter habitantes.

Quolibet decennio episcopi Americae septentrionalis, Australiae, episcopi asiatici etc.

Haec visitatio, ut iam supra innui, tres actus includit; sc. fieri debent:

a) visitatio personalis coram Papa et relatio oralis de statu dioecesis;

b) visitatio et oratio ad sepulcra Apostolorum in basilicis S. Petri et S. Pauli;

c) relatio scripta de statu dioecesis iuxta instructionem Benedicti XIII (a. 1725) rite confecta [3]. Haec

[1] Const. Sixti V «Romanus Pontifex» 20 Dec. 1585. Bened. XIV, Const. «Quod sancta» 23 Nov. 1740.

[2] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 6, n. 3.

[3] Commentarius huius instructionis invenitur apud Benedictum XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 7 et in fine totius operis et apud Lucidi, De visitatione ss. liminum.

relatio scripta debet offerri Congregationi Consistoriali [1] vel quando episcopi venerunt ex locis missionum S. C. de Prop. Fide [2].

3. Applicatio Missae pro grege sibi commisso omnibus diebus Dominicis et festivis eodem modo, quo parochi debent applicare Missam pro parochia. Episcopi titulares non sunt obstricti hac obligatione. Cf. Leo XIII, Const. «In suprema» 10 Iun. 1882.

4. Obligatio residentiae. Conc. Trid. sess. 23, c. 1 de reform. sub poena non recipiendi fructus praecipit omnibus episcopis dioecesanis, quibus hac in re aequiparantur praelati «nullius», residere in propria dioecesi [3]. Lex residentiae episcopis imposita fuit iam a primo Concilio Nicaeno (a. 325) et postea multoties renovata. Longam seriem canonum hac de re adducit Barth. Carranza in suo opusculo De residentia episcoporum c. 7. Acriter disputatum fuit in Concilio Tridentino ante sessionem 6, sub Paulo III et adhuc vehementius sub Pio IV in conventibus habitis ante sess. 19 et 23; cumque dissidentes inter se Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto cuncti animarum pastores ad residentiam adigerentur ac severae poenae contumacibus infligerentur, nihil tamen definiretur de iure quo iidem continue inter suas oves versari teneantur [4]. Benedictus XIV l. c.

---

[1] Pius X const. «Sapienti consilio» statuit, ut haec relatio scripta iam non Congregationi Concilii sed Congregationi Consistoriali praebeatur.

[2] Optimus elenchus quaestionum quibus in hac relatione scripta respondere debent episcopi Propagandae subiecti habetur apud Taunton, Cyclopaedia of Canon Law 401—404.

[3] A lege residentiae excusantur sex episcopi sic dicti suburbicarii (Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanensis, Praenestinus et Tusculanus) qui etiamsi Romae resideant ac suam Summo Pontifici operam praestent de non impleta residendi obligatione reprehendi non possunt. Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 7, c. 1, n. 7.

[4] Cf. ib. n. 3.

fatetur sententiam, quae tenet episcopos teneri ex iure divino ad residentiam, esse communiorem, eique fere omnes calculum adiecisse, qui post Tridentinum scripserunt, tam theologos quam canonistas, inter quos Dom. Soto, Bellarmin., Vasquez, Lessius, Azor, Carranza, Navarrus, Gonzalez, Fagnanus, Pirhing aliique innumeri.

Intrinseca ratio, qua episcopi tenentur ad residentiam, est cura animarum ipsis vi officii incumbens. Fere impossibile est episcopum posse debite gerere curam animarum, si per longum tempus a sua dioecesi abest [1].

Nihilominus Concilium Tridentinum concessit episcopis, ut ex «aequa» causa singulis annis per 2—3 menses sive continuos sive interruptos abesse possint, dummodo tamen absentia non cadat in tempora a Concilio excepta sc. Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi. Ut autem diutius sine culpa et poena absint, requiritur gravis causa eaque, nisi sit periculum in mora, approbata a Sancta Sede [2].

Tales graves causae censentur: visitatio ss. liminum, assistentia in Concilio provinciali et a fortiori in Concilio oecumenico, christiana caritas, urgens necessitas, evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. Episcopi delinquentes hac in re sequentes poenas incurrunt:

a) Episcopus non residens pro rata temporis absentiae illegitimae non facit fructus suos, sed restituere debet, si illos receperit, et erogare quidem in fabricam suae ecclesiae vel in pauperes loci. Haec poena eo ipso incurritur absque aliqua declaratione neque remitti potest [3].

---

[1] Cf. S. Thom., S. th. 2, 2, q. 185, a. 5.

[2] Urbanus VIII, Const. «Sancta Synodus» 12 Dec. 1634; Benedictus XIV, Const. «Ad universae» 3 Sept. 1746.

[3] Conc. Trid. sess. 23, c. 1 de reform.

b) Poenam privationis suae ecclesiae, si ultra annum contumaciter legem residentiae infregit. Haec poena tamen est ferendae sententiae[1].

c) Inhabilitatem ad maiores dignitates[2].

d) Privationem gratiae alternativae super provisione beneficiorum iuxta regulam nonam Cancellariae Apostolicae a Benedicto XIV iterum approbatam (cf. infra q. 170)[3].

e) Privationem omnium indultorum, quae ipsis concessa fuerunt tamquam solio pontificio assistentibus[4].

5. Specialis cura circa ordinandos. S. Alphonsus (Hom. apost. tr. 7, n. 47) merito dicit hoc esse gravissimum episcoporum munus, et sanctissimos praesules praesertim in hac re timuisse rationem, quam de ea Deo reddere debeant. (Cf. Berardi, Prax. conf. III 750—755.)

6. Cura de monialibus aliisque feminis religiosis praecipue in confessariis deputandis et in clausura stricte observanda.

Scholion. a) Episcopi assumpti ex ordinibus regularibus, cum maneant religiosi, speciales insuper habent obligationes. Cf. infra t. II, q. 70 et 120.

b) Episcopi titulares non possunt Pontificalia exercere, et quidem neque in ecclesiis saecularibus neque in locis exemptis, nisi de licentia episcopi loci, et generatim indigent licentia episcopi ad quoscumque actus iurisdictionis. Episcopus titularis, qui est canonicus, debet praecedere alios canonicos et Dignitates tam quoad stallum quam quoad omnia alia (cf. Ferraris s. v. Episcopus a. 7, n. 34); habet privilegium altaris portatilis et fideles satisfaciunt praecepto audiendi missam in eius sacello privato (S. R. C. 8 Iun. 1896).

---

[1] Cf. tot. tit. X De cler. non resid. 3, 4.

[2] Benedictus XIV, Const. «Ad universae».

[3] Cf. Wernz II, n. 481. [4] Benedictus XIV l. c.

ARTICULUS IV.

DE TRANSLATIONE, RENUNTIATIONE ET DEPOSITIONE EPISCOPI.

Q. 92. *Quid notandum sit de translatione episcopi?*

R. 1. Translationis verbum in iure reservatum est ad exprimendum transitum legitimum episcopi ab una sede in aliam, unde non nisi in lato et improprio sensu alii clerici translatione dicuntur ab uno officio vel beneficio ad aliud transire [1].

2. Cum inter episcopum et suam ecclesiam seu dioecesim quasi matrimonium spirituale et indissolubile ineatur [2], episcopus deserens suam ecclesiam sine licentia Summi Pontificis committit verum adulterium spirituale et gravibus poenis ecclesiasticis punitur et carebit utraque ecclesia, sc. illa quam habuit, et illa, ad quam praesumpsit accedere, «ut sic nec illis praesideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit» [3]. Requiritur licentia Summi Pontificis in translatione non tantum episcopi consecrati et actualiter ecclesiam gubernantis, sed etiam episcopi confirmati post electionem [4].

3. Translatio alia distinguitur libera, quae sponte acceptatur a translato, et alia coacta, quae imponitur translato sine eius voluntate, sive hoc fiat propter eius culpam, sive propter alias rationes. Translatio fieri potest inter duas ecclesias fere aeque dignas, vel ex ecclesia digniore in minus dignam, vel vicissim ex ecclesia minus digna ad ecclesiam magis dignam.

4. Translatio coacta ut plurimum (non tamen semper), praesertim si est ad ecclesiam minus dignam, est mitior quaedam forma poenae privationis vel amotionis [5].

---

[1] Cf. titulum De translatione episcopi X 1, 7.

[2] C. 4 X 1, 7. [3] C. 3 X 1, 7. [4] C. 1 et c. 2 l. c.

[5] Exemplum talis translationis non quidem episcopi sed parochi vide apud Lingen-Reuss, Causae sel. 827; decr. S. C. C. 21 Mart. 1868.

5. «Translatio episcoporum secundum canones atque usum veteris Ecclesiae non debet fieri, nisi ob Ecclesiae necessitatem vel maiorem utilitatem; neque enim institutae sunt ecclesiae propter episcopos, sed episcopi propter ecclesias.» [1] Ratio est, quia nimis faciles translationes detrimentum animarum causarent, cum episcopi minus ecclesiam diligant, quas brevi se deserturos sperant, ut ad alias commodiores transeant. Hodiernis temporibus translationes a sedibus episcopalibus ad sedes archiepiscopales sunt frequentes, quia sedes archiepiscopalis videtur requirere pastorem, qui iam alibi experientia est edoctus et opere et doctrina est plenissime probatus. Cum translatio sit revera provisio canonica de novo beneficio, illa omnia observari debent, quae supra de institutione, electione et praesentatione episcopi dicta sunt.

6. Quando episcopus sciens et volens transfertur ab una sede in aliam, eo momento ecclesia relicta vacat, quo Papa instituit episcopum pro alia ecclesia. Unde ab hoc momento episcopus nullum actum iurisdictionis in priore ecclesia exercere potest et eius iurisdictio transit statim in capitulum, quod tunc tenetur intra tempus praescriptum vicarium capitularem eligere. Quando autem episcopus transfertur nolens et ignorans, non vacat prior ecclesia ante praestitum a translato consensum, nisi secus exprimatur a Papa [2]. Ab eodem momento translationis episcopus translatus non percipit fructus prioris ecclesiae.

Q. 93. *Quid notandum sit de renuntiatione episcopi?*

R. 1. Renuntiatio est libera dimissio episcopatus ex causis legitimis acceptata a Summo Pontifice. Dividitur in expressam, quae verbis vel scripto clare enuntiatur,

[1] Ita Card. Bellarminus apud Benedictum XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 16, n. 5.

[2] Ferraris s. v. Episcopus a. 3, n. 62.

et in tacitam vel praesumptam, quae est factum liberum, quod habet annexam renuntiationem. Renuntiatio episcopatus insuper dividitur in renuntiationem loci tantum et renuntiationem loci et dignitatis. Prima renuntiatio fit, quando e. gr. episcopus ob aëris intemperiem vel ob persecutionem episcopatum in manus Papae renuntiat, dimittendo dioecesim dumtaxat, titulum episcopalem et auctoritatem retinendo [1]. Altera renuntiatio fit, quando episcopus non tantum renuntiat dioecesim sed etiam omne exercitium ordinis episcopalis, e. gr. ingrediendo in religionem. Ut patet per se, episcopus nequit resignare characterem episcopalem qui nec ab ecclesia potest ipsi auferri, quia est indelebilis.

2. Causae, ob quas episcopus renuntiare potest episcopatui, enumerantur in iure sex: conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum populi, irregularitas [2], quae causae exprimuntur duobus sequentibus versiculis:

«Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.»

3. Hae causae debent a S. Sede probari, et nulla renuntiatio est valida, nisi acceptata a Papa [3].

4. Effectus renuntiationis rite acceptatae sunt sequentes: a) sedes episcopalis vacat; b) fructus beneficii renuntianti amplius non obveniunt; c) episcopus, qui loco tantum resignavit, usum Pontificalium cum consensu Ordinarii loci retinet et cum eodem consensu etiam ordines minores et maiores conferre potest (servatis tamen servandis); episcopus vero, qui loco et dignitati resignavit, usum Pontificalium amittit, ordines maiores

[1] Sic factum est tempore persecutionis Germanicae (vulgo Kulturkampf) ab episcopo Coloniensi Melchers, qui postea factus est S. R. E. Cardinalis.

[2] C. 10 X 1, 9. [3] C. 1 10 15 X 1, 9.

etiam cum consensu Ordinarii non potest conferre, potest tamen consentiente Ordinario conferre primam Tonsuram et ordines minores [1]. Ceterum casu occurrente Summus Pontifex solet accurate determinare, quae post resignationem episcopo liceant et quae non.

5. Episcopi regulares, qui cum consensu Papae resignaverunt episcopatui, tenentur redire ad suum ordinem, e quo assumpti fuerunt [2].

Q. 94. *Quid notandum sit de depositione episcopi?*

R. 1. Episcopus potest privari suo munere (non autem suo ordine) ob crimina et delicta, quae inducunt poenam depositionis et degradationis (cf. supra q. 71).

2. Haec privatio non potest fieri nisi a Summo Pontifice vel eius auctoritate, minime vero a gubernio civili, sicuti non raro attentatum fuit in persecutionibus catholicae religionis.

3. Iuxta hodiernam praxim Curiae Romanae causa depositionis sufficienter probata, episcopus invitatur ad spontaneam resignationem sui officii. Quam si dare nolit, etiam invitus deponitur.

ARTICULUS V.

DE CURIA EPISCOPALI.

Praenotamen. Postquam in praecedentibus articulis egimus de episcopo eiusque obligationibus et iuribus, ordo poposcit, ut de curia episcopali agamus. Episcopus enim non potest ipse solus omnia munera pastoralis officii adimplere et hanc ob causam debet habere fideles coadiutores. Complexus omnium istorum coadiutorum, qui in ipsa sede episcopali solent residere, vocatur curia episcopalis. Inde a primis Ecclesiae saeculis

[1] C. 9 11 X 1, 9; cf. Ferraris l. c. n. 76—84.

[2] Benedictus XIII, Const. «Custodes» 7 Martii 1725; cf. Ferraris l. c. a. 7, n. 20.

episcopi sibi adsciscebant presbyteros et diaconos pro cura animarum. Iuxta numerum Apostolorum et numerum diaconorum, quorum fit mentio in Actis Apostolorum c. 6, numerus presbyterorum coadiuvantium fuit duodenarius et numerus diaconorum fuit septenarius. Omnes isti efformabant senatum Ecclesiae et consilium episcopi. Vocabantur etiam «Presbyterium», «Collegium», «Capitulum»[1]. «Si quando necesse foret impendi sacrum ministerium extra civitatem episcopalem, mittebatur unus e presbyteris vel diaconis, qui, expleto ministerio vel habita ad convertendos gentiles ruri degentes concione, redibat ad episcopum; atque is modo unum modo alterum ad huiusmodi ministerium pro arbitrio deputabat. Nullus autem ruri degebat, sed fideles ruri commorantes, qui pauci tunc temporis erant, ad coetum episcopalem in civitatem conveniebant.»[2] Curia episcopalis, prouti nunc est, constat ex duabus praecipue partibus sc. ex capitulo cathedrali et ex ipso episcopo eiusque vicario generali. Cum autem iam satis dictum sit de ipso episcopo, restat ut tractetur de capitulo et de vicario generali episcopi. Unde Articulus quintus in duas paragraphos dividitur sc. 1. De capitulo canonicorum et 2. De vicario generali episcopi.

§ 1. *De capitulo canonicorum.*

Q. 95. *Quaenam fuit origo capituli canonicorum?*

R. Non abs re docet Bouix capitulum esse originis apostolici, etsi hoc stricte probari non possit. Nam in

[1] Aliqui auctores asserunt: nobilissimum hoc collegium episcopo assistens et Dei laudes concinens mystice esse descriptum a S. Ioanne (Apc 4, 4): «Et in circuitu sedis (in qua sedebat Agnus occisus) sedilia viginti quattuor et super thronos 24 seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis.» Ita Huguenin, Expos. meth. iur. can. Haec sententia non habet maiorem sed minorem valorem illa alia docente parochos esse successores 72 discipulorum in Evangelio.

[2] Bouix, De capitulis 4.

primis saeculis fuit clericis commune canonicorum nomen; clerici enim adscripti fuerunt canoni seu matriculae ecclesiae [1]. In Occidente S. Eusebius Vercellensis et S. Augustinus Hipponensis clericos suos congregaverunt et cum illis vitam communem duxerunt. Hae coadunationes clericorum nominatae aliquando sunt «monasterium». Saeculo octavo S. Chrodegangus († 766) episcopus Metensis hanc vitam communem clericorum in peculiarem formam redegit et sic multum promovit [2]. A saeculo duodecimo capitula Ecclesiarum cathedralium non raro magno honore et potestate praestabant, ad ipsos spectabat episcopos eligere, dioecesim sede vacante gubernare, et copiosi reditus illis affluebant. Non potest negari in pluribus capitulis canonicorum graves abusus irrepsisse [3], etsi non omnia scandala vera putanda sint, quae narrantur a scriptoribus sequioris notae. Concilium Tridentinum optima statuta edidit ad hos abusus evellendos (sess. 24, c. 12 de reform.).

Q. 96. *Quaenam sint praecipuae divisiones capituli canonicorum?*

R. 1. Capitula Ecclesiae cathedralis et capitula ecclesiae collegiatae. Ecclesia collegiata illa dicitur, quae ut talis a Summo Pontifice erigitur et cui servit aliquod collegium [4]. Capitula collegiata subdividuntur in insignia et non insignia [5]. Insignia sunt, quae

---

[1] Cf. Devoti sect. 7, § 55: Canonis nomine in hoc sensu utitur Concilium Nicaenum can. 19 et Conc. Antiochenum can. 1; varias sententias de significatione nominis canonici videsis apud Bouix l. c. 57. Cum enim omnium clericorum nomina in canone sive matricula ecclesiae essent descripta, canonici dicebantur. Hinc S. Cyrillus Hierosol. (Praefat. catech. num. 4) *κανονικῶν παρουσίαν* significat clericorum praesentiam.

[2] Cf. Bouix l. c. 13 et regulam Chrodeg. apud Harduin IV 1181.

[3] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 95.

[4] Cf. Ferraris s. v. Collegium.

[5] Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform.

ut talia a Summis Pontificibus decorata sunt vel excellunt dignitate ecclesiae et numero canonicorum. Alia capitula vocantur non insignia. In ecclesiis collegiatis praerogativa insignitatis fulgentibus primae Dignitates non possunt conferri nisi magistris et doctoribus aut licentiatis in theologia seu in iure canonico. Ecclesiae collegiatae non insignes non tenentur ad officium chorale a) si ecclesia sit ruralis, b) si consuetudo contraria sit immemorialis, c) si reditus sint tenues [1].

2. Capitula saecularia et regularia prout canonici saeculares vel regulares illa constituunt.

3. Capitula exempta ab episcopi iurisdictione vel non exempta.

4. Capitula numerata (clausa) et non numerata (non clausa), quatenus semper determinatus numerus canonicorum requiritur vel quatenus numerus canonicorum variat secundum quantitatem redituum [2].

Scholion. In capitulis solent distingui: Dignitates, personatus, officia et praebendae. Dignitas est canonicatus fruens praecedentia et iurisdictione in foro externo, e. gr. archidiaconatus et archipresbyteratus; personatus est canonicatus fruens praecedentia, sed non iurisdictione in fore externo, e. gr. primicerius; officia canonicalia sunt canonicatus, quibus annexum est aliquod munus sine praecedentia et sine iurisdictione in foro externo, e. gr. canonicus poenitentiarius; praebenda est canonicatus, cui tantum annexum est beneficium [3]. Iuxta hodiernam praxim istae distinctiones iam

[1] Cf. Bouix l. c. 57.

[2] Cf. Wernz II, n. 767, ubi etiam aliae appellationes hac de re explicantur.

[3] Praebenda nihil aliud est quam portio canonicalis seu illi reditus qui ex bonis capituli singulis canonicis distribui debent. In Decretalibus (l. 3, tit. 5 De Praebendis et Dignitatibus et tit. 8 De concessione Praebendae) nomen beneficii et praebendae saepe promiscue sumuntur.

amplius non solent observari, cum fere nullus canonicus habeat iurisdictionem in foro externo. Hodie tantum distingui solent simplices canonici et canonici habentes praecedentiam honoris, qui propterea vocantur Dignitates [1].

Q. 97. *Quinam sit finis capituli canonicorum?*

R. Primarius finis est, ut sede plena episcopum adiuvet in administratione dioecesis consilia dando in difficilioribus negotiis et sede vacante regimini dioecesis provideat. Hinc merito vocantur capitula consiliarii nati episcoporum. Secundarius finis est communis celebratio officii divini in Ecclesia cathedrali vel collegiata. Vita communis et observantiae monasticae, sicuti antiquis temporibus a canonicis exercebantur et adhuc exercentur a canonicis regularibus, non erat finis, sed tantum medium ad finem. Capitula ecclesiae collegiatae cultui divino primario addicuntur neque partem habent in regimine dioecesis [2].

Scholion. Non immerito capitulum cathedrale comparatur cum collegio Cardinalium Romanae Ecclesiae. Sicut enim Cardinales sunt consiliarii Papae in regenda Ecclesia universali, ita canonici sunt consiliarii episcopi in regenda dioecesi, et migrante e terris episcopo dioecesim universam administrat capitulum electo vicario capitulari, ita migrante e terris Summo Pontifice Cardinales Romanae Ecclesiae eligunt novum Summum Pontificem [3].

Q. 98. *Ex quibusnam personis coalescat capitulum cathedralis?*

R. 1. Quamvis episcopus sit caput totius capituli, tamen proprie loquendo non est de capitulo neque membrum capituli. Unde Leurenius (Forum eccl. l. 3,

---

[1] Cf. Santi in l. 3, tit. 5, n. 16.

[2] Cf. Bouix, De capitulis 39 sqq.

[3] Cf. Thomassinus, Vet. et nov. eccl. disc. p. 1, l. 3, c. 7 sqq.

tit. 11, q. 125) dicit: «episcopus spectat ad ecclesiam, non autem ad capitulum ecclesiae.» Idem valet de vicario generali episcopi, qui est quasi unum tribunal cum episcopo. Sin autem vicarius generalis simul est canonicus (ut saepe est), tunc utique est membrum capituli, sed habet votum et sedem secundum suum gradum in canonicatu, non autem praecedit alios canonicos [1]. Si vicarius generalis non est canonicus, etiam absente episcopo non potest intervenire capitulo, nisi forte de consuetudine vel speciali iure id ei competeret [2].

Quod dictum est de vicario generali, valet etiam de coadiutore episcopi, qui non est de capitulo, nisi sit canonicus [3].

Quoad decanum aliasque Dignitates communiter speciali iure vel consuetudine statutum est, utrum sint membra capituli, necne.

2. Praeter membra capituli distinguuntur officia, quae solent coniungi cum capitulo, etsi ista non necessario exerceantur ab ipsis membris capituli, sc.:

a) Archidiaconus, qui proximum locum obtinet post episcopum. Amplissima olim erat potestas archidiaconi, qui episcopi vicarius erat a iure constitutus et eius etiam «oculus» dicebatur [4]. Non raro archidiaconi limites suae potestatis praetergressi sunt, et episcopi non parvas lites inde sustulerunt. Hodie potestas archidiaconi translata est in vicarium generalem episcopi, attamen in Italia plerumque primam Dignitatem in capitulo adhuc obtinet archidiaconus, quam in Germania decanus vel praepositus habet. De archidiacono scribit Benedictus XIV (const. «Ex quo dilectus»): «Huius (i. e. archidiaconi)

---

[1] Cf. Bouix l. c. 66 et Barbosa, De canonicis c. 15, n. 12.
[2] Cf. Leurenius, For. eccl. l. 3, tit. 11, q. 125.
[3] Cf. Leurenius l. c.
[4] Cf. Devoti l. c. § 72.

dignitatis sive officii veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut episcopo ordinationes generales celebranti, cum ipsi commodum fuerit, assistat promovendos ad ipsam ordinationem evocaturus.» De attestatione autem, quam facit archidiaconus in ordinatione ad quaestionem episcopi: «Scis illos dignos esse?» scribit idem Benedictus XIV [1]: «Praedicta archidiaconi attestatio nunc merus ritus et caeremonia est, cum iam aliunde ordinandi vitam et mores episcopus ante exploraverit; idcirco Innocentius III culpa vacare dicit archidiaconum, illum dignum affirmantem, quem indignum esse non novit, quamvis ignoret, an revera dignus sit.» [2]

b) Archipresbyter licet ordine sit supra archidiaconum, iurisdictione et potestate illi inferior fuit. Illi incumbit interna cura capituli et praesertim servitii divini. Olim distinguebantur archipresbyteri urbani, qui in cathedrali vel in civitate, et archipresbyteri rurales, qui in minoribus oppidis suum officium exercebant [3]. Hodie nomen archipresbyteri (archiprêtre, Erzpriester) non raro honoris causa vel ad designandum parochum in magnis parochiis vel decanum ruralem adhibetur [4].

---

[1] De syn. dioec. l. 5, c. 3, n. 4.

[2] Cf. S. C. C. 8 Apr. 1848 apud Lingen-Reuss 708 sqq. De historia officii archidiaconi videsis Sägmüller § 98 vel The Catholic Encyclopedia s. v. Archdeacon. Nomen archidiaconi primo occurrit saec. IV apud Optatum Milev., De schism. Donat. l. 1, 16. Ante hoc tempus officium archidiaconi videtur esse expletum a sic dicto «diacono episcopi», cuius erat episcopum adiuvare in administratione rerum temporalium et cura pauperum. Labente tempore archidiaconorum officium et potestas magis et magis excreverunt usque ad saec. XII. In pluribus dioecesibus iam non ab episcopo instituebantur, sed eligebantur vel a clero vel a principe civili. Post Concilium Trid. eorum potestas fere ubique evanuit.

[3] Cf. Devoti l. c.

[4] Pro historia officii archipresbyteri videsis Sägmüller, Die Entwicklung des Archipresbyterats und Dekanats, et The Catholic Encyclopedia s. v. Archpriest. Primitus archipresbyter videtur fuisse primus

c) Primicerius. Vi nominis primicerius significat primum inter plures eiusdem ordinis. «Primicerius sic dictus ab ordine cerae, quo nimirum primus descriptus est in catalogo seu tabulis ceratis. In genere primicerius ille vocatur, qui in quibusvis officiis, quae pluribus communicantur, primum locum tenet. S. Stephanus a divo Augustino vocatur primicerius Martyrum. Pari modo in ordine secundus dicitur secundocerius, tertius tertiocerius etc.» [1] Sensu magis specifico primicerius vocabatur ille, qui clericis inferioribus instruendis praepositus fuit in ecclesia episcopali, quod officium non raro quoad scholas in «Fratrem scholae, vel in Scholasticum, sive Scholastrum fuit translatum» [2]. Iuxta Ferraris [3] primicerius dicitur primus cantor seu primus in cantu seu choro, qui alio nomine vocatur praecentor. Qui vero secundum locum obtinet vel vices primicerii gerit, vocatur succentor. Officium eius erat et est, docendi ordinem et modum psallendi et canendi, dirigendi psalmodiam in choro seu uno verbo esse directorem chori (vulgo Chordirigent).

d) Sacrista, qui et vocatur thesaurarius et scevophylax, debuit sub directione archidiaconi gerere curam de sacristia et custodire instrumenta, ornamenta et vestimenta ad ecclesiam pertinentia. Illi adiungebatur custos tamquam minister [4] (vulgo Küster).

---

inter sacerdotes adiuvantes episcopum. Quando parochiae rurales incipiebant erigi, plures earum coadunatae sunt in uno archipresbyteratu seu «christianitate», cui praeerat archipresbyter vel decanus. Nostris temporibus officium archipresbyteri vel decani ruralis est (cui assistunt sic dicti definitores vel camerarii), praesidere conferentiis sacerdotum decanatus, libros parochiales inspicere, cuncta scitu necessaria de rebus in toto decanatu actis episcopo denuntiare etc. Propria iurisdictio illi non competit, habet tamen ex libera concessione episcopi plura privilegia honoris et potestatis. Cf. Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 34 et § 60.

[1] Leurenius l. c. l. 1, q. 664; apud Bouix l. c. 132.

[2] Cf. Wernz II, n. 774. [3] S. v. primicerius.

[4] Cf. Leurenius l. c. q. 669.

e) Punctator dicitur canonicus (vel alius deputatus), qui absentes a choro adnotare debuit. Hoc nomen videtur illi tributum esse, quia post nomen absentis solebat punctum inscribere [1].

f) Canonicus theologalis. Conc. Trid. (sess. 5, c. 1 de reform.) statuit: «In Ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis exsistentibus in aliquo insigni oppido . . . ubi nulla praebenda aut praestimonium seu stipendium huiusmodi (pro theologo) deputatum reperitur, praebenda quomodocumque . . . primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur.» [2] Rarissime et tantum ad tempus S. Congregatio Concilii dispensationem ab hac Tridentina lege concedit [3]. Officium huius canonici theologi est, exponere et interpretari Sacram Scripturam clericis Ecclesiae cathedralis. Ex doctrina Benedicti XIV [4] loco Sacrae Scripturae laudabiliter aliquando explicatur Theologia moralis et proponuntur casus conscientiae a theologo canonico. Minime canonicus theologus satisfacit suo officio, si tantum praedicationem vel catechesim habet in Ecclesia cathedrali coram populo vel pueris (seclusa speciali S. Sedis licentia) [5]. Quantum ad numerum lectionum, Concilium Tridentinum nihil determinavit, sed quod Concilium Romanum anno 1725 sub Benedicto XIII statuit pro Italia, hoc nunc videtur esse statutum iuris communis [6],

---

[1] Cf. Bouix l. c. 135—139.

[2] Exordia huius institutionis iam habentur in Conc. Lat. IV sub Innocentio III. C. 4 X 5, 5; cf. Thomassinus, Vet. et nov. eccl. disc. p. 1, l. 2, c. 10.

[3] Cf. caus. Firmana die 24 Apr. 1852 apud Lingen-Reuss 715 sqq.

[4] De syn. dioec. l. 13, c. 9, n. 17.

[5] S. C. C. 3 Iul. 1784 et S. C. C. 26 Iun. 1847 apud Lingen-Reuss 721.

[6] Cf. Lingen-Reuss l. c.

ut sc. canonicus theologus saltem 40 lectiones per annum habeat. Istae lectiones debent fieri in Ecclesia cathedrali, attamen episcopus ex rationabili causa potest alium locum publicum designare, quo nedum ecclesiastici, sed omnes de populo in lege divina instruantur[1]. Diebus, quibus theologus lectiones habet, percipit distributiones, etsi choro non interfuerit[2]. Ad obtinendam praebendam canonici theologalis requiritur, ut quis sit doctor vel magister in s. theologia, sed si non adest doctor aequalis idoneitatis, sufficit etiam alius theologus idoneus[3]. Recenter tamen S. Congregatio Studiorum die 7 Martii 1907 iterum pro Italia inculcavit canonicum theologalem et canonicum poenitentiarium debere esse insignitos gradu magisterii vel doctoratus in theologia aut licentiati in decretis vel saltem infra annum talem gradum suscipere debere, alioquin beneficium eo ipso vacare. Dispensatio ab hoc statuto difficulter conceditur. Gradus academici obtineri possunt a clericis, qui completo quadriennali cursu theologico in aliquo seminario, examen subibunt coram aliqua Facultate Theologica legitime instituta. In isto casu requireretur ad obtinendum gradum baccalaurei adhuc unus annus, ad gradum licentiati duo anni, et ad gradum doctoratus adhuc tres anni studii saltem privati[4]. Legitima subsistente causa canonicus theologus potest suo muneri satisfacere per substitutum ab episcopo eligendum[5].

g) Canonicus poenitentiarius. Conc. Trid. (sess. 24, c. 8 de reform.) statuit: «In omnibus cathe-

---

[1] Cf. Lingen-Reuss, Causae sel. Conc. Trid. 724.

[2] S. C. C. 15 Dec. 1725 et 28 Dec. 1726 apud Schulte-Richter p. 19, n. 26.

[3] S. C. C. 3 Febr. 1646 apud Schulte Richter p. 18, n. 9.

[4] Cf. Anal. Eccl. 1908, 395. Haec ultima statuta (per se) valent tantum pro Italia.

[5] Bouix, De capitulis 119.

dralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor aut licentiatus in theologia vel iure canonico et annorum quadraginta; seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur.» Iste poenitentiarius habet vi officii sui iurisdictionem in dioecesi, sed ad absolvendum a peccatis et censuris reservatis indiget speciali facultate, quam vero solet communiter habere. Etiam non rogatus tenetur residere in confessionali mane diebus ab episcopo statutis [1]. Canonicus poenitentiarius (et idem valet de canonico curato vel theologo) duplex habet officium, alterum primarium excipiendi fidelium confessiones (vel docendi gerendique curam animarum) in sua ecclesia, alterum secundarium et primo subordinatum, praestandi nempe servitium chori et altaris. Proinde si uno eodemque tempore haec duo munera incompatibilia explenda occurrant, poenitentiarius tenetur potius ad audiendas fidelium confessiones quam ad servitium chori et altaris. Quando autem actu confessiones non audit vel saltem exspectat in confessionali fideles confessuros, tenetur ad servitium chori et altaris, sicut ceteri canonici. Unde S. C. C. decrevit 22 Dec. 1906: «Poenitentiarium (canonicum) teneri ad altaris servitium, quoties confessiones actu non audit, nec probabiliter praevidet poenitentes accessuros esse ad poenitentiae tribunal, onerata super hoc eius conscientia.» [2] Cum episcopus solus hanc praebendam dare possit, sequitur, quod sede vacante neque capitulum neque vicarius capitularis ad illam nominare potest; nominatio in hoc casu reservatur Papae [3]. Quia Concilium expresse statuit

---

[1] S. C. C. apud Bouix l. c. 125.

[2] Acta S. Sedis XL 90.

[3] Cf. Ferraris s. v. Canonicus a. 9, n. 55; apud Bouix l. c. 130.

canonicum poenitentiarium esse instituendum in Ecclesiis cathedralibus, «ubi id commode fieri potest», in pluribus cathedralibus usus invaluit, ut non aliquis canonicus, sed aliquis confessarius regularis instituatur poenitentiarius.

h) Canonicus curatus ille est, cui tamquam parocho commissa est cura animarum, annexa Ecclesiae cathedrali [1].

i) Canonici honorarii non solent habere votum in capitulo [2]. Cum non sint et non nominentur nisi honorarii canonici, iuxta ius commune nec etiam habent nisi iura honorifica canonicorum titularium, sc. induendi vestes et insignia et recipiendi honores canonicales, sedendi in choro, si velint interesse, post ultimum canonicum titularem [3]. His autem privilegiis et insigniis non possunt uti, nisi intra territorium dioecesis, in qua nominati sunt canonici (saltem sine licentia speciali vel consuetudine legitima). Ex iure particulari alia privilegia possunt illis competere. Sic e. gr. in regno Borussico canonici honorarii ex Bulla

---

[1] Cf. Bouix, De capitulis 247.

[2] S. C. C. 17 Dec. 1837 et 11. Ian. 1868. «Canonici honorarii dicuntur habere nomen sine re et nomenclaturam vacuam et inanem, ius adeo tenue et exile, ut de vento reputetur et canonicatum in aëre» (S. C. in Fulginat. 14 Mart. 1648 apud Lingen-Reuss 613). Canonicis honorariis fere similes sunt illi, qui simplicem canoniam obtinuerunt. Canonia definitur: «ius spirituale, quod clerico provenit ex eius electione vel receptione in fratrem». Per canoniam aliquis adscribitur inter canonicos, quin tamen concedatur ipsi praebenda. Ex quo patet canoniam simplicem non esse beneficium proprie dictum. Ex canonia oritur tantum ius habendi sedem in choro, vocem in capitulo, recipiendi quotidianas distributiones et habendi praebendam, quando est locus vacans (c. 19 X 3, 5; cf. Santi in l. 3, tit. 5, n. 23 et 24). Propter ius ultimo loco dictum vocantur etiam canonici exspectantes seu canonici «in herbis» per oppositionem ad canonicos beneficiatos, qui vocabantur canonici integrati vel canonici «in fructibus et floribus»; cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 95. Hodie raro dantur canonici exspectantes.

[3] S. R. C. 21 Febr. 1905 et 21 Iul. 1906.

«De salute animarum» (a. 1821) in electionibus episcopi ius suffragii habent necnon pensionem quandam a gubernio percipiunt [1]. Institui possunt per episcopum, sed nonnisi cum consensu capituli [2]. At Schmalzgrueber merito dicit: hac in re maxime faciendam esse consuetudinem [3]. Canonici honorarii non debent excedere numerum canonicorum titularium. Non raro accidit, quod clerici bene meriti nominentur canonici honorarii alterius dioecesis. Huiusmodi nominatio non potest fieri ab episcopo nisi accedente consensu sui capituli et insuper Ordinarii proprii illius qui nominandus est [4]. Tales canonici honorarii extra dioecesim commorantes numero tertiam partem cunctorum eiusdem capituli canonicorum non adaequent [5].

Scholion. Praeter officia hucusque recensita dabantur in capitulis complura alia, sicut e. gr. Portarii, Camerarii, Infirmarii, Mansionarii, Magistri caeremoniarum etc., quae explicare hic non vacat. In diversis capitulis diversa officia exsistebant et adhuc exsistunt; consuetudines igitur legitimae attendendae sunt. Iuxta vigentem disciplinam in capitulis tantum distingui solent Dignitates et simplices canonicatus. Dignitates hodie generatim nullam iurisdictionem habent annexam ac proinde rectius personatus quam Dignitates vocarentur, quia habent meram praecedentiam sine iurisdictione. Nihilominus nomen Dignitatis retentum est; numerus Dignitatum in unoquoque capitulo solet definiri auctoritate Summi Pontificis. Pari modo officia in capitulis hodie mutatis temporibus multum sunt mutata; officia tamen

[1] Cf. Santi l. c. n. 16.

[2] S. C. C. 6 Iul. 1867, 18 Apr. 1885, 12 Dec. 1891.

[3] Tit. 2, p. 1, n. 48; cf. S. C. C. 14 Ian. 1860 apud Lingen-Reuss 538.

[4] S. C. C. 16 Sept. 1884 et Leonis XIII const. «Illud est proprium» 29 Ian. 1894.

[5] Cf. Wernz II, n. 777; Santi in l. 3, tit. 8, n. 14.

canonici theologi et etiam canonici poenitentiari observantur [1].

Q. 99. *Ad quem pertineat collatio canonicatuum?*

R. 1. Ex iure communi collatio canonicatuum pertinet simultanee ad episcopum et capitulum [2]. Haec lex communis fere ubique lege particulari modificata vel saltem determinata est, unde pro praxi attendendae sunt consuetudines legitimae vel statuta particularia [3]. Cui inter canonicos sit demandandum officium canonici theologi vel canonici poenitentiarii solet privative pertinere ad episcopum [4], nisi tamen istae praebendae sint iuris patronatus laicalis [5].

2. Prima Dignitas in capitulis cathedralibus non solum ex Reg. 4 Cancellariae Apostolicae, sed frequenter etiam ex specialibus constitutionibus pontificiis Sedi Apostolicae reservatur [6].

3. De institutione collativa canonici eiusque investitura statutis particularibus generatim providetur [7].

Q. 100. *Quaenam qualitates requirantur in promovendis canonicis?*

R. 1. De iure communi requiritur a) morum honestas; b) scientia theologiae et canonum; c) status clericalis, cum nullum beneficium conferri possit nisi clerico; pro aliquibus canonicatibus requiritur sacer ordo [8]; d) aetas quae solet esse ea, quae requiritur pro ordinibus suscipiendis. Quae pro officio canonici theologi et poenitentiarii requirantur, supra dictum est q. 98.

---

[1] Pro Anglia vide Conc. Westmonast. I, decr. 39 sq.

[2] Cf. Bouix l. c. 224.

[3] Quid sit praecise ius simultaneae collationis, videsis apud Bouix l. c. 231 sqq, vel apud Wernz II, n. 781.

[4] S. C. C. 31 Iulii 1627, apud Schulte-Richter p. 18, n. 15.

[5] Cf. Acta S. Sedis VIII 350. [6] Cf. Wernz l. c.

[7] Pro Anglia vide Conc. Westmonast. I, decr. 39 sqq.

[8] Conc. Trid. sess. 22, c. 4 de reform.; sess. 24, c. 12 de reform.

2. De iure particulari fere semper requiruntur aliae qualitates et quidem generatim severiores.

Q. 101. *Quaenam sint praecipuae obligationes capituli canonicorum?*

R. Obligationes capituli possunt dividi in duas classes:
1. obligationes erga ecclesiam;
2. obligationes erga episcopum.

I. Obligationes erga ecclesiam.

1. Omnia capitula canonicorum sive in ecclesiis cathedralibus sive in ecclesiis collegiatis tenentur sub gravi ad totum officium divinum choraliter dicendum, nisi adsit specialis licentia S. Sedis[1]. «Nemo nescit, integrum divinum officium a canonicis in choro esse persolvendum.... Solet quidem quandoque ob gravissimas causas, ut puta ob aëris inclementiam, ecclesiae distantiam et difficilem accessum vel ob praebendarum tenuitatem chorale pensum a S. Ordine (a S. Congregatione) moderari, illud cohibendo ad tertiariam vel mediariam, vel ad certos dies.» [2] — Praecipua divini officii pars est Missa conventualis, unde capitulum eodem iure tenetur ad Missam conventualem. Circa hanc obligationem sequentia notentur:

a) De tempore, loco, caeremoniis etc. officii choralis a canonicis persolvendi fere eadem valent, quae infra t. II, q. 130 sqq de officio divino a regularibus persolvendo dicentur.

b) Episcopus non potest propria auctoritate dispensare ab hac obligatione etiam partialiter, unde semper requiritur dispensatio S. Sedis, nec etiam consuetudo immemorialis hanc legem infringere potest[3].

---

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform.
[2] S. C. C. 25 Apr. 1853, apud Lingen-Reuss 558; cf. etiam ib. 567.
[3] Cf. Lingen-Reuss l. c.

c) Canonici, qui ex propria culpa absunt ab officio chorali, peccant et non lucrantur «distributiones quotidianas» [1]. Quando haec absentia sit peccatum mortale, videsis apud Berardi, Prax. conf. III 776 sq. Si autem ex legitima causa (ut e. gr. canonicus theologus et poenitentiarius) absunt, istis distributionibus non privantur. Iustae causae legitime excusantes sunt infirmitas gravis [2], evidens ecclesiae utilitas, visitatio ss. liminum tamquam socius episcopi etc. Excusantur qui dant operam conficiendis processibus beatificationis et canonizationis vel qui ut testes vocati sunt (S. R. C. 13 Iulii 1904); canonicus poenitentiarius, quando actu confessiones audit, non autem alio tempore (S. C. C. 22 Dec. 1906, cf. supra q. 98 g). Ceterum etiam hic standum est iuri particulari vel legitimae consuetudini [3].

d) Canonici non tantum materialiter debent assistere divino officio in choro, sed tenentur etiam psallere et cantare, secus non faciunt fructus suos et tenentur, si nihilominus acceperint, illos restituere [4]. Nihil tamen

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform.

[2] Benedictus XIV, Instit. eccl. 107, n. 8.

[3] Cf. Bouix, De capitulis 335 sqq. Distributiones quotidianas primus Ivo Carnutensis dicitur excogitasse et quidem eo fine, ut canonici diligentius servitio chorali incumberent (Benedictus XIV l. c. 107, n. 40). Tum ius Decretal. tum Concilium Tridentinum hanc disciplinam ad auctoritatem legis communis elevavit (sess. 21, c. 3 de reform.; sess. 22, c. 3 de reform. et sess. 24, c. 12 de reform.). Statuit autem sancta Synodus «tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum . . . separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae inter Dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes proportionabiliter iuxta divisionem ab episcopo . . . faciendam dividantur». Illi qui illegitime a servitio chori absunt, nullo modo istas distributiones accipere possunt, nec episcopus nec capitulum potest illas condonare. (De illis qui legitime absunt cf. supra. Distributiones ab absentibus amissae ex regula generali accrescunt praesentibus, exceptionem vide apud Benedictum XIV l. c.) Canonici absentes illegitime a choro non tantum privatione distributionum sed etiam aliis poenis iuxta Conc. Trid. l. c. puniri possunt et debent.

[4] Benedictus XIV l. c. et const. «Dilecte fili» 19 Ian. 1748.

obstat, quin alii cantores coadiuvent canonicos in cantu et psalmodia, neque quod unus canonicus per alium canonicum substitutum suum officium peragat, dummodo hoc non saepius fiat.

e) Canonici iubilares, i. e. illi qui post 40 annos laudabilis servitii choralis Indultum iubilationis a S. Sede obtinuerunt, sunt exempti a servitio chorali [1].

f) Missa conventualis seu capitularis applicanda est pro benefactoribus [2]. Ex Indulto pontificio plura capitula dispensantur ab obligatione applicandi quotidie Missam conventualem pro benefactoribus.

2. Residentia. *α*) Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform. statuit: «Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis (ecclesiis) Dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse.» Tenentur igitur omnes canonici quolibet anno saltem per novem menses assistere officio chorali, nec possunt isti obligationi per substitutum satisfacere. Haec obligatio residentiae fere coincidit cum obligatione servitii choralis; residentia enim est praecipue propter servitium chori saltem in ecclesiis collegiatis.

β) Canonici illegitime non residentes non faciunt fructus suos, et si illos acceperint, tenentur ad restitutionem. Conc. Trid. l. c. hac de re statuit: «Primo anno privetur unusquisque (canonicus non residens) dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quodsi iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.»

---

[1] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 9, n. 13; S. C. C 22 Sept. 1855.

[2] Benedictus XIV, Const. «Cum semper».

Modum procedendi contra canonicos non residentes tradit Benedictus XIV, Instit. eccl. 107, n. 6.

3. Obligatio profitendi fidem. Decernit Conc. Trid. l. c.: «Provisi de canonicatibus et Dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram episcopo seu eius officiali sed etiam in capitulo idem facere tenentur», i. e. «a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses . . . orthodoxae suae fidei publicam facere professionem et in Ecclesiae Romanae oboedientia se permansuros spondeant ac iurent». Professio fidei debet fieri iuxta formulam Pii IV a Pio IX auctam. Omittentes hanc professionem fidei amittunt fructus suae praebendae; subdit enim Conc. Trid. l. c. «alioquin praedicti omnes . . . fructus non faciant suos nec illis possessio suffragetur». Professio fidei requiritur tantum a canonicis ecclesiarum cathedralium ex iure communi. Ex iure particulari non raro eadem professio requiritur etiam a canonicis ecclesiarum collegiatarum.

4. Obligatio assistendi capituli deliberationibus et varia officia capituli acceptandi. Omnes et singuli canonici tenentur, nisi adsit legitima causa excusans, interesse deliberationibus capituli. Nam capitula celebrare est necessarium ad prudens regimen Ecclesiae. Pariter tenentur membra capituli varia officia acceptare, quae ipsis a capitulo prudenter imponuntur [1].

II. Obligationes erga episcopum.

1. Honor. Episcopo debetur in choro, in capitulo, in processionibus aliisque actibus publicis prima sedes et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas [2]. Episcopo etiam competit baldachinus [3]. Decrevit Con-

[1] Cf. Bouix, De capitulis 374 sqq.
[2] Conc. Trid. sess. 25, c. 6 de reform.
[3] S. C. R. 20 Aug. 1729.

cilium Tridentinum [1]: «Compellantur (canonici) episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire.» Quam assistentiam episcopus requirere potest etiam extra ecclesiam cathedralem [2] in civitate episcopali, immo episcopus potest eligere duos canonicos, qui ipsi etiam per dioecesim assistant [3]. — Caeremoniale episcoporum l. 1, c. 15 praescribit: «Cum episcopus rei divinae peragendae causa ad ecclesiam venturus est, debent canonici eum comitari.» Vide plures decisiones S. R. C. de modo huius associationis apud Bouix l. c. 278 sqq. Cum episcopus vult exercere Pontificalia tam in ecclesia cathedrali quam in aliis, subministranda erunt a canonicis e sacristia cathedralis paramenta sacra. Post mortem episcopi plura utensilia ab episcopo decedente relicta debentur capitulo ecclesiae, non autem heredibus. Quaenam ista ornamenta sint, videsis in const. Pii IX «Cum illud plurimi» 1 Iun. 1847, apud Bouix l. c. 283. Leo XIII (25 Mart. 1889) praescripsit episcopis, ut successoribus suis transmittant particulas ligni sanctae Crucis Domini, quas thecis inclusas pectore prae se ferunt.

2. Oboedientia canonica exercenda est a canonicis capitularibus:

a) quando episcopus iusta praecepta edit;

b) quando episcopus visitationem capituli peragit iuxta Conc. Trid. sess. 6, c. 4 de reform. et sess. 25, c. 6 de reform.;

c) quando episcopus iudicialiter procedit [4];

d) quando episcopus duos canonicos in suo servitio retinet [5].

---

[1] Sess. 24, c. 12 de reform.

[2] Benedictus XIV, Instit. eccl. 107; cf. particulares casus et modum assistendi apud Bouix l. c. 269 sqq.

[3] Benedictus XIV l. c. [4] L. c.

[5] Cf. Bouix l. c. 297.

Q. 102. *Quaenam sint praecipua iura capituli canonicorum?*

R. Iura, quae competunt canonicis, debent distingui in iura quae singulis canonicis et quae capitulo conveniunt.

I. Iura quae competunt singulis canonicis.

1. Clericus qui rite institutus est in canonia seu canonicatu ius habet ad praebendam, i. e. ius percipiendi proventus in ecclesia, competens uni de collegio seu ius ad congruam sustentationem. Aliquibus in regionibus canonici recipiunt instar praebendae pensionem a gubernio civili [1].

2. Votum in capitulo [2].

3. Stallum seu sedes in choro. Etiam canonicis honorariis solet concedi stallum in choro (cf. supra).

4. Praecedentia. Canonicis nulla praecedentia debetur, quando non incedunt capitulariter nec a capitulo deputati. Quando autem proprium episcopum comitatu honestant, sedent (etiam in ecclesiis alterius dioecesis) ante simplices clericos, immo et ante parochum in ipsius propria ecclesia, quia considerantur tamquam uniti cum episcopo. Idem valet de canonicis honorariis. Inter se canonici servant ordinem statutis praefixum. Si inter canonicos aliqui sunt Protonotarii apostolici vel altera praelatura insigniti, tunc quando incedunt in habitu canonicorum, servant suum locum proprium in choro; si vero velint uti habitu praelatitio, nempe rochetto cum manteletto, sedent post canonicos, cum tunc reputentur quasi extranei [3]. Extra chorum Protonotarii aliique praelati praecedunt canonicos singulariter incedentes. Vicarius generalis, si sit de gremio

[1] Conc. Trid. l. pluries cit. Bouix l. c. 178 sqq. Aichner, Comp. iur. eccl. § 122.

[2] Conc. Trid. sess. 22, c. 4 de reform.

[3] Const. «Apost. Sedis officium».

capituli et capitulo intersit cum habitu canonicorum, suum locum habet inter ceteros, si vero intersit habitu vicariali sc. veste talari cum mantello et birreto praecedit alios canonicos [1]. Ut plurimum statutis particularibus ius praecedentiae inter canonicos stabilitum est [2].

5. Insignia quaedam honorifica, i. e. specialia indumenta; aliquando cappa magna, immo sunt capitula quae condecorantur Pontificalibus; titulus: Admodum Reverendus vel Reverendissimus, Perillustris etc. [3] Iuxta constitutionem Leonis XIII 31 Ian. 1894 canonici privilegiis et insignibus uti solummodo possunt in dioecesi, ubi nominati sunt, nullo autem modo extra illius territorium.

6. Susceptio viatici, extremae unctionis et exsequiae a praeside capituli. Si aliquis canonicus habet domicilium extra parochiam ecclesiae cathedralis, ibique aegrotat et moritur, non ita patet, utrum parochus domicilii habeat ius ad sacramenta ultima administranda et ad exsequias. Probabilius tamen haec spectant ad praesidem capituli [4].

II. Iura quae competunt capitulis canonicorum.

Iura quae competunt capitulis canonicorum in duas classes possunt dividi, sc. iura interna et iura externa seu ius ad internam administrationem et ius ad externam gubernationem.

1. Iura interna capituli.

Capitula canonicorum sunt vera collegia ecclesiastica, tamquam talia recognita a iure ecclesiastico et saepe etiam a iure civili. Hinc habent omnia iura, quae competunt talibus collegiis recognitis sc.

---

[1] Vide multas decisiones S. C. R. apud Bouix l. c. 524.
[2] Cf. Bouix l. c. 516 sqq.
[3] Cf. Acta S. Sedis XVI 279—282.
[4] Cf. Ferraris s. v. Canonic. a. 8 14—20.

a) Ius libere celebrandi coetus capitulares. Capitulum sub duplici aspectu considerari potest, nempe ut consilium vel senatus episcopi et ut collegium sui iuris. Quatenus est collegium sui iuris potest convocari a proprio capite et etiam absque praevia licentia episcopi [1]. Sed fere semper consuetudo exsistit, ut capitulum nunquam convocetur sine licentia episcopi; et huic consuetudini standum est. Quatenus est consilium episcopi, convocatur ab ipso episcopo vel a vicario generali. Vocandi sunt ad coetum omnes capitulares praesentes in civitate [2]. Si vel unus ex industria omittatur, agere potest de contemptu, i. e. postulare ut irritetur quod deliberatum est in illius absentia [3].

Cum sit regula communiter recepta apud canonistas, illud totum corpus facere censeri, quod duae partes faciunt servato ordine iure praestituto [4], certe sufficiunt duae ex tribus partibus capituli in unum congregatae ad deliberationes capitulares faciendas. Si tamen canonici rite convocati venire detrectent, videtur etiam minor numerus sufficere ad deliberationes rite faciendas.

Deliberatione facta fit votatio et communiter simplex maioritas sufficit pro re definienda; sunt tamen casus ubi requiritur unanimitas [5]. Canonicus capitularis, qui legitime est impeditus, quominus veniat ad coetum, potest votum suum dare per substitutum (sed ex gremio capitularium electum, cum capitulum non teneatur ad sua comitia admittere extraneum). Deliberationes capituli solent ex iure particulari indigere confirmatione data ab episcopo ut stabiliter valeant in futurum [6].

---

[1] Pignatelli, Consult. can. IV, cons. 154.

[2] Sunt casus in quibus etiam capitulares absentes vocandi sunt, e. gr. in receptione novi canonici; cf. Wernz II, n. 790.

[3] Canonici honorarii non solent habere vocem in capitulis; cf. supra.

[4] Cf. c. 19 X 1, 6. [5] Cf. Wernz l. c.

[6] Cf. Leo XII, Const. «Ubi primum» 7 Mart. 1825, et Aichner Comp. iur. eccl. § 122, not. 14.

b) Ius condendi sibi statuta capitularia. Capitula eo ipso quod sunt corporationes legitimae possunt sibi statuta particularia condere, quae tamen non possunt esse contra ius commune. Obiectum horum statutorum est regimen internum capituli, non autem status generalis dioecesis vel iura episcopi, e. gr. capitulum potest normas statuere de quotidiano servitio chori, de administratione suorum bonorum temporalium, de correctione et punitione suorum membrorum etc.

c) Ius possidendi et administrandi bona temporalia. Patet ex eodem principio. Cum bona capituli sint bona ecclesiastica, capitulum eiusque Syndicus debet omnia accurate servare, quae iure communi praescripta sunt de administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum (cf. infra).

2. Iura externa capituli.

Haec iura externa versantia circa administrationem dioecesis non eadem sunt sede vacante et sede plena. Unde claritatis causa primo dicendum est de iuribus administrationis capitulo propriis sede plena et deinde sede vacante.

Sede plena aliquando requiritur consensus et aliquando tantum consilium capituli. Quando requiritur consensus capituli, tunc eius suffragium est decisivum et episcopus tenetur illud sequi, quando vero tantum requiritur consilium capituli, eius suffragium est consultativum et episcopus potest ex rationabili causa contra illud agere.

Consilium capituli requiritur generatim in omnibus negotiis arduis. Ratio est, quia capitulares ab ipso iure ponuntur consiliarii episcopi. Dantur speciales casus in quibus ius expresse consilium capituli episcopis praescribit, e. gr. antequam episcopus indicet synodum dioecesanam eiusque decreta publici iuris faciat; in iudiciis criminalibus clericorum [1].

[1] Alios casus videsis apud Ferraris s. v. Capitulum a. 3.

Consensus capituli non requiritur nisi in casibus a iure expressis. Ratio est, quia ordinaria administratio dioecesis est episcopo soli commissa. Casus in quibus requiritur consensus capituli sunt negotia, quae ecclesiae vel capitulo praeiudicia inferunt: unio, divisio, suppressio beneficiorum ecclesiasticorum vel canonicatuum [1], creatio novorum canonicatuum etiam honorariorum [2], concessio parochiae alicui monasterio facienda [3], nominatio examinatorum prosynodalium [4], impositio subsidii caritativi [5] (i. e. aliquod subsidium, quod episcopus exigit a clericis et ecclesiis sibi subiectis ad gravem necessitatem vitandam) [6].

Sede vacante per mortem vel amotionem episcopi [7], tota dioecesis administratio ad capitulum devolvitur de iure communi, quam tamen per seipsum non potest perficere, nisi per octo dies habita vacationis notitia. Elapsis his octo diebus tenetur constituere praeter oeconomum vicarium capitularem [8]. Ex stricto iure non requiritur forma electionis in deputatione vicarii capitularis, sed ad plura vitanda incommoda consultius est eligere vicarium capitularem per suffragia secreta. Idem valet pro deputatione oeconomi, qui res temporales administrare debet. Vicarius capitularis convenienter sed non necessario ex gremio canonicorum eligitur et habere debet qualitates requisitas pro bono regimine licet transeunte dioecesis [9]. Parochus urbis

[1] C. 9 X 3, 10; cf. totum titulum «De his quae fiunt a Praelato sine consensu capituli» (X 3, 10); Conc. Trid. sess. 24, c. 15 de reform.

[2] Bouix l. c. 394. [3] Leurenius, Forum eccl. l. 3, q. 113.

[4] Bouix l. c. 406.

[5] Devoti l. 2, tit. 15, n. 4.

[6] Subsidium hoc uti etiam Cathedraticum regulares ac ceteri, qui exempti sunt, non tenentur solvere.

[7] Notandum tamen est, sedem episcopalem minime vacare si episcopus a gubernio civili expulsus vel in carcerem detrusus sit.

[8] Conc. Trid. sess. 24, c. 16 de reform.

[9] Cf. Conc. Trid. l. c.

episcopalis, non autem parochus rusticanus potest eligi vicarius capitularis propter legem residentiae. Si capitulum negligit eligere vicarium capitularem, electio devolvitur ad Metropolitam eiusque capitulum et demum ad S. Sedem (Conc. Trid. sess. 24, c. 16 de reform.; Pius IX, Const. «Rom. Pontifex» 28 Aug. 1873).

Rite constituto vicario capitulari integra capituli potestas in eum transfertur, unde capitulum nihil potestatis sibi reservare potest. Iste vicarius non potest a capitulo revocari. Eius potestas exspirat, quando novus episcopus litteras apostolicas suae institutionis capitulo ostendit. Novus episcopus debet statim rationem exigere a vicario capitulari de administratione facta, quae solet vocari syndicatus (Conc. Trid. l. c.).

Vicarius capitularis plura non potest: v. g. convocare synodum, visitare totam dioecesim, antequam elapsus est annus ab ultima synodo vel ab ultima visitatione episcopi [1]; supprimere, unire, conferre beneficia liberae collationis, concedere indulgentias, permittere erectionem novi monasterii [2] vel confraternitatis; alienare bona pretiosa ecclesiastica etc. [3] Cum universa administratio vicarii capitularis sit tantum transitoria; memor sit illius principii: «Ne sede vacante aliquid innovetur» et proinde causas graviores non expediat, nisi adsit urgens necessitas [4].

Iura utilia vicarii consistunt in facultate recipiendi salarium conveniens pro labore suo. S. C. C. die 6 Mart.

---

[1] Cf. Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 2, c. 9, n. 6.

[2] Ferraris s. v. Vicarius capitularis a. 2, n. 66.

[3] S. R. C. declaravit die 4 Nov. 1905 vicarium capitularem, quando invitat aliquem episcopum viciniorem, ut Missam vel Vesperas pontificali ritu celebret, non posse illi concedere thronum, immo nec baculum pastoralem, nisi usus baculi requiratur ex Rubrica uti in consecratione ecclesiarum. — Quandonam vicarius capitularis possit concedere litteras dimissorias, vide supra q. 60.

[4] Cf. c. 2 X (ne sede vac.) 3, 9; c. un. eodem 3, 8 in VI°; Leurenius l. c. n. 698 sq.

1847 statuit hac de re «emolumenta, quae sede plena ad vicarium generalem pertinuissent, sede vacante vicario capitulari competere» [1]. Ceterum normae particulares solent legitime observari in diversis dioecesibus [2]. Iura honorifica tribuunt vicario capitulari praecedentiam super ceteros canonicos, non autem super Dignitates capituli [3]. Ceterum etiam hac in re consuetudines alicubi servatae multum valent. «Qui vicarii generalis aut etiam capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat durante erit Protonotarius titularis; hinc, si Dignitate aut canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio . . . iure utetur.» Ita Pius X Motu proprio «Inter multiplices» 21 Febr. 1905, n. 62 et 76.

Scholion I. Officium vicarii exspirat a) quando novus episcopus suas litteras apostolicas de provisione exhibuerit. Sub poena autem excommunicationis speciali modo Papae reservatae necnon privationis fructuum ecclesiasticorum, beneficiorum quorumcumque prohibentur Dignitates, canonici cathedrales in novum electum vel nominatum aut praesentatum episcopum transferre regimen Ecclesiae ante exhibitionem litterarum apostolicarum [4]; b) per mortem eius vel renuntiationem legitimam, vel per remotionem a S. Sede factam.

Si vicarius capitularis quocumque modo suum officium relinquit, antequam Ecclesia novum pastorem habeat, canonici capitulares intra octo dies possunt eligere novum vicarium capitularem, non autem illum, qui iam electus vel nominatus est episcopus [5].

---

[1] Lingen-Reuss 707. Paulo aliter eadem S. C. C. 14 Febr. 1857, apud Lucidi, De vis. ss. lim. I[3], n. 248.

[2] In Gallia recipiebant vicarii capitulares a gubernio pensionem vicarii generalis (2500 *Fr.*).

[3] S. C. R. 16 Sept. 1865.

[4] Pii IX const. «Romanus Pontifex» 28 Aug. 1873.

[5] Pius IX, Const. cit.

Scholion II. Canonici eodem modo amittunt suum beneficium et officium, quo ceteri beneficiati inamovibiles. Unde quae supra (q. 78) de amotione parochorum dicta sunt, etiam valent de amotione canonicorum.

§ 2. *De vicario generali episcopi.*

Q. 103. *Quid sit vicarius generalis episcopi et unde sit huius officii origo?*

R. 1. Triplex distinguitur vicarius generalis episcopi: vicarius generalis in spiritualibus, vicarius generalis in temporalibus, vicarius generalis in pontificalibus.

Vicarius generalis episcopi in temporalibus fuit oeconomus generalis pro administratione bonorum temporalium dioecesis. Olim quando episcopi non raro fuerunt etiam magni domini in rebus temporalibus, hoc officium fuit arduum; hodie tamen administratio temporalium bonorum dioecesis solet demandari vicario generali in spiritualibus, sub cuius regimine instituuntur diversi officiales, qui bonis temporalibus invigilant, e. gr. Iusticiarius, Architectus, Rendans, Syndicus, Notarius etc.

Vicarius generalis episcopi in pontificalibus in nonnullis magnis dioecesibus instituitur, qui ex delegatione episcopi dioecesani administret in diversis partibus dioecesis sacramentum confirmationis, consecret ecclesias et altaria, conferat sacramentum ordinis etc. Vocatur etiam episcopus adiutor, auxiliaris, titularis vel suffraganeus[1]. Creatur a Summo Pontifice, praevia supplicatione episcopi dioecesani. Conceditur illi titulus alicuius antiquae sedis episcopalis nunc destructae in partibus infidelium; propter quod usque ad recentiora

[1] Hodie tamen episcopi suffraganei solent vocari illi episcopi residentiales, qui sub aliquo Metropolita ad aliquam provinciam ecclesiasticam pertinent. Vicarius in pontificalibus vulgo vocatur: Weihbischof.

tempora etiam vocabatur episcopus in partibus infidelium, sed Leo XIII praecepit illum deinceps esse nominandum episcopum titularem suppressa appellatione «in partibus infidelium». Nunquam solet his episcopis titularibus concedi titulus alicuius sedis episcopalis occupati a Protestantibus vel Acatholicis, e. gr. in Anglia vel Germania, pariter non solet dari duobus episcopis adiutoribus successivis eiusdem dioecesis idem titulus, ne paulatim opinio oriatur titulum illum esse annexum officio episcopi auxiliaris in hac dioccesi. Qualitates requisitae in istis episcopis auxiliariis sunt eaedem, quae requiruntur pro episcopis residentialibus. Potestas illorum est mere delegata et determinatur ab episcopo dioecesano proindeque cessat morte vel revocatione delegantis. Sede vacante egent nova facultate vel a S. Sede vel a vicario capitulari; habent tamen plura privilegia sc. ius ad congruam sustentationem; possunt ex Indulto pontificio retinere praebendas et canonicatus antea possessos et novos acquirere, et generatim omnia privilegia annexa ordini episcopali. Quando in habitu episcopali adsunt in choro vel in capitulis canonicorum praecedunt omnes canonicos et Dignitates. De caeremoniis observandis, quando episcopus suffraganeus (auxiliaris) celebrat pontificalia, videsis Rubricistas, e. gr. P. Martinucci, Man. sacr. caerem. l. 8, Appendix c. 1: De episcopo suffraganeo. In Concilio oecumenico illis conceditur aliquando votum (cf. supra q. 22). In Concilio vero provinciali non habent votum, nisi omnes et singuli episcopi consentiant[1].

Vicarius generalis episcopi in spiritualibus est clericus deputatus ab episcopo cum potestate generali, ut illum repraesentet et vices eius plenarie gerat in exercitio iurisdictionis. Origo huius institutionis pro Ecclesia universali videtur esse tempore

[1] S. C. C. 24 Aug. 1850.

inter Gregorium IX et Bonifatium VIII, i. e. medio saeculo XIII. In Decretalibus Gregorii IX (ed. 1234) nulla eius vestigia adhuc inveniuntur, dum vero in Libro Sexto et in Clementinis frequenter commemoratur novisque legibus ordinatur eius officium [1]. Auctores communiter docent vicarium generalem esse quasi successorem archidiaconi [2]. Archidiaconi pristini paulatim iura exorbitantia sibi arrogaverunt. Huic abusui mederi volentes episcopi iurisdictionem archidiaconi suppresserunt, consentiente Summo Pontifice, et loco eorum instituerunt vicarios generales ad nutum amovibiles. In aliquibus Galliae dioecesibus vicarius generalis adhuc nominatur archidiaconus [3]. Si archidiaconus non est simul vicarius generalis, eius officium iuxta modernam praxim in plerisque regionibus vigentem est reductum ad meram Dignitatem vel melius personatum in capitulis canonicorum (cf. supra q. 98).

Q. 104. *Utrum episcopus teneatur instituere vicarium generalem in spiritualibus?*

R. Si episcopus omnia munera recte per se ipsum obire potest, non tenetur instituere vicarium generalem [4]. Ratio patet, quia vicarius generalis est tantum in adiutorium episcopi institutus, quando ille indiget auxilio propter multitudinem negotiorum. Hinc in parvis dioecesibus vicarius generalis non necessario est instituendus. Communiter autem tenetur episcopus instituere vicarium generalem, cum in maioribus dioecesibus ipse solus impar sit, omnia munera exercendi [5].

---

[1] Cf. c. 2 et 3 in VI° 1, 13; c. 1 in VI° 1, 16; c. 2 Clem. 1, 2. — Appellatur in citatis locis officialis aut vicarius generalis episcopi.

[2] Cf. Wernz II, n. 800; Icard, Prael. iur. can. I 189; Devoti l. 1, tit. 3, § 77; Santi l. 2, tit. 28; Sägmüller, Kirchenrecht § 98.

[3] Cf. Icard l. c.

[4] Cf. Devoti l. c. § 78.

[5] Cf. Wernz l. c. n. 804; Sägmüller, Kirchenrecht § 98.

Q. 105. *Utrum episcopus possit plures vicarios generales in sua dioecesi instituere?*

R. Cum canones loquantur in numero singulari de vicario generali vel de officio vicarii episcopalis, episcopus non potest sine praevia licentia S. Sedis duos vicarios generales instituere in sua dioecesi, nisi tamen hucusque talis consuetudo iam a longo tempore exstiterit[1]. Ast canonistae magni nominis tenent episcopo licere legitima subsistente causa duos vel plures vicarios generales instituere[2], etiamsi deesset talis consuetudo, ut est e. gr. in Gallia. Verum praxis Curiae Romanae non videtur favere pluralitati vicariorum generalium, ubi desit consuetudo ut patet ex responsione S. C. C. 29 Apr. 1893 mox citata.

Q. 106. *Quaenam dotes requirantur in vicario generali?*

R. 1. Ut sit clericus. De iure communi non requiritur aliquis ordo;

2. ut sit in aetate sufficiente. Requiritur aetatis 25 annus incoeptus (Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de reform.);

3. ut sit scientia haud mediocri praeditus. De iure communi non requiritur, ut sit laureatus in theologia vel in iure canonico, sed id omnino decet;

4. ut non sit regularis, nisi in regionibus missionum. Regulares enim non possunt habitualiter extra claustra vivere sine licentia S. Sedis. Fratres Ordinis Minorum S. Francisci omnino prohibentur ab officio vicarii generalis[3];

---

[1] S. C. C. 29 Apr. 1893 interrogata, num episcopi in una eademque dioecesi Italiae possint nominare duos vicarios generales et principales, respondit: Negative. Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 98.

[2] Citantur pro hac sententia Barbosa, Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Wiestner, Leurenius, Devoti, Ferraris aliique apud Icard, Prael. iur. can. n. 190. Ita etiam Scherer, Kirchenrecht I 610.

[3] C. 1 Clem. 5, 11. Ad quaestionem: «An regulares possint esse vicarii generales episcopi» respondit Bouix cum Cardinali Pitra:

5. ut non sit bigamus [1] nec illegitimus [2];

6. ut non habeat aliud officium incompatibile. Talia officia incompatibilia censentur officium parochi, canonici poenitentiarii, rectoris seminarii. Ius commune nihil expressum de hac re habet;

7. ex iure particulari non raro excluduntur ab officio vicarii generalis frater vel nepos episcopi et pariter clerici oriundi ex civitate episcopali [3].

Q. 107. *Ad quae se extendat potestas vicarii generalis?*

R. 1. Multum disputatum est inter canonistas, utrum potestas et iurisdictio vicarii generalis sit ordinaria an delegata. Quidam tenent illam esse ordinariam (Leurenius, Bouix, Wernz, Huguenin etc.), alii tenent illam esse delegatam (Devoti), alii tenent illam esse quasi ordinariam (Scherer, Hinschius, Sägmüller), alii putant illam esse neque ordinariam, neque delegatam, sed vicariam et mandatam (Aichner, Friedle), alii docent illam potestatem esse sui generis i. e. simul ordinariam et delegatam (Santi, Kober). Tota haec controversia in praxi est nullius utilitatis et secundum maximam partem est lis de nomine [4].

2. Ambitus iurisdictionis vicarii generalis his duabus regulis generalibus videtur convenienter circumscribi:

a) Vicarius generalis est plenipotentialis vicesgerens episcopi in omnibus ad iuris-

---

Affirmative sub his tamen limitationibus 1. excluduntur Fratres Minores et Mendicantes, qui transierunt ad Ordinem non Mendicantium, 2. requiritur licentia superioris regularis et licentia S. Sedis. Bouix, De iur. reg. II 57.

[1] C. un. de bigam. in VI° 1, 12.

[2] Cf. Bouix, De iudiciis I 389. [3] Cf. Wernz l. c. n. 804.

[4] Berardi (Comment. in ius eccl. I 211) merito scribit: «Qui disputant an vicariorum iurisdictio ordinaria dicenda sit an delegata, mihi videntur de vocabulis litem inferre, quando alias in rem, in causam inque effectus omnes consentiunt.»

dictionem episcopalem **ordinariam** pertinentibus.

b) Potestati vero vicarii generalis subtracta sunt *α*) quae episcopus sibi ipsi expresse reservat, *β*) quae ipsum ius reservat episcopo et *γ*) quae episcopo competunt tamquam Sedis Apostolicae Delegato. (Ita saltem communiter.)

3. Ex delegatione speciali potest episcopus (saltem ordinarie loquendo) etiam facultates ex iure sibi reservatas vicario generali committere.

4. Ex iure vero episcopo reservatum est et proinde vicarius generalis sine speciali delegatione nihil potest in sequentibus:

a) exercere pontificalia, etiamsi sit episcopus (nisi tamen sit vicarius generalis non solum in spiritualibus sed etiam in pontificalibus);

b) concedere indulgentias[1];

c) dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quod Concilium Tridentinum[2] tribuit episcopo vel vicario ad id specialiter deputando;

d) concedere litteras dimissorias ad suscipiendos ordines, nisi tamen episcopus ita longe absit, ut difficulter adiri queat[3];

e) conferre beneficia et privare illis. «Officialis aut vicarius generalis episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio sit ipsis specialiter commissa»[4] et «Licet in Officialem episcopi per commissionem officii generaliter sibi factam causarum cognitio transferatur, potestatem tamen inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem, nisi sibi specialiter haec

---

[1] Cf. c. 12 X 5, 31. [2] Sess. 24, c. 6 de reform.
[3] C. 3 in VI° 1, 9. [4] C. 3 in VI° 1, 13.

committantur.» [1] Ex quibus verbis videtur sequi vicarium generalem non posse graves poenas et a fortiori censuras ferre in subditos; potest tamen punire intra limites paternae correctionis.

f) visitare dioecesim [2];

g) decernere in causis gravioris momenti, quales censentur cogere synodum dioecesanam [3], erigere confraternitates, concedere fundationem novi conventus regularium etc. [4] In praxi autem vicarius generalis saepe iurisdictionem habet etiam in his casibus reservatis ex delegatione speciali episcopi.

5. Vicarius generalis constituit cum episcopo unum idemque tribunal. Hinc non datur appellatio iuridica a decisione vicarii generalis ad tribunal episcopi, nec episcopus potest annullare processuum sententias latas a vicario generali. Immo si episcopus aliquam facultatem negasset et postea vicarius generalis illam concessisset, esset valida concessio, et idem censeretur ac si episcopus suam voluntatem retractasset. Attamen per se patet, vicarium generalem debere suo officio fungi ad mentem episcopi, ut unitas regiminis servetur. Si vicarius generalis delinquit, non potest puniri ab episcopo propter eandem rationem; nemo enim punitur a proprio tribunali. In hoc casu tamen episcopus posset vicarium generalem prius officio privare et tunc contra illum in iudicio procedere. Vicarius generalis officio amisso non tenetur ad «syndicatum» i. e. ad reddendam rationem administrationis successori episcopi ut expresse declaravit Gregorius XIII a. 1578 [5].

6. Vicarius generalis habet ius ad congruum salarium, quod quidem diversis regionibus diverso modo illi

---

[1] C. 2 in VI° 1, 13. [2] C. 6 in VI° 1, 16.
[3] Benedictus XVI, De syn. dioec. l. 2, c. 8, n. 3.
[4] Cf. Ferraris s. v. Vic. gen. a. 2, n. 19 sq.
[5] Cf. Ferraris l. c. a. 4, n. 11.

solvitur. Quoad praecedentiam vicarius generalis habitu vicariali [1] indutus praecedit omnes canonicos, personatus et Dignitates capituli [2]. Pius X concessit die 21 Febr. 1905 vicario generali, durante munere titulum, honores et iura Protonotarii apostolici titularis vel honorarii. Cf. supra dicta de vicario capitulari q. 102. In choro obtinet primum stallum vel habet sedem distinctam. Vicarius generalis, qui simul est canonicus, si velit ut vicarius interesse choro, praecedit omnes, sed amittit distributiones quotidianas, si ut canonicus sedere debet in suo stallo canonici et recipit distributiones [3]. Vicario generali non competit, Missas solemnes celebrare, aliasque functiones episcopales peragere, impedito episcopo, cum id pertineat ad Dignitates et canonicos [4].

7. Vicarius generalis amittit suas facultates a) morte episcopi, b) revocatione episcopi, c) depositione, d) quando ipse episcopus exercitium iurisdictionis amittit.

Scholion. Praeter vicarium generalem episcopus solet deputare in diversis partibus dioeceseos vicarios foraneos, qui vocantur etiam decani vel archipresbyteri et eorum districtus consistens ex aliquibus parochiis appellatur decania, archipresbyteratus, christianitas. Institutio, circumscriptio et mutatio decaniarum pertinet ad episcopum, et idem valet de institutione et amotione decanorum, quorum officium est habere limitatam supervisionem parochiarum sui decanatus. Specialia iura decani specialibus dioeceseos statutis circumscribuntur.

---

[1] Vicarii generalis habitus est subtana cum mantello et birreto.

[2] Ita multoties decrevit S. C. R. e. gr. 27 Febr. 1847: «Iuxta alia decreta vicarius generalis in choro et in habitu vicariali omnibus etiam dignitatibus non paratis (i. e. sacris vestibus non indutis, sed tantum in habitu canonicali) praecedit, excluso tamen hebdomadario.» Cf. Bouix, De capitulis 524.

[3] Pluries a S. C. R. decisum apud Bouix l. c. 525.

[4] Ita S. C. R. apud Bouix l. c.

ARTICULUS VI.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITIS.

Q. 108. *Quid sint Patriarchae?*

R. Patriarcha vi nominis videtur significare princeps patrum et iste titulus concessus est paucis episcopis, qui quandam eminentiam et supervisionem habebant super ceteros episcopos alicuius regionis [1]. Post Romanum Pontificem inter episcopos eminent Patriarchae, qui praestant Primatibus, sicut Primates Metropolitis et Metropolitae episcopis. Quinque Patriarchatus maiores distingui solent, qui hoc dignitatis ordine ab Innocentio III dispositi sunt: Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus. Plures ex his iam non sunt nisi Patriarchatus titulares. In Oriente plures adhuc exsistunt Patriarchae diversi ritus, e. gr. Armeni, Chaldaei, Melchitae, Maronitae. Praesertim in Occidente distinguuntur Patriarchae minores, e. gr. Venetus, Ulissiponensis, Indicus in Hispania; Goanus vero in Indiis Orientalibus. Hodiernis diebus Patriarcharum auctoritas et iurisdictio non videtur maior esse auctoritate Metropolitae. Ita saltem de iure communi; habent tamen in Concilio oecumenico praecedentiam [2].

Q. 109. *Quid sint Primates eorumque praerogativa?*

R. Primates qui et Exarchae, Vicarii Apostolici, Legati nati appellantur, non semper eundem dignitatis

---

[1] De origine et historia huius denominationis videsis Wernz II, n. 716, vel Devoti, Instit. can. l. 1, sect. 3, § 33 sqq, vel Kirchenlexikon s. v. Patriarch.

[2] In «La Gerarchia cattolica», ed. 1907, 14 Patriarchi enumerantur sc. Constantinopolitanus, Alexandrinus ritus Latini et ritus Coptorum, Antiochenus ritus Latini, ritus Graec. Melchit., ritus Maronit., ritus Syrorum, Hierosolymitan., Ciliciae Armenorum, Lisbonens., Venetiarum, Indiarum Orientalium, Indiarum Occidental. et Babylon. Chaldaeorum. Sunt igitur in praesenti 8 sedes patriarchales ritus Latini et 6 ritus Orientalis.

et potestatis ambitum habuerunt. Hodie quaelibet natio vel quodlibet regnum solet habere Primatem, sic e. gr. Primas Belgii est archiepiscopus Mechlinensis, Primas Hungariae est archiepiscopus Strigonensis. Fatendum tamen est non raro exsistere controversias et dubia, quinam sit Primas. Salvo iure speciali competit Primati

1. ius praecedentiae et honoris prae omnibus episcopis et Metropolitis alicuius regionis, in qua est Primas;

2. consecrandi Metropolitas et ab iis exigendi professionem oboedientiae canonicae;

3. convocandi Concilia plenaria sive nationalia et in illis praesidendi;

4. deferendi ante se dominicae crucis vexillum in omnibus provinciis suae Primatiae;

5. coronandi reges [1];

6. ius praecedentiae in Concilio oecumenico super omnes archiepiscopos et episcopos, non autem super Patriarchas.

Q. 110. *Quid sint Metropolitae eorumque iura?*

R. Sicut Primates solent praeesse episcopis unius nationis, ita Metropolitae praesunt uni provinciae ecclesiasticae. Provincia ecclesiastica vocatur aliquod territorium, in quo plures inveniuntur dioeceses, quarum episcopi vocantur suffraganei episcopi Metropolitae [2]. Metropolita vi nominis significat episcopum ecclesiae matricis. Cum autem ecclesia Metropolitae non semper sit ecclesia matrix, sed tantum ecclesia dignior, hodie Metropolitae solent vocari archiepiscopi. Originem Metropolitarum nonnulli veteres et moderni auctores a temporibus Apostolorum ducunt citantes exemplum S. Titi, qui praefectus fuit a S. Paulo insulae Cretae (tamquam Metropolita), et S. Timothei, qui praefuit toti

[1] Cf. Wernz II, n. 722.

[2] Episcopi auxiliares etiam aliquando vocantur episcopi suffraganei; cf. supra q. 103.

provinciae Asiae; certe expressa mentio de Metropolitis fit in can. 4 Conc. Nicaen. (a. 325).

Iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam ius metropoliticum (auctoritas metropolitana, lex metropolitana) ad sequentia capita reducitur:

a) Convocare singulis trienniis Concilium provinciale eique praesidere [1]. Cf. tamen supra q. 30.

b) Visitare dioeceses episcoporum comprovincialium, sed nonnisi causa cognita et probata in Concilio provinciali [2]. Hodie in istis casibus S. Sedes solet intercedere.

c) Exercere ius devolutionis in 3 casibus: *α*) quando capitulum neglexit deputare vicarium capitularem intra 8 dies post vacationem sedis episcopalis cognitam [3]; *β*) si episcopus suffraganeus distulerit per sex menses culpabili negligentia conferre beneficia vacantia [4]; *γ*) si episcopus suffraganeus ex negligentia non concesserit institutionem canonicam infra duos menses legitime a patronis praesentato ad ecclesiam parochialem [5].

d) Denuntiare Romano Pontifici episcopos suffraganeos ultra annum absentes vel non residentes [6].

e) Corripere et compellere suffraganeos negligentes ad erectionem et conservationem seminarii clericorum [7].

f) Recipere in pluribus casibus appellationem a sententia iudiciali episcopi suffraganei [8].

g) Celebrare pontificalia, solemniter benedicere, dare indulgentias in dioecesibus suffraganeorum (et quidem etiam extra visitationem [9]); non potest tamen ordines conferre sine licentia suffraganei.

---

[1] Conc. Trid. sess. 24, c. 2 de reform.
[2] Conc. Trid. sess. 24, c. 3 de reform.
[3] Conc. Trid. sess. 24, c. 16 de reform.
[4] C. 2 X 3, 8.
[5] Pius V, Const. «In conferendis» 1567.
[6] Conc. Trid. sess. 6, c. 1 de reform.
[7] Conc. Trid. sess. 23, c. 18 de reform.
[8] Benedictus XIV, Const. «Ad militantis» 30 Mart. 1742.
[9] C. 15 X 5, 38. Benedictus XIV, Const. «Exemplis» 19 Mart. 1748.

h) Plura iura honorifica sc. crucem gestatoriam ante se deferendi per totam suam provinciam (etiam in locis exemptis), dummodo tamen pallium iam habeat et non praesens sit Legatus Papae, vel Cardinalis vel Nuntius[1], et utendi pallio. Pallium est ornamentum (sc. fascia lanea candida), quod Metropolita super alias vestes pontificales defert[2]. Metropolita, et idem valet de Primate et Patriarcha, tenetur infra tres menses a consecratione vel institutione petere pallium a Summo Pontifice[3]. Archiepiscopi vero et Patriarchae titulares nec tenentur nec possunt pallium petere. Haec petitio fieri solet in Consistorio sive personaliter a Metropolita aliisque vel per procuratorem. Pallium dicitur «de corpore B. Petri assumptum», quia mos est, ut pallia in Vigilia SS. Apostolorum deferantur ad Confessionem S. Petri illucque peracta benedictione asserventur in arcula prope corpus B. Petri, usque dum inde suscipiantur a primo Cardinali ordinis diaconorum, qui illa tradit archiepiscopis seu illorum procuratoribus. Pallium non solummodo datur ad decorandum archiepiscopum, sed etiam in signum institutionis officii et plenitudinis iurisdictionis. Hinc archiepiscopus in rigore iuris non potest gerere titulum archiepiscopi ante pallii susceptionem, nec licet illi peragere functiones etiam episcopales, ad quas requiritur usus pallii, e. gr. non potest convocare Concilium provinciale, recipere appellationes a iudiciis suffraganeorum, conficere chrisma, ordinare clericos etc.[4]. Aliquando pallium conceditur simplicibus episcopis vel etiam archiepiscopis titularibus, sed tunc est merum signum honoris et nullam ampliorem iurisdictionem vel exemptionem confert[5]. Isti episcopi, quibus

---

[1] Cf. Wernz II, n. 725.

[2] De origine et historia pallii vide Wernz l. c.

[3] Benedictus XIV, Const. «Inter conspicuos» 29 Aug. 1744.

[4] C. 28 X 1, 6.

[5] Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 13, c. 15, n. 9.

ex gratia usus pallii conceditur, possunt exercere omnes actus pontificales etiam ante susceptionem pallii [1]; non tenentur igitur sicut archiepiscopi residentiales prius exspectare concessionem pallii, antequam e. gr. synodum dioecesanam convocent vel clericos suos ordinent. Usus pallii restringitur iuxta Pontificale Rom. (tit. de pallio) vel iuxta privilegium specialiter concessum. Insuper usus pallii est prorsus personalis. Unde archiepiscopus non potest suum pallium alteri commodare, et si transfertur in aliam archidioecesim, debet pallium secum asportare; tenetur tamen pro hac nova ecclesia in signum novae iurisdictionis novum pallium petere. Quando moritur archiepiscopus, debet sepeliri indutus suo pallio; si etiam habuerit pallium ex aliena ecclesia secum asportatum, illud debet poni in sepulcro sub eius capite. Cum pallium sit signum plenitudinis iurisdictionis, archiepiscopus nequit illud gestare extra suam provinciam, neque in praesentia Summi Pontificis vel eius Legato a latere [2].

SECTIO III.

DE ROMANO PONTIFICE EIUSQUE CURIA.

Praenotamen. Iuxta praxim modernam clerici studentes in Propaedeutica speciales lectiones audiunt de Ecclesia Christi, de primatu (non tantum honoris sed etiam iurisdictionis), qui competit Summo Pontifici, et de eius infallibilitate in rebus fidei et morum. Unde ne actum agamus, haec omnia tamquam nota praesupponimus et brevitatis causa illa tantum de Romano Pontifice eiusque curia tangimus, quae in Propaedeutica non tractantur. Tota haec sectio subdividitur in tres articulos sc. 1. De ipso Summo Pontifice; 2. De Curia Romana; 3. De Legatis, Delegatis et Nuntiis Apostolicae Sedis.

[1] Benedictus XIV l. c. [2] Cf. Benedictus XIV l. c.

ARTICULUS I.

DE IPSO SUMMO PONTIFICE.

Q. III. *Quid dicendum sit de electione Summi Pontificis?*

R. 1. Quamvis probabilius iure divino episcopus Romanus succedat B. Petro (cf. De Groot, Summa apol. q. 15, a. 5), ita ut episcopus Romanus semper sit Summus Pontifex et quidem ex institutione Christi, tamen quonam modo, an electione vel nominatione etc. Summus Pontifex sit instituendus, nihil iure divino statutum est. In fontibus revelationis divinae nihil invenitur de modo constituendi Summum Pontificem.

2. Certissimum tamen est, nullam civilem potestatem posse se ingerere in electione Summi Pontificis. Ecclesia catholica est societas perfecta, quae potest seipsam regere. Praeterea eligere Summum Pontificem pertinet ad hierarchiam ecclesiasticam et proinde omnes laici ab hac electione excludendi sunt [1].

3. An Summus Pontifex possit sibi ipsi successorem determinare, valde controvertitur. Omnes quidem concedunt Summum Pontificem excedere limites suae potestatis, si velit eligere suum successorem absque urgentissima necessitate, sed in casu extraordinario, cur hoc fieri nequeat, nulla ratio convincens adduci potest. Felicem IV (526--530) revera suum successorem sc. Bonifatium II designasse vix negari potest [2].

4. Cum ex iure divino electio Summi Pontificis neque pertineat ad Concilium oeconomicum neque ad Col-

[1] Cf. Wernz II, n. 567.

[2] «Deum quibus possum precibus exorando, hoc mihi, ipso fateor aspirante, compertum ut si me Deus pro voluntate sua de hac luce, sicut habet humana conditio, transire praeceperit, ut Bonifatius Archidiaconus, qui ab ineunte aetate sua in nostram militavit Ecclesiam, Episcopatus honore suscepto, in qua proceditis, Deo adiuvante Romanam, gubernet Ecclesiam.» Lib. Pontificalis ed. Duchesne I (1886) 282.

legium Cardinalium, neque aliquis modus determinatus sit, Papa potest libere leges de electione Summi Pontificis ex iusta causa mutare [1].

5. Electione Summi Pontificis facta et acceptata, iurisdictio super totam Ecclesiam electo confertur non a Collegio Cardinalium, sed immediate a Deo. Unde optime iure Innocentius III declarat: «Potestas nostra non est ex homine sed ex Deo.» [2]

6. Ius eligendi Romanum Pontificem iuxta disciplinam vigentem exclusive pertinet ad Cardinales S. R. E. et

---

[1] Modus eligendi Summum Pontificem varius pro variis temporibus fuit:

a) Usque ad Constantinum imperatorem electio Summi Pontificis facta est, sicut facta est electio aliorum episcoporum, sc. petitione populi, electione cleri et vicinorum episcoporum. Cf. c. 1, D. 62.

b) A Constantino usque ad saeculum octavum imperatores suam auctoritatem non raro electioni immiscuerunt cum damno libertatis eligentium. Sic Odoacer, Theodoricus, Iustinianus sibi usurparunt ius confirmandi electionem Summi Pontificis.

c) A S. Zacharia (a. 741) ad Alexandrum II (a. 1179) translato imperio Romano ad reges Francorum et imperatores Germaniae electio Summi Pontificis magis quidem libera fuit a concursu populi, sed etiam magis dependebat a voluntate imperatorum, qui sibi arrogaverunt ius nominandi Summum Pontificem, ita ut electio quasi illusoria esset.

d) A Concilio Lateranensi III usque ad nostros dies. Alexander III in Concilio Lateranensi III a. 1179 expresse statuit, ut ad valorem electionis R. Pontificis duae tertiae partes praesentium Cardinalium requirerentur et sufficerent. Gregorius X disciplinam «Conclavis» instituit ad impediendam longiorem vacationem Sedis Apostolicae (c. 3, in VI° 1, 6). Rigorem vero de parcimonia cibi a Gregorio X praescriptum mitigavit Clemens VI const. «Licet» 6 Dec. 1351. — Iulius II const. «Cum tam divino» 14 Ian. 1506 et Concilium Lateranense V (sess. 5) statuerunt omnem electionem simoniacam esse non solum illicitam sed prorsus invalidam. Propter vitium simoniae electionem Alexandri VI fuisse invalidam tenuerunt quidam, e. gr. Grauert in Hist. Jahrb. XIX 827 sqq. Plures Summi Pontifices, e. gr. Paulus IV, Pius IV, Clemens XII, Gregorius XV, Pius IX, Leo XIII, Pius X constitutiones de electione R. Pontificis ediderunt, quas longum esset hic referre.

[2] C. 13 X 2, 1.

hoc quidem etiam tempore oecumenici Concilii (quod morte Papae eo ipso esset suspensum)[1]. Cardinales absentes vocandi sunt, sed eorum adventus non necessario est exspectandus; hinc die 12 post vacationem Sedis electio fieri debet vel saltem potest. Absentes Cardinales non possunt eligere per procuratorem. · De modo electionis cf. librum, qui inscribitur «Caeremoniale Romanae Ecclesiae» et constitutionem Gregorii XV «Aeterni Patris» 15 Nov. 1621. Potest quidem fieri electio sicuti aliae electiones per inspirationem, compromissum aut scrutinium, sed iam a longo tempore non est in usu nisi electio per scrutinium.

7. In Summum Pontificem valide potest eligi quilibet Christianus masculus usum rationis habens et non simoniacus, ad licitam autem electionem requiritur, ut electus sit dignior et praestet sanctitate vitae et rerum gerendarum peritia[2].

8. Guberniis Galliae, Austriae et Hispaniae permissum fuit ultimis saeculis (nunquam autem auctoritative concessum), ut possint unum Cardinalem minus gratum ab electione in Summum Pontificem excludere. Hoc indultum vocatur «exclusiva». Cardinales eligentes minime tenentur deferre exclusioni factae, sed ne oriantur dissidia inter Sanctam Sedem et primarias nationes catholicas, solent intentioni gubernii civilis excludentis satisfacere. Sane non expedit, ut aliquis Cardinalis se praebeat nuntium, qui hanc «exclusivam» interponat[3].

---

[1] Pius IX, Const. «Rom. Pontificibus» 4 Dec. 1869.

[2] Nulla lex hodie exsistit, ut Romanus Pontifex ex clero Romano vel ex Collegio Cardinalium vel ex Italis assumatur. At inde ab Urbano VI (1378—1389) qui tempore electionis Cardinalis non fuerat, constanti usu servatum est, ut semper Cardinalis S. R. E. eligeretur. Hadrianus VI (1522—1523) Batavus fuit ultimus Romanus Pontifex non ex Italia ortus.

[3] Pius X sub gravissimis poenis, ne Cardinales proponant in conclavi postulationes alicuius gubernii civilis, prohibuit. Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. n. 379.

Q. 112. *Quaenam sint praerogativa Summi Pontificis?*

R. Cum Summus Pontifex sit legitimus successor S. Petri, omnia iura Principi Apostolorum collata transmittuntur in Summum Pontificem. Haec autem iura sunt:

1. Perfectissima potestas ordinis. Licet quidem potestas ordinis quantum ad essentiam suam non sit maior in Papa quam in episcopo, tamen exercitium huius potestatis, quod in episcopis tam multipliciter limitatum est (e. gr. quantum ad tempus, ad locum, ad Rubricas etc.), nullas iuris ecclesiastici limites in illo habet. Hinc Summus Pontifex potest ubique terrarum, quolibet ritu potestatem ordinis exercere.

2. Perfectissima potestas iurisdictionis. Omnia quae dicta sunt supra de iurisdictione episcopi in propria dioecesi, valent ampliore modo de iurisdictione Papae in universo orbe christiano. Nullus omnino actus iurisdictionis iuris ecclesiastici prohibetur illi, cum Papa sit supremus legislator ecclesiasticus; immo in nonnullis casibus Summus Pontifex potest dispensare in iure divino, e. gr. in vinculo matrimonii rati. Plures causae graviores, e. gr. beatificatio, canonizatio, dispensatio in votis solemnibus, Missae liturgia, divinum officium etc. exclusive reservantur iurisdictioni papali. Quaenam sint hae causae graviores, in singulis materiis dicetur. Iurisdictionem Summi Pontificis esse superiorem Concilio oecumenico certum est. Hinc potest derogare decretis istorum Conciliorum, uti adhuc recenter fecit Leo XIII quantum ad regulas Indicis a Concilio Tridentino statutas et Pius X quantum ad decretum «Tametsi».

3. Summa dignitas honorifica seu primatus honoris. Cum tanta sit potestas et eminentia Summi Pontificis, illi debentur honores, qui nulli alii praestandi sunt scilicet tituli, insignia et signa reverentiae.

a) Tituli. Vocatur Summus Pontifex, vocatur Papa i. e. pater, quod nomen antiquis temporibus etiam aliis episcopis tribuebatur, sed nunc exclusive proprium

est Summo Pontifici. Vocatur vicarius Christi, i. e. vicesgerens Christi; appellatur: Sanctissimus Pater, Sanctitas sua; seipsum in solemnioribus litteris vocat «servum servorum Dei».

b) Insignia. R. Pontifex gestat mitram sicut alii episcopi, sed in aliquibus solemnioribus functionibus gestat tiaram (sive triregnum), quae significat triplicem eius potestatem sc. paternam in omnes Christianos, pontificiam seu ministerialem in omnia sacra et temporalem in ditionem ecclesiasticam. Portat pallium semper et ubique in Missarum solemniis ad significandam plenitudinem eius potestatis. Papa non gestat baculum episcopalem, cuius forma videtur iurisdictionem participatam et limitatem significare, sed ei praefertur pedum rectum, quod in summitate crucem habet, vexillum Christi morientis et regnantis.

c) Signa reverentiae. Nomen Papae in Canone Missae et in publicis orationibus commemoratur. Osculatio crucis fixae super sandalia. (Hodie frequenter osculatio manus substituitur.) Medio Aevo reges et imperatores exhibebant officium strepae et stratoris in ascendendo equo. Agnoscitur etiam nostris temporibus ut primus inter principes catholicos eiusque Legati et Nuntii in aulis principum solent primum locum obtinere.

Scholion. 1. Praeter primatum in universam Ecclesiam catholicam aliae dignitates competunt Romano Pontifici, sc. est Patriarcha Occidentis iam a primis saeculis aerae christianae; est Primas Italiae, quatenus in Italia obtinet gradum, quem in reliquis terris Primates adepti sunt; est Metropolita provinciae Romanae, ad quam pertinent a) omnes episcopi, qui inter Pisanam et Capuanam provinciam sedent; b) insuper omnes archiepiscopi, qui suffraganeos non habent, sicuti etiam omnes episcopi directe subiecti S. Sedi et c) omnes abbates nullius; est Episcopus

dioecesis Romanae, quae comprehendit urbem Romam et territorium circumiacens.

2. Usque ad annum 1870 Romanus Pontifex exercuit regimen etiam civile in sic dicto «Patrimonio Petri». Summa iniuria hoc imperium illi abreptum est, non obstantibus gravissimis poenis latis contra «invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in iis nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes»[1]. Nullum dubium est, quin Papa ius ad hoc regimen civile etiam nostris diebus retineat, etsi propter occupationem non possit exercere illud[2].

Q. 113. *An potestas Summi Pontificis possit restringi aut amitti?*

R. 1. Potestas spiritualis Summi Pontificis non semel restricta fuit stipulationibus Cardinalium in conclavi, e. gr. eligendus in Summum Pontificem debuit iurare se non velle novos Cardinales creare absque consensu aliorum Cardinalium. Huiusmodi stipulationes (solebant vocari capitulationes), quae praesertim saeculis XV et XVI acciderunt, inde ab Innocentio XII feliciter cessaverunt. Illas fuisse et esse non tantum illicitas, sed etiam invalidas tenet probabilior sententia[3].

2. Exercitium potestatis Summi Pontificis aliquando restringitur Concordatis cum gubernio civili initis. Ad bonum alicuius regni procurandum et ad pacem cum guberniis servandam Papa non raro fecit et facit in Concordatis magnas concessiones, quas sane non potest revocare sine urgentissima causa. Cf. supra, ubi de Concordatorum natura dictum est, q. 25.

---

[1] Bulla «Apost. Sed.»

[2] Cf. Nürnberger, Papsttum und Kirchenstaat.

[3] Cf. Bened. XIV, De syn. dioec. l. 13, n. 20.

3. Potestas Summi Pontificis amittitur morte ipsius. Cum autem tempore Sedis Apostolicae vacantis, nihilominus Ecclesia sit administranda, Cardinalis-Vicarius pro dioecesi Romana illa negotia expedit, quae moram non patiuntur. Idem valet de S. S. Congregationibus Romanis, quae Sede vacante negotia urgentiora expediunt. Cardinalis-Poenitentiarius etiam Sede vacante suam iurisdictionem retinet [1].

4. Potestas Summi Pontificis amittitur resignatione propria. Nullum dubium exsistere potest, quin Romanus Pontifex possit valide et licite resignare. Papa Coelestinus V revera resignavit et Bonifatius VIII successor illius solemniter decrevit, «Romanum Pontificem posse libere resignare» [2]. Illi, qui legitime acceptant hanc resignationem, non sunt Cardinales, quia non sunt superiores Papae, sed est ipse Deus, qui contulit etiam dignitatem papalem.

5. Potestas Summi Pontificis videtur etiam amitti amentia perpetua et haeresi ipsius. Amentia enim perpetua videtur aequivalere morti. Atqui per mortem Papa amittit suam potestatem. Ergo etiam per amentiam. Qui enim incidit in certam et perpetuam amentiam, est prorsus incapax iurisdictionis. Iurisdictio est actus rationis, qui autem nullum actum rationis ponere potest propter amentiam, nec etiam valet ponere actum iurisdictionis. Neque quis dicat in hoc casu posse designari vicarium generalem Summi Pontificis, nam si Summus Pontifex revera maneret Papa, tunc ille vicarius non haberet primatum iurisdictionis nec a fortiori donum infallibilitatis, cum nonnisi unus his praerogativis a Christo ornatus sit. Hoc autem vergeret in maximum detrimentum Ecclesiae. — Per haeresim certam et notoriam Papam amittere suam potestatem auctores quidem communiter docent, sed utrum iste casus revera possi-

[1] Cf. Grandclaude, Ius canonicum I 44. [2] C. 1 in VI° 1, 7.

bilis sit, merito dubitatur; supposito autem quod Papa ut homo privatus (nam ut Doctor Ecclesiae non potest errare in fide, cum sit infallibilis) in haeresim incideret, quomodo tunc sua potestate privaretur, a diversis diversae sententiae excogitatae sunt, quae tamen omnes limites probabilitatis non excedunt [1]. Certum est hucusque nullum exemplum in tota historia inveniri, quo verus Papa inciderit etiam ut homo privatus in manifestam haeresim.

Summum Pontificem non posse propter alia vitia quantumvis enormia perdere suam potestatem nec deponi certum est apud omnes doctores catholicos.

ARTICULUS II.

DE CURIA ROMANA.

Q. 114. *Quid nomine Curiae Romanae veniat?*

R. Curia Romana sumitur vel in sensu stricto vel in sensu lato. In sensu stricto Curia Romana est complexus omnium Congregationum, tribunalium et officialium, quibus Summus Pontifex utitur ad universalem Ecclesiam regendam. In sensu lato ad Curiam Romanam (quae melius Aula Romana, la corte di Roma, vocatur) pertinent etiam administratio Status pontificii et omnes illi, qui sunt de «Famiglia pontificia» [2]. Nos

[1] Videsis Wernz II, n. 615; Billot, De Ecclesia q. 14, thes. 19; Caietan., De auct. Papae et Concilii tract. 1, c. 17.

[2] Nomen «Curia Romana» primo occurrit saeculo X in «Ordinibus Romanis» (cf. Mabillon, Museum Italicum II 97). De Curia Romana optime scripserunt Io. Bapt. de Luca, Relatio Curiae Romanae forensis eiusque Tribunalium et Congregationum, Coloniae Agrippinae 1685; Lega, Praelectiones II: De ordinatione Curiae Romanae, Romae 1898; Baumgarten, Der Papst, die Regierung und die Verwaltung der heiligen Kirche in Rom, mit Lebensbeschreibung Pius' X.; Ortolan, La Cour Romaine (Dictionnaire de théologie cath. par Vacant et Mangenot). Magna utilitate leguntur hac in re libri quotannis publici iuris facti quibus nomen «La Gerarchia cattolica» et «Annuaire pontifical catholique» par A. Battandier.

brevitatis gratia loquimur tantum in stricto sensu de Curia Romana, quae est organum Summi Pontificis in regimine totius Ecclesiae. Omnes officiales ad Curiam Romanam pertinentes possunt, praeeunte de Luca [1], dividi in 8 categorias, sc. 1. Cardinales, 2. praelati, 3. officiales clerici non praelati, 4. advocati, 5. procuratores, 6. notarii, 7. expeditores, 8. agentes; sed de principalioribus tantum possumus hic agere sc. de Cardinalibus et praelatis. Cum autem Cardinales (de Curia) principalius in Congregationibus operam navent, hic articulus de Curia Romana convenienter subdividitur in 3 paragraphos, sc. 1. De Collegio Cardinalium, 2. De Praelatis Romanis, 3. De Congregationibus Romanis.

§ 1. *De Collegio Cardinalium.*

Q. 115. *Unde nomen et officium Cardinalis originem duxerit?*

R. Nomen Cardinalis est derivatum a cardine. Cardo autem significabat antiquis temporibus ecclesiam episcopalem vel alias ecclesias principales, cui clerici adscribebantur, et isti clerici (sive episcopi, sive presbyteri, sive diaconi) [2] huiusmodi ecclesiis adscripti vocabantur incardinati vel cardinales [3]. Cardinalis nomen ante tempora S. Silvestri Papae exstitisse non constat [4]. Progressu temporis sicut nomen Papae, olim omnibus episcopis commune, factum est proprium episcopi Romani, ita nomen Cardinalis reservatum est primis con-

---

[1] Relatio Curiae Romanae (a. 1685).

[2] Papa Zacharias in epistula ad Pipinum a. 748 loquitur de aliquo canone Concilii Neocaesareensis quarto saeculo celebrati, in quo agebatur: «De presbyteris agrorum quam obedientiam debeant exhibere episcopis et presbyteris cardinalibus.» Migne, Patr. Lat. 89, 933 et Jaffé, Regesta n. 2277.

[3] Cf. Thomassin, Vet. et nov. disc. p. 1, l. 2, c. 115.

[4] Cf. Ferraris s. v. Cardinalis a. 1, n. 3.

siliariis Romani Pontificis. Tandem Pius V prohibuit, ne clerici non solum aliarum ecclesiarum, sed etiam Romanae Ecclesiae praeter 6 episcopos suburbicarios 50 presbyteros et 14 diaconos gestarent nomen Cardinalis [1]. Usque ad Honorium II (1124—1130) exsistebant etiam Cardinales subdiaconi, Cardinales acolythi, Cardinales clerici. Numerus Cardinalium non semper idem fuit. Ante saeculum XII videntur fuisse circiter 50 Cardinales; anno 1331 tantum 20 Cardinales erant; Paulus IV statuit numerum 40, Gregorius XIII 76. Sixtus V [2] ad instar 70 seniorum in Vetere Testamento statuit, ut numerus Cardinalium non excedat 70. Et ita adhuc est nostris diebus. Immo sunt plures tituli quam 70. Iuxta «La Gerarchia cattolica» sunt 75 tituli cardinalitii. Sed fere nunquam omnes tituli cardinalitii revera occupantur.

Officium Cardinalium primis decem saeculis erat administratio ecclesiarum, quibus incardinati erant. A Nicolao II (a. 1059) et ab Alexandro III (a. 1179) receperunt ius exclusivum eligendi Summum Pontificem. Saeculo XII etiam episcopi residentiales extra Urbem in Collegium Cardinalium primitus assumpti sunt; e. gr. Conradus archiepiscopus Moguntinus a. 1165. Saeculo vero VIII iam septem episcopi suburbicarii [3] ad Collegium Cardinalium pertinebant. «Liber pontificalis» [4] enim dicit de Stephano III (a. 769): «Hic statuit ut omni die Dominico a septem episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant Missarum solemnia, super altare B. Petri celebraretur et Gloria in excelsis Deo ediceretur.»

Iuxta vigentem disciplinam Cardinales sunt senatus Summi Pontificis eiusque consiliarii et adiutores in regi-

---

[1] Const. 17 Febr. 1568. [2] Const. «Postquam verus» 3 Dec. 1586.
[3] Calixtus II hunc numerum reduxit ad sex.
[4] Ed. Duchesne I 478.

mine totius Ecclesiae. Officium cardinalatus esse iuris divini quidam tenuerunt [1], et haec sententia eo sensu sustineri potest, quod Papa ex iure divino in regimine totius Ecclesiae debeat habere coadiutores et consiliarios permanentes praeter episcopos propriis dioecesibus praepositos. Est enim plane impossibile Papam posse totam administrationem Ecclesiae per se ipsum gerere, et pariter est impossibile episcopos dioecesibus praepositos posse sufficienter adiuvare Papam in regimine Ecclesiae. At si quis eo usque procedit, ut asserat Cardinales esse veros successores Apostolorum et Apostolos fuisse Cardinales Christi et post Christi Ascensionem illos fuisse Cardinales S. Petri, vel: «Senatui Apostolorum succedit Collegium sacrum Cardinalium quantum ad illum statum quo Apostoli consistebant Petro, antequam fierent particularium ecclesiarum episcopi» [2], tunc tales locutiones sunt potius lepidae comparationes quam veritates solide probatae. Wernz, Ius decr. II 624 recte vocat opinionem Cardinales esse institutionis divinae plane improbabilem, «nam neque in Sacra Scriptura neque in Traditione divina ullum habet solidum fundamentum, immo dignitas cardinalitia ne institutionibus quidem Apostolorum adnumerari potest».

Q. 116. *Quomodo Cardinales creentur?*

R. 1. Ius creandi Cardinales est penes solum Summum Pontificem, qui illos «ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, assumet» [3].

2. Summus Pontifex prorsus liber est in creatione Cardinalium et ideo neque a Collegio Cardinalium neque ab aliquo gubernio civili consensum vel propositionem quaerere tenetur. Quodsi Papa ante creationem Cardinales praesentes interrogat: «Quid vobis videtur», hoc

[1] Cf. Bouix, De Curia Romana 47.

[2] Ferraris s. v. Cardinalis a. 1, n. 2.

[3] Conc. Trid. sess. 24, c. 1 de reform.

mera caeremonia est, et quodsi aliquando Papa illos Cardinales creat, qui sunt praesentati a gubernio civili, praesertim a guberniis Austriae, Galliae, Hispaniae et Portugalliae, hoc mera liberalitas est [1].

3. Forma creationis Cardinalium nulla essentialiter requiritur, sed sufficit sola manifestatio voluntatis Papae; solent tamen creari Cardinales in consistorio [2]. Aliquando Papa non publicat nomina Neo-Cardinalium, sed eos, uti dicitur, «in pectore reservat» (Cardinales in petto). Ratio huius reservationis communiter est impedimentum aliquod dissuadens publicationem nominis, e. gr. aliquis clericus valde dignus quodam labore occupatus est, quem non potest dimittere, quem tamen deberet relinquere, si esset publice creatus Cardinalis. Si nunc creatur Cardinalis «in pectore», habet privilegium anciennitatis ab hoc momento. Si vero Papa moritur sine publicatione nominis, creatio in pectore reservata nullum effectum produxit, et taliter creatus non habet vocem in electione novi Papae. Aliquando sat magnae difficultates ortae sunt ex reservatione in pectore [3].

4. «Inter Cardinales praeter egregios utriusque iuris doctores, non desint aliqui insignes viri in sacra theologia magistri praesertim ex regularibus et ex Ordinibus Mendicantium non pauciores quam quattuor assumantur.» [4]

5. Qualitates eorum, qui Cardinales creandi sunt, debent esse eaedem, quae requiruntur pro episcopis. Dicit enim Conc. Trid. l. c.: «Ea vero omnia et singula, quae de episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et ceteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem, etiam in creatione

[1] Cf. Wernz II, n. 625.
[2] Pro forma nunc adhibita videsis Ferraris l. c. a. 1, n. 9.
[3] Cf. Santi, Praelect. iur. can. l. 1, tit. 31, n. 24.
[4] Ita Sixtus V apud Ferraris l. c. a. 1, n. 26.

sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiamsi diaconi sint, exigenda. . . . Nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus Pontifex . . . lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat.» Aetas requisita pro susceptione cardinalatus est annus vicesimus secundus, si creandus est Cardinalis diaconus; si vero est Cardinalis presbyter vel Cardinalis episcopus, requiritur annus vicesimus quintus vel annus tricesimus [1]. Ad cardinalitiam dignitatem non sunt assumendi illegitimi, etiam si sint per sequens matrimonium legitimati [2]. Pariter excluduntur bigami vel qui primo aut secundo consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi sunt coniuncti [3]. Ceterum Summus Pontifex potest ex iusta causa dispensare super qualitates requisitas a Concilio Tridentino et a Sixto V.

6. Cardinales in Curia Romana residentes (non alii) habent ius optionis, i. e. possunt, si sunt antiquiores aliis Cardinalibus, optare transitum ab ordine diaconatus ad ordinem presbyteratus et ab ordine presbyteratus ad ordinem episcopatus; quae quidem optio solet, accedente consensu Papae, suum effectum producere. Sedes autem Ostiensis solet conferri tantum antiquiori inter Cardinales episcopos [4].

7. Ex stricto iure non dantur ecclesiae cathedrales vel officia, quae dant ius ad cardinalatum. Unde nemo potest dicere: Ego sum Nuntius, ergo habeo ius ad cardinalatum, vel ego sum archiepiscopus Florentinus, ergo debeo fieri Cardinalis. Non dantur Cardinales nati, sed semper et ubique Papa libere concedit dignitatem cardinalitiam.

Q. 117. *Quaenam sint privilegia Cardinalium?*

R. 1. Praecedunt, licet sint Cardinales diaconi, omnes alios praelatos ecclesiasticos etiam Primates et

---

[1] Ita Sixtus V, Const. «Postquam».

[2] Sixtus V l. c. et Clemens XII, Const. «Pastorale officium».

[3] Sixtus V l. c. [4] Clemens XII l. c.

Patriarchas et tantum Papae subsunt. Unde Eugenius IV edicere potuit, post caput Ecclesiae, quod est Papa, contigua membra sui corporis, quae sunt fratres eius Cardinales, prae ceteris Ecclesiae membris ac partibus honorari debere, et cardinalatus dignitatem esse maiorem et sublimiorem episcopali, archiepiscopali et patriarchali dignitate [1]. Unde etiam assecuti sunt titulum Eminentiae vel Eminentissimorum [2].

2. Sunt et censentur Principes Romani et proinde etiam in curiis saecularibus solent locum inter principes regnantes tenere [3].

3. Plura insignia, e. gr. purpurea vestimenta cum cappa magna, instrumenta pontificalia, baldachinus, galerus etc. [4] Pius X 24 Maii 1905 concessit omnibus Cardinalibus etiam non episcopis usum crucis pectoralis. Cardinales ex ordinibus religiosis assumpti retinent colorem vestimentorum proprii ordinis, habent tamen galerum, birretum et pileolum rubrum.

4. Habent omnia privilegia episcoporum, licet non sint nisi ordinis diaconatus [5].

5. Habent vocem decisivam in Conciliis oecumenicis [6].

6. Cardinales suburbicarii habent eandem iurisdictionem in suis dioecesibus ac ceteri episcopi residentiales in propriis dioecesibus. Nihilominus satisfaciunt praecepto residentiae, si Romae resident. Cardinales vero presbyteri vel diaconi in suis titulis habent iura pontificalia, e. gr. consecrandi altaria [7]; iurisdictio vero ibi exercenda in multis dependet a Cardinali-Vicario Urbis [8],

---

[1] Const. «Non mediocri» 1428. Cf. Santi l. c.
[2] Urbanus VIII d. 10 Iun. 1630.
[3] Innocentius X, Const. «Militantis» 19 Dec. 1644.
[4] Cf. Ferraris s. v. Cardinalis a. 2, n. 10 sqq.
[5] Cf. Ferraris l. c. a. 4, n. 1.
[6] Sixtus V l. c.
[7] Ferraris l. c. a. 3, n. 33.
[8] Leo XIII 25 Ian. 1879, apud Santi l. 1, tit. 31, n. 38.

licet generatim loquendo habeant iurisdictionem quasi episcopalem [1].

7. Cardinales presbyteri, etiamsi episcopi non sint, possunt in suis titulis conferre primam tonsuram et ordines minores suis subditis et familiaribus [2].

8. Cardinales possunt in suis titulis vel dioecesibus concedere 200 dies indulgentiarum [3].

9. «Omnes interficientes, mutilantes, percutientes capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales» plectuntur excommunicatione speciali modo Papae reservatae [4] aliisque gravissimis poenis [5].

10. Cardinales Romae residentes recipiunt a tempore Pauli II (1464—1471) quotannis pensionem 4000 scutatorum = circa 22000 francorum (piatto cardinalizio). Praeterea recipiunt ex «massa communi sic dictum rotulum cardinalitium», qui quotannis circiter ad 1500 francos ascendit, et demum 500 francos pro expeditione litterarum [6]. Libertas testamenti faciendi Cardinalibus ex iure limitata est [7]; solet tamen Brevi pontificali haec libertas in initio cardinalatus iterum augeri [8]. Quidam Cardinales, e. gr. Secretarius Status, praefectus Congregationis de Prop. Fide, ampliorem pensionem recipiunt.

Scholion. Sunt plura alia privilegia Cardinalium, quae enumerare hic longum est. Manfredus 89 privilegia Cardinalium enumerat [9].

Q. 118. *Quaenam sint principaliores obligationes Cardinalium?*

R. 1. Obligatio assistentiae. Cardinales enim sunt consiliarii et coadiutores Summi Pontificis in re-

[1] Innocentius XII, Const. «Romanus Pontifex» 17 Sept. 1692.
[2] Ferraris l. c. a. 3, n. 22 sqq. Cf. Santi l. 1, tit. 31, n. 36.
[3] S. C. Indulg. 28 Aug. 1903. [4] Bulla «Apost. Sed.» n. 5.
[5] C. 5 de poenis in VI° 5, 9.
[6] Vulgo Entschädigung für Briefporto.
[7] Cf. Wernz II, n. 633. [8] Cf. Santi l. 3, tit. 26, n. 39 sq.
[9] Videsis Ferraris l. c. a. 4, n. 25.

gimine totius Ecclesiae; non quidem hoc sensu quasi Collegium Cardinalium eadem munia exerceat erga Papam, quae collegium canonicorum erga episcopum. Nam episcopus in nonnullis casibus non tantum consilium sed et consensum capituli prius obtinere debet, dum econtra in nullo casu ex stricto iure Papa tenetur audire consilium nec a fortiori obtinere consensum Cardinalium. Ratio est, quia Papa solus habet primatum iurisdictionis. — Insuper Cardinales tenentur assistere Summo Pontifici in pluribus solemnioribus functionibus ecclesiasticis.

2. Obligatio residentiae. Cum munus consiliarii et coadiutoris nequeat bene et perfecte exerceri nisi in praesentia, inde Cardinales tenentur ad residentiam in Curia Romana, nec possunt sine licentia Papae Roma exire. Excipiuntur tantum Cardinales, qui sunt episcopi residentiales [1].

3. Obligatio electionis. Sede vacante Cardinales tenentur quantocius novum et dignum Papam in conclavi eligere. De modo eligendi Papam videsis Baumgarten in opere citato. Sede vacante autem Collegium Cardinalium minime habet donum infallibilitatis nec primatum iurisdictionis, cum hoc nullibi sit statutum nec a fortiori divinitus revelatum. Unde Pius IV const. «In eligendis» statuit: «Sedis autem vacatione durante Collegium Cardinalium in iis, quae ad Pontificem Maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum exsecutioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur.» Insuper plura specialiter interdicuntur Sede vacante, e. gr. creare novos Cardinales, eligere et confirmare episcopos, celebrare canonizationem

[1] Leo X, Const. «Sub poena». Ferraris l. c. a. 3, n. 9.

alicuius Sancti etc. Auctoritas Romanarum Congregationum quiescit quidem Sede vacante, non tamen sublata est, ideoque negotia urgentiora expediri possunt [1].

§ 2. *De aliis praelatis et membris Curiae Romanae.*

Q. 119. *Sintne alii praelati, clerici vel personae laicae pertinentes ad Curiam Romanam?*

R. Affirmative. In Curia Romana praeter Cardinales sunt praelati, curiales et sic dicta «Famiglia pontificia». De his ultimis personis, cum sint potius pro servitio privato Papae, hic nihil dicimus (videsis Baumgarten in opere citato).

Q. 120. *Quid sint et qui sint praelati Curiae Romanae?*

R. 1. Praelatus secundum etymologiam significat idem quod praepositus vel antistes vel procer vel qui alteri praeest sive honore sive potestate. Si vim nominis attendas, etiam proceres laici possent vocari praelati, sed iam a longo tempore usu venit nonnisi viros ecclesiasticos dignitate fulgentes vocari praelatos [2]. Praelatus significat secundum praesentem Ecclesiae praxim semper maiorem dignitatem et honorem, non autem semper maiorem potestatem. Non eodem sensu hoc nomen ab omnibus adhibetur [3].

2. Praelati distinguuntur multipliciter, scilicet.

a) praelati saeculares et regulares, prout de clero saeculari vel regulari assumpti sunt et hi ultimi in ipso ordine religioso praelationem habent. Hinc episcopus ex clero regulari assumptus revera est praelatus saecularis;

---

[1] Cf. Ferraris s. v. Cardinalis a. 5, n. 23 sqq.

[2] Sic e. gr. Bonizo celeber canonista saec. XII loquitur de praelatis in laicali ordine positis (Migne, Patr. Lat. 150, 798).

[3] Cf. Wernz II, n. 638.

b) praelatus ex iustitia et praelatus ex gratia. Praelatus ex iustitia ille vocatur, qui habet omnes qualitates ab Alexandro VII const. «Inter caeteras» 13 Iunii 1659 statutas, inter quas praecipuae sunt laurea utriusque iuris, reditus annuales ad minus 1500 scutata = circa 8000 francorum. Praelati ex gratia omnes illi sunt, quibus praelatura concessa est, etsi non habeant omnes a iure requisitas qualitates;

c) praelati maiores et praelati minores, prout sunt dignitate episcopali insigniti vel non [1];

d) praelati reales et praelati honorarii. Praelati reales illi sunt, qui vera potestate et administratione ecclesiastica fruuntur, e. gr. Maiordomus, Magister Sacri Palatii etc. Praelati vero honorarii illi sunt, qui ut tales nullam potestatem et administrationem habent, sed ad summum quasdam functiones adimplent, e. gr. episcopi solio pontificio assistentes, quattuor camerarii secreti etc. [2]

3. Magnam partem praelatorum Curiae Romanae constituunt Protonotarii apostolici, qui iuxta novum Motu proprio Pii X «Inter multiplices» 21 Febr. 1905 in quattuor classes dividuntur, sc. a) Protonotarii apostolici de numero participantium septem, qui collegium privative constituunt. Sunt veri et reales praelati. Illis Pius X sua constitutione «Sapienti consilio» commisit munia subscribendi apostolicas Bullas, quod antea pertinebat ad sic dictos «Abbreviatori di parco maggiore e minore», qui nunc suppressi sunt (III, Officia 5). Gaudent 27 magnis privilegiis, quae enumerantur in Anal. Ecclesiast. anni 1905 175 sqq; b) Protonotarii apostolici supranumerarii; c) Protonotarii ad instar participantium; d) Protonotarii apostolici titulares seu honorarii extra Urbem. Tres

[1] Cf. Hilling, Die röm. Curie 32.
[2] Cf. Wernz l. c.; Hilling l. c.

ulteriores classes sunt praelati honorarii. De privilegiis et insigniis horum omnium praelatorum videsis citatum Motu proprio.

Q. 121. *Quid sint et qui sint curiales Curiae Romanae?*

R. 1. Curiales vocantur in lato sensu omnes ad Curiam Romanam pertinentes, sed in stricto sensu curiales sunt officiales eiusdem Curiae, qui non sunt ratione officii sui neque Cardinales neque praelati. In praxi autem non raro accidit, ut isti curiales gaudeant aliqua praelatura.

2. Ad curiales pertinent advocati, procuratores, notarii, sollicitatores et agentes.

3. Advocati primum locum inter curiales obtinent eorumque munus nobile et publicum reputatur. Consistit autem eorum munus in eo, quod votum dant in processibus Curiae Romanae. Quod quidem votum ex tribus solet constare: ex Summario i. e. ex compendiosa narratione facti et processus; ex Restrictu (Districtu) facti i. e. votum quod nititur in facti narratione, et ex Restrictu (Districtu) iuris i. e. votum quod nititur praeceptis iuris. Ad officium advocati acquirendum praerequiritur laurea iuris, practicum exercitium in Curia Romana saltem per triennium, et speciale examen et approbatio a Collegio Rotali[1]. Sunt triplicis generis advocati sc. a) advocati consistoriales[2], quorum septem antiquiores gaudent iure petendi pallium pro Metropolitis et episcopis, dandi votum in causis beatificationis et canonizationis[3]; b) advocati

---

[1] Lex propria tit. 3, § 2.

[2] Numerus eorum est 12, inter quos 7 sunt numerarii et participantes et 5 sunt supranumerari seu conparticipantes. Cf. Ottavio, Pio Conti, Origine, fasti e privilegi degli avvocati Consistoriali, Roma 1898.

[3] Benedictus XIV, Const. «Inter conspicuos».

simplices et c) advocati titulares. Iuxta recentem ordinationem Pii X («Lex propria Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae» tit. 3 et «Ordo servandus in S. Congreg. Tribunal., Offic. Curiae Rom.», Norm. commun. c. 7) advocati proprii ac nativi sunt tantum advocati consistoriales, «admittuntur tamen et alii sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in canonico iure instructi post triennale tyrocinium vel qua adiutores penes aliquem ex Auditoribus vel penes aliquem ex advocatis rotalibus (i. e. advocatis apud S. Rotam admissis), facto experimento coram Rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint» (l. c. § 2). Collegium advocatorum consistorialium fungitur etiam munere «Collegii disciplinae» pro aliis advocatis coercendis, puniendis vel etiam amovendis (l. c. can. 46). Praeterquam in causis canonizationis et beatificationis nemo tenetur uti auxilio advocatorum (l. c. can. 18). Sin autem quis vult sibi assumere advocatum, hunc eligere debet inter approbatos a Curia Romana, eique tradere mandatum in scriptis, quod exhibendum est tribunali et servandum in actis (l. c. can. 18, § 3). Taxa, quae solvenda est advocatis, iam non est liberae conventionis, sed determinata est a c. 3 «Legis propriae», et graviter prohibitum est, ne advocati quidquam praeter taxam determinatam recipiant etiam per modum donationis. Aliquando autem, si causis pauperum patrocinantur, tenentur gratuitam assistentiam praebere, si ita S. Rota vel Signatura determinaverit (l. c. can. 45, § 2).

4. Procuratores illi sunt, qui assumuntur a privatis personis vel ab episcopis ad negotia tractanda in Curia Romana. Antiquitus distinguebantur ab agentibus, sed iuxta novam constitutionem Pii X (Norm. commun. c. 9) haec distinctio cessavit, ut patet ex ipsa superscriptione istius capitis 9 «De procuratoribus seu agentibus». Procurator privatus assumi potest quilibet vir catholicus

integrae famae; procurator autem publicus fieri non potest, nisi ille, qui tamquam talis inscriptus est in procuratorum albo cuiusque Congregationis vel Tribunalis. Nullus officialis potest assumere munus procuratoris in aliqua Congregatione. Statuit enim Pius X (Norm. commun. c. 4, n. 11): «Administro nemini licet agentis, procuratoris, advocati partes assumere, neque in suo neque in alieno officio. Unum eximitur procuratoris vel advocati munus in Sanctorum causis, quo munere fungi poterunt administri minores ad S. Rituum Congregationem non pertinentes.» Nemo tenetur uti opera procuratoris, sed «Christifideli cuique patet aditus ad S. Sedis officia . . . et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis» (l. c. c. 10, sect. 1). Sin autem episcopus aliquis vult pro se vel pro sua dioecesi procuratorem eligere, tenetur eligere aliquem, qui iam adscriptus est in albo procuratorum, quod patet in Officio a Secretis S. Congregationis Consistorialis, vel saltem petere inscriptionem, antequam iste procurator suum mandatum exerceat (l. c. c. 9 et 10).

«Praeter inscriptionem in album, ut quis publicus habeatur et stabilis procurator dioecesanus, necessario requiritur iustum Ordinarii mandatum ab adlecto exhibendum, cuius mandati authenticum exemplar apud Officium a Secretis Consistorialis Congregationis deponetur.» (Ita l. c. c. 9, sect. 2, n. 8.) Sede vacante episcopali non licet vicario capitulari electum ab episcopo procuratorem cum alio mutare, at poterit cum Sanctae Sedis Officiis directe agere.

In novis Normis nihil speciale habetur de notariis, sollicitatoribus et expeditoribus. Unde vel suppressi censentur, vel eorum munus remanebit, sicuti antea fuit. (De antiquo eorum munere videsis Wernz vel Hilling locis citatis.)

§ 3. *De Congregationibus Romanis.*

Q. 122. *Quaenam sit origo Congregationum Romanarum?*

R. Congregationes Romanae Cardinalium originem primitus ducunt ex antiquo presbyterio Romano, quod Romanos Pontifices adiuvabat in negotiis ecclesiasticis expediendis et in administratione Ecclesiae perficienda. Istud presbyterium componebatur ex clericis Romanae Ecclesiae; non raro autem etiam suburbicarii aliique in provincia Romana residentes episcopi adsciscebantur, qui omnes constituebantur quasi *σύνοδος δημοῦσα* i. e. synodus permanens. Nihilominus istud presbyterium vel illa synodus permanens crescente in dies multitudine negotiorum non ita perfecte omnia expedire potuit. Unde Pontifices statutis temporibus Cardinales convenire iusserunt ad causas discutiendas et solvendas. Ex istis conventibus ortum duxerunt consistoria Cardinalium. Innocentius III ter in hebdomada consistorium Cardinalium coadunavit, in quo omnes causae summa cum prudentia definiri solebant [1]. Sed nec consistoria Cardinalium immensam multitudinem negotiorum pertractare potuerunt, unde Summi Pontifices instituerunt permanentes Congregationes Cardinalium et tribunalia. Paulus III instituit Congregationem S. Inquisitionis tamquam omnium primam [2]. Cuius exemplum Pius IV, Pius V, Gregorius XIII secuti sunt, usque dum Sixtus V [3] totam administrationem inter quindecim Congregationes distribuit. Postea alii Pontifices, e. gr. Clemens VIII, Clemens IX, Pius VII alias Congregationes adiecerunt, alii vero Pontifices quasdam Congregationes suppresserunt vel cum aliis coadunaverunt. Pius X const. «Sapienti

[1] Cf. Migne, Patr. Lat. 214, 80.
[2] Const. «Licet» 21 Iulii 1542.
[3] Const. «Immensa» 22 Ian. 1587 (1588).

consilio» 29 Iunii 1908 maximas mutationes circa Curiam Romanam induxit, statuens ut «Congregationes, Tribunalia et Officia . . . quibus Ecclesiae universae negotia tractanda reservantur . . . a die 3 Nov. 1908 non alia sint praeter consueta sacra consistoria quam quae praesenti constitutione decernuntur eaque numero, ordine, competentia divisa et constituta» ad normam eiusdem constitutionis. Iuxta praesentem disciplinam possunt igitur in Curia Romana distingui: 1. Consistorium Cardinalium; 2. Congregationes Cardinalium; 3. Tribunalia; 4. Officia.

Q. 123. *Quid sit consistorium Cardinalium iuxta modernam praxim?*

R. 1. Consistorium (iuxta modernam praxim, nam aliter fuit Medio Aevo) est conventus totius Collegii Cardinalium in Curia praesentium coram Summo Pontifice ad quosdam actus solemniores.

2. Distinguuntur consistoria publica, semipublica et secreta. Ad consistorium publicum praeter Cardinales accessum habent episcopi Romae commorantes, praelati, proceres Romani, Corpus Diplomaticum etc. Celebratur non ita saepe, sed tantum propter maiores solemnitates, e. gr. ad recipiendum principem, ad solemnem traditionem galeri novis Cardinalibus . . . Consistorium semipublicum, ad quod tantum Cardinales et episcopi accessum habere solent, aliquando celebratur ante canonizationem Beatorum (cf. consistorium semipublicum die 5 Dec. 1904 pro canonizatione Gerardi Maiellae). Soli Cardinales accessum ad consistorium secretum habent; in quo Papa solet creare novos Cardinales, episcopos, dismembrare episcopatus[1], facere

[1] Antequam Papa in consistorio episcopos nominat vel episcopatus mutat, ista negotia iam serio tractata immo et decisa fuerunt in Congregatione Consistoriali, cui iuxta constitutionem Pii X competit ius «nominandi omnes episcopos stabiles Ordinarios dioecesanos« et constituendi novas dioeceses.

allocutiones magni momenti etc. Saeculis elapsis consistoria secreta statutis intervallis, e. gr. quolibet mense celebrata fuerunt, sed nostra aetate nullum intervallum determinatum observatur.

Q. 124. *Quot et quid sint Congregationes Romanae Cardinalium?*

R. Sunt undecim: 1. Congregatio Sancti Officii; 2. Congregatio Consistorialis; 3. Congregatio de disciplina sacramentorum; 4. Congregatio Concilii; 5. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita; 6. Congregatio de Propaganda Fide; 7. Congregatio Indicis; 8. Congregatio Sacrorum Rituum; 9. Congregatio Caeremonialis; 10. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis; 11. Congregatio Studiorum. Ita citata constitutio «Sapienti consilio».

Congregatio, quae dicitur reverendae Fabricae S. Petri, in posterum quidem adhuc subsistet, sed unam sibi curandam habebit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum.

Praeter istas Congregationes exsistunt plures commissiones Cardinalium in Curia Romana institutae a Leone XIII et Pio X, e. gr. commissio studiis historicis praeposita; commissio studiis biblicis praeposita, commissio pontificia pro codificatione iuris canonici etc.

Congregationes Romanae sunt speciales Cardinalium coetus a Summo Pontifice permanenter instituti et organizati ad certa negotia ecclesiastica tractanda. Dico permanenter instituti, nam hic non agimus de Collegiis Cardinalium, quae Papa aliquando instituit transeunter ad aliquod grave negotium melius discutiendum et perficiendum. De competentia, organizatione et modo procedendi singularum Congregationum infra singulatim agetur et in Appendice II dabimus succinctam methodum tractandi negotia in istis Congregationibus. Hic generatim animadvertimus:

1. Congregationes Romanae non tractant nisi negotia fori externi, e. gr. institutionem episcoporum, Dignitatum in capitulis, leges liturgicas, res disciplinares, beatificationem et canonizationem Sanctorum etc. Omnia autem, quae forum internum sive poenitentiale sive non sacramentale attingunt, reservantur tribunali S. Poenitentiariae.

2. Omnia decreta generalia, non autem particulares responsiones istarum Congregationum habent vim legis ecclesiasticae. Statuit enim Pius X const. «Sapienti consilio»: «In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis hoc in primis solemne sit, ut nihil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus eorundem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante signatum. Praeterea sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorundem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis.» Ex quibus omnibus sequitur, ut non detur appellatio proprie dicta contra aliquam decisionem Romanae Congregationis. Nihilominus si quis putat se esse iniuste oneratum aliquo decreto, potest infra decem dies petere «beneficium novae audientiae» quod Cardinalis Praefectus Congregationis concedere potest vel denegare. Quando huiusmodi beneficium concessum est, denuo totum negotium tractatur et ultimo ponitur quaestio: «An sit standum vel recedendum a decisis in casu», et responsio datur affirmativa vel negativa. Affirmativa responsio solet exprimi hoc modo: «In decisis». Aliquando etiam respondetur: «In decisis et amplius», quod significat: amplius non admitti novam petitionem vel quaestionem. Antiquitus prohibitum fuit, ne quis excommunicatus vel alia censura irretitus aliquam gratiam obtineri posset et

proinde semper in concessione alicuius gratiae vel dispensationis ad cautelam dabatur absolutio ab omnibus censuris forsan incursis; iuxta modernam disciplinam [1] autem «gratiae ac dispensationes omne genus a S. Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur, qui nominatim excommunicati sint, aut a S. Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati». Corrigenda sunt igitur quae supra q. 32 de Rescriptis dicta sunt.

Q. 125. *Quid de singulis Congregationibus Romanis breviter notandum sit?*

R. 1. S. Congregatio Romanae et universalis Inquisitionis seu S. Officii.

Origo. Paulus III const. «Licet ab initio» die 21 Iulii 1542 fundavit Congregationem compositam ex sex Cardinalibus eo fine, ut supremam iurisdictionem exerceat contra haereticos. Usque ad id tempus Inquisitio haereticae pravitatis vel S. Officium a Summis Pontificibus principaliter demandatum fuit Ordini Fratrum Praedicatorum. Sixtus V hanc Congregationem tamquam primam et supremam omnium Congregationum Cardinalium ratam habuit et confirmavit. Pariter Pius X in sua constitutione «Sapienti consilio» primo loco illam recensuit.

Organizatio. Praefectus huius Congregationis est ipse Summus Pontifex, qui cum tantum in casibus rarioribus conventionibus ipse praesideat, hoc praesidium confert alicui Cardinali, qui vocatur Secretarius S. Officii. Praeter Secretarium plures Cardinales tamquam Inquisitores generales pertinent ad hanc Congregationem. Post Cardinales primum locum obtinet Assessor S. Officii, qui solet esse praelatus ex clero saeculari. Munus eius est praeparare negotia, praesidere in sessionibus

[1] Normae pecul. c. 3, a. 1, n. 6 d. 29 Sept. 1908.

consultorum etc. Secundum locum obtinet Commissarius S. Officii (cum duobus sociis), qui semper assumitur ex Ordine Praedicatorum sicuti et socii. Praeterea adsunt promotor fiscalis, qui est accusator publicus et interesse Fisci legemque tuetur; advocatus reorum, summista, notarius aliique officiales [1]. Omnes officiales tenentur initio sui officii emittere «iuramentum de fidelitate et silentio», et incurrunt excommunicationem latae sententiae Papae reservatam (extra articulum mortis), si secretum iuratum non servent. Praeter officiales in hac Congregatione tamquam consultores funguntur plures clerici saeculares et regulares doctrina et scientia praeclari. Tamquam consultores nati habentur Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, Magister Sacri Palatii et quidam alii.

Competentia. S. C. Inquisitionis est simul tribunal iudicans et forum gratiae. Tamquam tribunal iudicans iudicat de omnibus, quae pertinent ad dogmaticam Theologiam, sicuti etiam de delictis haereseos, apostasiae, blasphemiae, superstitionis, spiritismi etc., de delictis sollicitationis ad turpia occasione confessionis; aliquando etiam libros haereticos condemnat, et tunc S. Congregatio Indicis, ad quam ordinarie pertinet libros prohibere et condemnare, iudicium S. Officii tenetur sine ullo examine acceptare. Ab hac Congregatione etiam novus Syllabus propositionum damnatarum emanavit 3 Iul. 1907. Tamquam forum gratiae haec Congregatio dat dispensationes super impedimenta disparis cultus et mixtae religionis. «Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.» Ita const. «Sapienti consilio» [2].

[1] Cf. Wernz II, n. 658, et Battandier, Annuaire pontifical (1899) 392 sq.

[2] Illi qui posthac generales indulgentiarum concessiones obtinent, tenentur sub poena nullitatis gratiae obtentae exemplar earun-

Forma procedendi. Sabbato fit congressus, quo conveniunt Assessor, Commissarius, Advocatus fiscalis et primus Socius. Feria II fit congregatio consultorum in palatio S. C. Inquisitionis, cui praeest Assessor et in qua vota consultorum de aliqua causa elaborata discutiuntur. Feria IV fit Congregatio Cardinalium (olim in Conventu S. Mariae supra Minervam, nunc autem in palatio S. C. Inquisitionis), in qua post factam relationem Assessoris negotium iterum discutitur et per vota maiora decisiva definitur. Feria V Assessor S. Officii habens audientiam apud Summum Pontificem refert sententiam a Cardinalibus latam, quam Sanctissimus tunc in communi forma approbare solet. Si vero sunt causae maiores, tunc Feria V habetur coram Summo Pontifice in palatio Vaticano nova Congregatio Cardinalium, in qua sententia iam lata iterum et solemnius discutitur, definitur et in forma specifica a Papa approbatur.

Auctoritas decisionum S. Officii est quidem maxima et obligat omnes, pro quibus illae decisiones datae sunt. Verumtamen non sunt leges universales neque a fortiori non sunt definitiones dogmaticae, nisi Summus Pontifex hoc expresse statuat primatu suae iurisdictionis vel infallibilitate sui magisterii. Ex quibus patet, quid sentiendum sit de iudicio S. Officii in causa Galilaei et de Commate Ioanneo.

2. Congregatio Consistorialis.

Origo. Fundata est haec Congregatio a Sixto V const. «Immensa Dei aeterni» et a Pio X amplificata est const. «Sapienti consilio».

Organizatio. Ipse Summus Pontifex est praefectus. Secretarius S. Officii et Secretarius Status ipso iure ad

---

dem concessionum ad Secretariam huius Congregationis deferre. Ita Normae pecul. c. 7, a. 1, n. 8. Omnes maiores indulgentiae, quas haec Congregatio concedit, mittuntur per Breve (ib. n. 14).

hanc Congregationem pertinent. Summus Pontifex instituit Cardinalem secretarium huius Congregationis. Praeter secretarium adsunt Assessor, qui simul fungitur munere a Secretis in Collegio Cardinalium, plures administri et consultores. Consultores nati sunt Assessor S. Officii et secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.

Competentia: «Duas haec Sacra Congregatio easque distinctas partes complectitur. Ad primam spectat non modo parare agenda in consistoriis (cf. supra q. 123), sed praeterea in locis Congregationi de Prop. Fide non obnoxiis novas dioeceses et capitula tum cathedralia tum collegiata constituere; dioeceses iam constitutas dividere; episcopos, administratores apostolicos, adiutores et auxiliarios episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu processus super eligendis indicere, actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam (i. e. electos episcopos examinare quoad doctrinam). At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis negotiis, vulgo Secretariae Status, ipsi documenta excipient et positionem conficient, Congregationi Consistoriali subiciendam» (const. «Sapienti consilio» n. 2).

Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen universim referuntur. Hucusque ista omnia tractabantur a duabus Congregationibus sc. a Congregatione Concilii et a Congregatione Episcoporum et Regularium, e. gr. obligationes episcoporum, seminaria clericalia etc. Praeterea huius Congregationis erit, in conflictatione iurium dubia solvere circa competentiam diversarum Congregationum Romanarum[1]. In locis, quae Propagandae adhuc subiciuntur,

[1] Excipitur tantum S. Officium, quod ipsum solvit dubia circa propriam competentiam orta (Normae pecul. c. 7, a. 1, n. 6).

episcopi non subduntur Congregationi Consistoriali, sed Congregationi de Prop. Fide [1].

3. Congregatio de disciplina sacramentorum.

Origo. Noviter instituta est a Pio X const. «Sapienti consilio».

Organizatio. «Congregationi huic quemadmodum ceteris omnibus, quae sequuntur, erit Cardinalis praefectus, qui praeerit s. ordini aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum secretario aliisque necessariis administris et consultoribus.» Ita constitutio citata.

---

[1] Tum in S. Officio tum in hac Congregatione exigitur ab omnibus, qui aliquo munere funguntur strictissimum iuramentum servandi secretum sub hac forma:

In nomine Domini.

«Ego N. N. sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua, praeterquam in articulo mortis, a nullo nisi a Summo Pontifice, ipso quidem Cardinali Poenitentiario excluso, absolvi possim; et sub aliis poenis etiam gravissimis arbitrio Summi Pontificis mihi in casu transgressionis infligendis, spondeo, voveo ac iuro, inviolabile secretum me servaturum in omnibus et singulis, quae ad episcoporum, administratorum Apostolicorum aliorumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique rationem delata sint; itemque in omnibus quae ad dioecesum erectionem seu earundem unionem spectent, exceptis dumtaxat iis quae in fine et expeditione eorundem negotiorum legitime publicari contingat: et hoc secretum me servaturum cum omnibus, qui eodem iuramenti vinculo constricti non sint, et cum iis etiam qui quamvis hoc secreto teneantur et ad Congregationem Consistorialem pertineant, nihilominus in Urbe habitualiter non commorantur: neque unquam directe, nutu, verbo, scriptis, aut alio quovis modo et sub quocunque colorato praetextu, etiam maioris boni aut urgentissimae et gravissimae causae, contra hanc secreti fidem quidquam commissurum, nisi peculiaris facultas aut dispensatio expresse mihi a Summo Pontifice tributa fuerit. — Denique si supplices libellos, commendationes aut litteras de memoratis negotiis a qualibet persona receperim, S. Congregationi rem patefaciam. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango.» Ita Normae pecul. c. 7, a. 2.

Competentia. Universa legislatio circa disciplinam sacramentorum huic Congregationi demandata est. Ergo etiam dispensationes matrimoniales et pro ordinibus suscipiendis. Excipiuntur tamen tria: a) omnia quae pertinent ad caeremonias sacramentorum. De istis determinat Congregatio Sacrorum Rituum; b) omnia quae pertinent ad partem dogmaticam sacramentorum et insuper dispensationes in mixta religione, in disparitate cultus, et determinationes circa privilegium Paulinum; quae omnia pertinent ad S. Officium; c) illa omnia, quae iudiciario ordine tractanda sunt, quae quidem pertinent ad tribunal Rotae, de quo infra[1].

4. Congregatio Concilii.

Origo. Pius IV (Motu proprio «Alias nos» 2 Aug. 1564) instituit Congregationem octo Cardinalium cum officio urgendi exsecutionem et observantiam decretorum Concilii Tridentini. Pius V oraculo «vivae vocis» huic Congregationi concessit potestatem authentice interpretandi decreta disciplinaria Concilii Tridentini, quam facultatem confirmavit Sixtus V const. «Immensa». Sed Pius X de hac interpretandi facultate iam non loquitur in sua constitutione saepe citata «Sapienti consilio». Decreta dogmatica haec Congregatio non valet interpretari.

Organizatio. Cardinalis aliquis est praefectus, cui assistit secretarius, qui solet esse episcopus vel archi-

---

[1] Mutatio magnae utilitatis practicae introducta est a Pio X circa dispensationes matrimoniales ab hac Congregatione concedendas. Distinguuntur dispensationes maioris gradus, e. gr. super impedimentis consanguinitatis et affinitatis secundi gradus, criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii; et dispensationes minoris gradus quae sunt sequentes: ab impedimentis consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus collateralis, affinitatis ex commercio illicito, cognationis spiritualis cuiusvis generis et publicae honestatis. Dispensationes a minoribus istis impedimentis concessae perinde valebunt «ac si ex motu proprio et ex certa scientia impertitae sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis» (Normae pecul. c. 7, a. 3, n. 21).

episcopus titularis. Adiutores secretarii sunt subsecretarius, auditor aliique officiales et complures consultores assumpti ex utroque clero. Adiunctum est huic Congregationi sic dictum studium («Studio»), in quo clerici iuniores iam laureati in utroque iure et a propriis episcopis commendati instruuntur a secretario et auditore in iure practico. Pariter huic Congregationi adiuncta est Congregatio Lauretana.

Competentia huius Congregationis noviter circumscripta est a Pio X in constitutione citata. Regula generalis est: Congregationi Concilii commissa est universa disciplina cleri saecularis populique christiani, ita ut etiam possit delinquentes punire in linea disciplinari; si autem contra delinquentes iudicium proprie dictum sit instruendum, tunc hoc pertinet ad S. Rotam. «Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico quod ad Congregationem de disciplina sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari ea quae parochos et canonicos spectant; item quae pias sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi attingunt. . . . Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet. Ad eandem pertinent ea omnia, quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad episcoporum coetus seu conferentias referuntur, suppressa Congregatione speciali quae hactenus fuit pro conciliorum revisione.» Ita constitutio citata.

Forma procedendi. Causae leviores expediuntur qualibet hebdomada in sic dicto «congresso» cui intersunt Cardinalis Praefectus, secretarius, subsecretarius et auditor. Istae causae leviores vocantur «de stylo». Si

nulla responsio danda videtur scribi solet: «Lectum» vel «Non expedire». — Si causae sunt graviores, tunc reservantur iudicio plenae congregationis, quae habetur quolibet Sabbato [1].

5. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita.

Origo. Sixtus V const. «Romanus Pontifex» 27 Maii 1586 instituit Congregationem super consultationibus regularium et constitutione saepe iam citata «Immensa aeterni Dei» 22 Ian. 1587 aliam Congregationem (iam sub Gregorio XIII exsistentem) «pro consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum» noviter ordinavit. Quae quidem duae Congregationes mox (ante a. 1601) in unum coaluerunt sub titulo: «super negotiis episcoporum et regularium». Pius X autem constitutione «Sapienti consilio» negotia episcoporum commisit Congregationi Consistoriali et ea tantum, quae ad religiosos utriusque sexus pertinent, huic Congregationi reliquit.

Organizatio est eadem, quae communiter habetur in ceteris Congregationibus, quarum praefectus est aliquis Cardinalis. Adsunt tres adiutores, quorum primus curat quae pertinent ad ordines proprie dictos, secundus quae pertinent ad alia instituta religiosa virorum; et tertius quae respiciunt instituta religiosa mulierum.

Competentia. Haec Congregatio dicitur «occupatissima», quia ad illam pertinent negotia totius status regularis utriusque sexus sive cum votis solemnibus sive cum votis simplicibus. Pariter ad illam pertinent negotia tertii Ordinis saecularis et sodalitatum piarum, quae sine votis vitam communem ducunt. Huic Congregationi reservata est concessio omnium dispensationum

[1] Resolutiones S. Congregationis Concilii quolibet anno datae inde ab anno 1718 usque ad nostra tempora publici iuris factae sunt in sic dicto Thesauro Resolutionum S. Congregationis Concilii (cf. supra q. 52).

a iure communi pro religiosis sodalibus[1]. In omnibus causis disciplinaribus religiosorum sive inter se sive cum extraneis (etiam episcopis) haec Congregatio est tribunal competens, exceptis illis quae ad S. Officium pertinent (cf. supra n. 1). Sin autem huiusmodi negotia in foro contentioso sunt tractanda, tunc pertinent ad S. Rotam. Praecipue igitur ad illam pertinent: fundatio novi conventus, approbatio novi instituti, indulta saecularizationis, appellationes contra superiores regulares etc. — Religiosi in locis missionum degentes subiciuntur qua missionarii Congregationi de Prop. Fide, qua religiosi autem Congregationi Regularium.

6. S. Congregatio de Propaganda Fide.

Origo. Gregorius XV[2] est proprius fundator huius Congregationis, licet iam Gregorius XIII et Clemens VIII commissionem Cardinalium instituerint pro fovendo catholicismo apud Graecos. Pius X aliquantisper restrinxit et territorium et negotia huius Congregationis.

Organizatio. Iam non sunt duo Cardinales praefecti, alter praefectus generalis, alter praefectus rei oeconomicae curandae, sed unus sc. praefectus generalis. Accedit magnus numerus Cardinalium et consultorum, praeterea secretarius eiusque substitutus et Protonotarius apostolicus, cui incumbit colligere ex terris missionum acta martyrum.

Competentia S. Congregationis de Prop. Fide est maxima, sed tantum valet in terris missionum. Omnia negotia ecclesiastica in istis terris subiacent iurisdictioni Propagandae et in omnibus negotiis potest fieri recursus ad Propagandam, quae ad peculiares alias Congregationes deferat, quaecumque ad fidem attingunt

[1] Excipitur dispensatio a ieiunio eucharistico, quae datur a Congregatione de disciplina sacramentorum (Normae pecul. c. 7, a. 3, n. 10).

[2] Const. «Inscrutabili» 22 Iunii 1622 et Motu proprio «Cum inter multiplices» 14 Dec. 1622.

aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam. In absolutionibus et dispensationibus ad forum poenitentiale pertinentibus potest tamen fieri recursus directe ad S. Poenitentiariam sine intermedio Propagandae.

Forma procedendi. Causae leviores, quae uti dicunt, sunt «de stylo», expediuntur in congressu ordinario, qui qualibet hebdomada semel vel bis locum obtinet et cui intersunt praefectus et secretarii et «minutanti». Causae graviores proponuntur «in folio» et unus ex Cardinalibus qui vocatur «ponens» relationem elaborat, quae quidem relatio in congregatione plenaria Cardinalium discutitur et votis decisivis iudicatur. Omnes petitiones ab hac Congregatione obtentae conceduntur gratis, i. e. sine taxa. Ita etiam iuxta novas normas.

Auctoritas est maxima pro terris missionum. Quare resolutiones et decreta generalia huius Congregationis habent in toto territorio suo vim obligativam et possunt esse tamquam leges ecclesiasticae particulares. Propterea praefectus S. C. de Prop. Fide per metaphoram nominatus est: Papa ruber. — S. Congregationi de Prop. Fide connexae sunt:

a) Congregatio de Prop. Fide pro negotiis ritus Orientalis, quam Pius IX const. «Romani Pontifices» 6 Ian. 1862 instituit, tamquam propriam partem S. C. de Prop. Fide. Praefectus generalis est idem qui designatus est pro S. C. de Prop. Fide, at proprius secretarius, proprii consultores et interpretes coadiuvant in negotiis expediendis. Secretarius semper est consultor S. C. de Prop. Fide sicuti secretarius S. C. de Prop. est consultor in negotiis ritus Orientalis, cum, ut dicit Pius IX in cit. constitutione, «inter negotia Congregationis Latini ritus et illa Orientalis ritus mutua communicatio et vinculum intercedere interdum possit, tum statuimus etc. decernimus ut alterius Congregationis secretarius sit alterius Congregationis consultor». Unicuique Cardinali ad hanc Congregationem pertinenti stabili modo com-

mittuntur negotia unius vel plurium Orientalium nationum ad hoc, ut diversae nationes diversos habeant protectores et consultores.

b) S. Congregatio super corrigendis libris Orientalium iam non exsistit ut Congregatio specialis, cum Pius IX const. «Rom. Pont.» illam abroleverit, sed nihilominus secretarius et duo Cardinales adhuc in «La Gerarchia cattolica» tamquam ad illam pertinentes enumerantur.

c) Agentia generalis Reverendae Camerae spoliorum, cui est unus secretarius et unus laicus procurator legalis; suam competentiam tantum exercet in episcopatibus suburbicariis. Leo XIII a. 1887 occasione iubilaei aurei sui sacerdotalis liberavit dioeceses Italiae a iure spoliorum pro viginti annis.

d) Coetus pro unione Ecclesiarum dissidentium.

e) Collegium Urbanum ab Urbano VIII const. «Immortalis Dei Filius» 1627 erectum, in quo clerici pro missionibus instruuntur. Ibi etiam invenitur Typographia de Prop. Fide, ubi innumeri libri theologici et alii imprimuntur.

7. S. Congregatio Indicis librorum prohibitorum.

Origo. Haec Congregatio orta est ex S. Congregatione Officii seu Inquisitionis, quacum intime ratione materiae et finis coniuncta est [1]. Principale enim munus S. Inquisitionis est puritas fidei conservanda. Porro fere nihil fidei (et moribus) ita damnosum est quam libri

[1] Pius X statuit in constitutione «Sapienti consilio» n. 7: «Cum vero librorum prohibitio persaepe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis S. Officii, decernimus ut in posterum omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola utriusque Congregationis Patres Cardinales, consultores, administri secum invicem communicare possint et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.»

perversi. Unde iam a saeculis Summi Pontifices libros haereticos proscripserunt. Primum indicem librorum prohibitorum publicavit Paulus IV a. 1559. Tridentinum Indicem cum 10 regulis Indicis edidit Pius IV a. 1564. Super libros impressos id temporis vigilabat S. Officium, usque dum S. Pius V a. 1571 specialem erexit Congregationem Cardinalium, quae huic negotio praeesset. Gregorius XIII [1], Sixtus V [2], Alexander VII [3], Benedictus XIV [4], Leo XIII [5] hanc Congregationem confirmarunt novasque regulas circa librorum prohibitionem statuerunt.

Organizatio. S. Congregationi Indicis praeest praefectus Cardinalis, cui tamquam assistens perpetuus Magister Sacri Palatii et insuper secretarius datur. Et assistens et secretarius iure consuetudinario semper assumuntur ex Ordine Praedicatorum. Sicuti in S. Congregatione Inquisitionis ita etiam in S. Congregatione Indicis plures Cardinales, consultores aliique officiales a Summo Pontifice designantur, qui omnes ad strictissimum silentium tenentur.

Competentia. S. C. Indicis duplex munus exercet sc. a) proscribit libros contra fidem et bonos mores, immo potest in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctae Sedi denuntiare ad normam const. «Officiorum» 25 Ian. 1897, et b) aliquibus concedit licentiam legendi et retinendi libros prohibitos sub certis conditionibus. Decreta huius Congregationis, etsi tantum in forma communi a Summo Pontifice approbata sint, certe omnes fideles in universa Ecclesia graviter obligant.

---

[1] Const. «Ut pestiferam» 13 Sept. 1572.
[2] Const. «Immensa aeterni Dei» 22 Ian. 1587.
[3] Const. «Speculatores» 5 Mart. 1664.
[4] Const. «Sollicita» 9 Iulii 1753.
[5] Const. «Officiorum et munerum» 25 Ian. 1897.

Hinc nullo modo tolerari potest sententia, quae tenet decreta S. C. Indicis in aliqua regione fideles non obligare [1].

Forma procedendi determinata a Benedicto XIV const. «Sollicita et provida» die 9 Iulii 1753 est talis: 1. Si quis liber periculosus vel suspectus denuntiatur secretario Congregationis, ille re considerata et approbata tradit librum duobus consultoribus, qui votum dare debent de libro suspecto. Si isti consultores votum dederint contra librum, tunc idem liber datur alicui alii consultori vel relatori, qui animadversiones super librum conscribat. Quolibet mense secretarius convocat Magistrum Sacri Palatii et sex consultores in aliqua congregatione praeparatoria ad discutiendas animadversiones consultoris. Postea Cardinales recipiunt librum cum animadversionibus et cum voto congregationis praeparatoriae ad sententiam definitivam ferendam in aliqua congregatione plena, quam sententiam referente secretario confirmat Summus Pontifex. Si liber conscriptus est ab auctore catholico bonae famae, solet adiungi sententiae condemnatoriae clausula «donec corrigatur». Aliquando etiam ante publicationem auctori libri sententia Congregationis intimatur ut, si admittat proscriptionem, sententia publicetur cum additione: Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.

Auctoritas decisionum S. C. Indicis est sicut lex ecclesiastica universalis, ita ut sententiae semel latae nemo Christianus obsistere licite queat.

8. Congregatio Sacrorum Rituum.

Origo. Fundata est haec Congregatio a Sixto V const. «Immensa» et a Pio X Motu proprio «Quae in Ecclesia bonum» die 28 Ian. 1904 illi unita fuit Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, sed const. «Sapienti consilio» haec Congregatio videtur suppressa esse,

[1] Ita recte Wernz II, n. 660. Cf. S. C. Ind. 23 Maii 1897.

cum universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet sive quae usum respiciat, sit commissa S. Officio (cf. supra n. 1), atque ea, quae S. Reliquias attingunt, simpliciter sint demandata curae huius Congregationis S. Rituum.

Organizatio. Constituitur Cardinali Praefecto, compluribus Cardinalibus, secretario qui solet esse archiepiscopus titularis, et nonnullis officialibus, inter quos Sacrista Sanctitatis suae, Magister S. Palatii, Promotor fidei, Magister caeremoniarum etc.

Competentia. Tractat de omnibus ad S. Liturgiam Ecclesiae Latinae et ad cultum pertinentibus, concedit dispensationes opportunas super leges liturgicas, elargitur insignia et privilegia honorifica tam personalia quam localia, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertinent. Praesertim autem ea omnia exsequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoque modo referuntur. Anno 1903 d. 7 Sept. editus est novus catalogus continens 154 facultates S. Rituum Congregationi concessas [1]. Haec Congregatio non tractat de illis, quae nonnisi latius ad sacros ritus referuntur, e. gr. de iure praecedentiae.

Auctoritas huius Congregationis est maxima, quare eius decreta generalia habent vim legis ecclesiasticae universalis, saltem si accedat specialis approbatio Summi Pontificis (S. R. C. 23 Maii 1846) et sub titulo «Urbi et Orbi» solent publicari. Decreta autem particularia non obligant in casibus similibus vel aequalibus (S. R. C. 8 Apr. 1854).

Modus procedendi est duplex: per congregationem ordinariam et per congregationem extraordinariam. In congregatione ordinaria expediuntur causae ad ritum et liturgiam pertinentes; quae si sint gratiosae, e. gr. dispensationes, declarationes dubiorum etc. in forma consueta aliarum Congregationum perficiuntur.

[1] Cf. Acta Pontif. I 391 sqq.

Congregatio extraordinaria unice tractat processus canonizationis et beatificationis. Solent distingui in hoc processu congregatio ante-praeparatoria, praeparatoria et generalis. Modus procedendi determinatus est a Benedicto XIV const. «Sollicitudine» 1 Oct. 1745 [1]. Plures Commissiones cum S. C. R. coniunctae sunt: Commissio liturgica, et Commissio super editione Vaticana librorum et Commissio super musica et sacro cantu initio pontificatus Pii X erecta.

9. Congregatio Caeremonialis.

Origo. Instituta fuit a Sixto V const. «Immensa». Nihil speciale dicendum est de eius organizatione et modo procedendi.

Competentia huius Congregationis non est immutata nova constitutione «Sapienti consilio», «ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt».

10. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.

Origo. Pius VI a. 1793 fundavit Congregationem super negotiis ecclesiasticis regni Galliarum. Pius VII a. 1805 hanc Congregationem alio nomine vocavit sc. «a negotiis ecclesiasticis extraordinariis».

Organizatio. Ante novam constitutionem «Sapienti consilio» haec Congregatio non habuit Cardinalem Praefectum, sed dirigebatur a Cardinali Secretario Status. Nunc autem omnes Congregationes Cardinalium (praeter duas priores) habent Cardinalem Praefectum. Praeterea in hac Congregatione adsunt secretarius, subsecretarius,

[1] Decreta authentica S. C. Rit. promulgata sunt sub auspiciis Leonis XIII, Romae 1898.

plures consultores aliique officiales. Insuper clerici iuniores, qui pontificalis diplomatiae cursum amplecti volunt, admittuntur tamquam «Apprendisti vel Aspiranti» et post examina feliciter perfecta collocantur in diversis Nuntiaturis pontificalibus.

Competentia. Haec Congregatio praecipue occupatur in negotiis, quae inter Ecclesiam et diversa gubernia civilia intersunt, e. gr. in Concordatis faciendis vel commutandis. Hucusque quaedam territoria huic Congregationi commissa fuerunt, e. gr. negotia ecclesiastica in Regno Russiae, in Mexico etc. . . . sed nunc cura istorum territoriorum demandata esse Congregationi de Prop. Fide videtur (const. «Sapienti consilio» I, 6).

Modus procedendi. Negotia leviora expediuntur a solo secretario, qui de istis qualibet hebdomada refert Sanctissimo; graviora vero negotia deliberantur coram Cardinalibus per Secretarium Status convocatis. In istis conventibus admitti non solent consultores; definitivum iudicium non fertur, cum haec Congregatio non habeat votum decisivum, sed consultativum. Summus Pontifex ipse dat decisionem.

11. Congregatio Studiorum.

Origo. Sixtus V const. cit. «Immensa» fundavit Congregationem 5 Cardinalium «pro Universitate Studii Romani», cui insuper commisit curam aliarum Orbis catholici universitatum, e. gr. Parisiensis, Bononiensis, Oxoniensis, Salmanticensis. Leo XII const. «Quod divina sapientia» 24 Aug. 1824 erexit Congregationem, quae supervigilare debebat omnes scholas Romae et in ditione pontificia sitas.

Organizatio. Constat sicut plures aliae Congregationes Cardinali Praefecto, aliquibus Cardinalibus, secretario, consultoribus et officialibus.

Competentia. «Huic S. Congregationi commissa est moderatio studiorum, in quibus versari debeant maiora athenaea seu quas vocant Universitates seu

Facultates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi.» Potest etiam ipsa dare academicos gradus alicui viro doctrina commendato (vulgo dicitur «Doctor honoris causa»).

Connexi sunt cum hac Congregatione coetus studiis provehendis sive Sacrae Scripturae sive historiae. Prior coetus fundatus est a Leone XIII 1902 illique Pius X (26 Febr. 1904) concessit facultatem dandi gradus academicos in Sacra Scriptura. Alter coetus fundatus est a Leone XIII a. 1883.

Scholion. Praeter has undecim Congregationes in citata constitutione enumeratas adhuc remansit etsi quoad competentiam suam multum limitata Congregatio Reverendae Fabricae S. Petri, quae primitus tamquam Congregatio fundata est a Clemente VIII. Praefectus huius Congregationis est Cardinalis Archipresbyter S. Petri, cui tamquam secretarius adest oeconomus. — Coetus studiis provehendis sive S. Scripturae sive historiae; obulo S. Petri administrando, fidei in Urbe praeservandae permanent in statu quo ante. Suppressa est Congregatio Visitationis Apostolicae Urbis, cuius munia a peculiari Cardinalium coetu exercentur.

«In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus . . . hoc in primis sollemne sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus eorundem Summo Pontifici hoc fuerit antea significatum. Praeterea sententiae quaevis sive gratiae, sive iustitiae via latae **indigent approbatione pontificia,** exceptis quibusdam rebus levioris momenti, quae expediri possunt ab officialibus sine speciali approbatione Summi Pontificis.» Ita Pius X in cit. const. versus finem. (De auctoritate S. Rotae et Signaturae infra sermo erit.)

§ 4. *De tribunalibus Curiae Apostolicae.*

Q. 126. *Quaenam tribunalia juxta vigentem nunc disciplinam habeantur in Curia Romana?*

R. Tria, sc. S. Poenitentiaria, S. Rota Romana et Signatura Apostolica. Circa singula sequentia breviter notentur:

1. S. Poenitentiaria[1] coarctatur ad forum internum dumtaxat. Itaque nullas iam dispensationes pro foro externo concedit, sicuti antea faciebat praesertim in dispensationibus matrimonialibus pro pauperibus. Pro foro autem interno et quidem pro foro tum poenitentiali tum extrapoenitentiali largitur gratias, absolutiones, condonationes, sanationes et praeterea quaestiones conscientiae excutit atque dirimit sicuti hucusque fecit. Uno verbo: Hoc tribunal est quasi supremus confessarius habens pro universo mundo et pro universis fidelibus amplissimas facultates fori interni.

Petitiones ad S. Poenitentiariam possunt scribi in qualibet lingua, sed citius solet advenire Rescriptum, si

[1] Quantum ad historiam Tribunalis S. Poenitentiariae videsis Göller, Die päpstl. Pönitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V., Bd I, Rom 1907. Cum ex toto orbe christiano ad limina Apostolorum fideles solerent peregrinari ibique conscientiam suam purgare vellent a peccatis et censuris, Summi Pontifices instituerunt Poenitentiarios, quibus amplissimas absolvendi et dispensandi facultates dederunt. Inter istos Poenitentiarios apostolicos eminet S. Raymundus de Peñaforte, qui in usum confessariorum primus scripsit «Summam de poenitentia et matrimonio», librum, qui mox divulgatus fuit, maxime commentariis auctus et ab aliis auctoribus adhibitus. Poenitentiariis Romae degentibus iam saeculo XIII datus fuit praefectus, qui vocabatur Poenitentiarius maior et fuit Cardinalis. Hodie in Tribunali S. Poenitentiariae plures alii officiales collaborant e. gr. theologus, canonista, secretarius etc. Aliquo modo ad S. Poenitentiariam pertinent etiam Poenitentiarii minores in Basilicis Vaticana (Conventuales Minoritae), Lateranensi (Franciscani) et S. Maria Maiore (Dominicani), licet isti in «La Gerarchia cattolica» non enumerentur.

lingua Latina adhibita fuit. Omnia Rescripta Poenitentiariae dantur gratis, pro agentia tamen vel pro expeditione parva summa pecuniae solvenda est [1].

2. S. Rota Romana. Ante saepe citatam constitutionem Pii X Wernz (II, n 669) merito scribere potuit: «Universa disputatio de Rota Romana potius ad historiam et archaeologiam canonicam spectat, quam ad disciplinam nunc vigentem», sed nunc res prorsus aliter se habet. Rotae Romanae a Pio X pristinus splendor et maxima auctoritas restituta est. Summus Pontifex enim scribit: «Non solum iubemus per S. Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes» (Ita sanxerunt Litt. Secretariae Status 17 Apr. 1728), sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad S. Rotae Romanae tribunal . . . salvo tamen iure S. Congregationum prout superius praescriptum est.» Idem Summus Pontifex legem propriam de constitutione, et agendi modo huius tribunalis edidit. Principaliora huius legis statuta sunt haec: Sacra Romana Rota 10 Praelatis, qui vocantur «Auditores Rotae» totidemque adiutoribus et pluribus officialibus constat. Auditores Rotae eliguntur directe a Summo Pontifice inter sacerdotes maturae aetatis, laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praeditos atque vitae honestate prudentiaque praeclaros. Omnes autem alii officiales maiores S. Rotae non eliguntur nisi cum approbatione Papae. Tum Auditores tum officiales tenentur emittere iuramentum de rite et fideliter implendo officio suo. Iudicia feruntur aut per turnos trium Auditorum aut coram omnibus Auditoribus. Competentia huius tribunalis est magna, sed causae maiores, sive tales sint ratione

[1] Cf. Normae pecul. c. 8, a. 1, n. 3.

obiecti sive ratione personarum, excluduntur ab ambitu competentiae ipsius. Tribunal S. Rotae est etiam tribunal appellationis et proinde potest in secunda et tertia instantia sententias iudiciales aliorum tribunalium cassare vel confirmare. Notandum tamen est S. Rotam non esse tribunal appellationis, nisi contra sententias forma iudiciali latas. Hinc si e. gr. episcopus ordinationes fecerit in sua dioecesi, contra illas, quippe quae non sint sententiae iudiciales, non patet recursus ad Rotam Romanam, sed ad Congregationem Cardinalium, e. gr. ad Congregationem Concilii. De modo iudicandi Rotae Romanae Pius X sapientissima statuta edidit, inter quae praecipue dignum est notatu, sententiam esse lingua Latina conscribendam et rationes tam in facto quam in iure sub poena nullitatis continere debere.

3. Signatura Apostolica. Quae a pluribus auctoribus de Signatura Apostolica dicta sunt, fuerunt sat obscura, nunc autem Pius X «antiqua ordinatione tribunalium Signaturae papalis gratiae et iustitiae suppressa» restituit vel melius instituit Signaturam Apostolicam illiusque competentiam clare circumscribit. Iuxta vigentem disciplinam Signatura Apostolica est supremum tribunal cassationis recipiens recursus contra sententiam Rotae Romanae vel eius Auditores, e. gr. recusationem alicuius Auditoris Rotae tamquam iudicis, damnum illatum ab aliquo Auditore, petitionem restitutionis in integrum. Contra sententiam Signaturae Apostolicae iam non datur recursus aut appellatio. Hoc tribunal constat sex Cardinalibus a Papa electis, quorum unus ab eodem Pontifice designatus praefecti munere fungitur. Adsunt etiam plures alii officiales, e. gr. secretarius, notarius et aliquot consultores. Modus iudicandi Apostolicae Signaturae haud dissimilis est praxi adhibitae in tribunalibus civilibus vulgo dictis «suprema tribunalia cassationis» [1].

[1] Cf. Lex prop. can. 38—43.

§ 5. *De officiis Curiae Romanae.*

Q. 127. *Quaenam sint officia in Curia Romana iuxta vigentem disciplinam?*

R. Pius X quinque officia in Curia Romana statuit eorumque munia circumscripsit.

1. Cancellaria Apostolica. Cancellaria est officium, in quo Bullae pontificiae rediguntur et conscribuntur. Cum inde ab initio Summi Pontifices litteras miserint ad diversas ecclesias, ad episcopos, ad reges etc. et istae litterae procul dubio in aliqua cancellaria scripta fuerint, merito dici potest Cancellariam Apostolicam natam esse simul cum Curia Romana. Istae litterae in duplo scribebantur, quarum alterae mittebantur ad personas destinatas, alterae servabantur in Romanae Ecclesiae archivio (quod etiam vocabatur scrinium, chartarium, chartularium, bibliotheca). Officiales archivii nominabantur scriniarii, chartularii, notarii, eorumque praefectus vocabatur protoscriniarius, primicerius notariorum et inde a saeculo undecimo cancellarius. Cancellarii officium ab initio fuit commissum non tantum Cardinalibus sed etiam aliis clericis, verumtamen a saeculo XIII committebatur tantum Cardinali. Huic officio praesidet unus ex Cardinalibus, qui cancellarius (non autem vice-cancellarius ut antea erat) vocatur. Ipse est simul notarius in consistoriis Cardinalium. Unum et proprium munus cancellarii est expedire apostolicas litteras sub plumbo. Iuxta modernam praxim raro expediuntur litterae apostolicae sub plumbo seu bullae et quidem nonnisi de mandato Congregationis Consistorialis aut de mandato ipsius Summi Pontificis. In posterum iam non expedientur Bullae per viam secretam, vel de camera vel de curia, sicuti antiquitus fiebat [1].

[1] Pius X mandavit tribus Cardinalibus, ut quam primum reformandas curarent formulas Bullarum et regularum Cancellariae Apostolicae (Normae

2. Dataria Apostolica, quae nomen sortita est a datando (datum apud S. Petrum) non a dando (favore) originem videtur duxisse ex saeculo XIII. Iuxta praesentem disciplinam praeest unus ex Cardinalibus, qui Datarius (et non Pro-Datarius ut antea fiebat) vocatur. «Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata (e. gr. Dignitates in capitulis ecclesiae cathedralis), conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.» [1] Multum igitur coarctata est competentia Datariae.

3. Camera Apostolica. «Huic officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium S. Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius» (camerlengo), cui Sede vacante incumbit administratio palatiorum apostolicorum et praeparatio omnium quae sunt necessaria pro conclavi. Camerarium in suis officiis adiuvant plures officiales.

4. Secretaria Status. Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a Secretis Status vel breviter Cardinalis Secretarius quasi ministerium pro diplomatia externa est. Iuxta modernam praxim triplex pars in Secretaria Status distinguenda est. Prima pars versatur circa negotia extraordinaria, quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad Concordata cum variis civitatibus referuntur, e. gr. negotia ecclesiastica cum gubernio civili Galliae; altera in ordinaria

---

pecul. c. 9, a. 1). De historia Cancellariae Apostolicae videsis Wernz l. c. II, n. 675.

[1] Const. «Sapienti consilio» III Officia 2, 2.

negotia incumbit, ad eamque inter cetera pertinet honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica cum civilia (e. gr. Ordines S. Silvestri, Gregorii etc., titulum Protonotarii honorarii etc. Quaedam tamen insignia conferenda reservata sunt Antistiti Palatii Vaticani); tertia expeditioni apostolicarum Brevium, quae a variis congregationibus ei committuntur, vacat. Ex quibus omnibus patet, quam magni momenti sit officium Cardinalis Secretarii. Illius est relationes diplomaticas Sedis Apostolicae cum guberniis civilibus dirigere, dare instructiones Nuntiis apostolicis in diversis mundi partibus constitutis et vicissim eorum nuntia relata acceptare; responsa mittere ad innumeras litteras atque telegrammata, quae Summo Pontifici in signum honoris et fidelitatis destinari solent. Non raro etiam alia negotia ecclesiastica graviora ex speciali mandato Papae a Secretario Status expediuntur. Plures officiales illum adiuvant in expediendis negotiis.

5. Secretaria Brevium ad Principes et epistularum Latinarum. Secretaria Brevium instituta fuit ab Innocentio XI [1] ad conficiendas litteras quae in forma Brevis expediuntur [2]. Secretariae Brevium praeficitur unus ex Cardinalibus; adiutores sunt substitutus, assessor, minutantes, aliique officiales. Cum Pius X expresse statuerit, ut Secretaria Brevium sua munia ut antea servatura sit, competentia huius officii adhuc desumenda est ex Benedicti XIV constitutione «Gravissimum Ecclesiae» 26 Nov. 1745.

Forma procedendi in Secretaria Brevium haec solet esse: secretarius cum suis officialibus post seriam deliberationem sic dictam «Minutam» componit, quam substitutus in ordinaria audientia praebet Sanctissimo

---

[1] Const. «Romanus Pontifex» 1 Apr. 1678.

[2] Quomodo Brevia a Bullis secundum formam externam distinguantur, vide supra q. 20.

qui tunc subscribit cum verbo «Placet» et prima littera sui nominis, e. gr. I. (= Iosephus). Minuta sic approbata transcribitur et in forma Brevis expeditur. Litterae Latinae, quae non in forma Brevis expediuntur, et quae solent tractare negotia non ita gravia, conficiuntur in Secretaria epistularum Latinarum. «In posterum vero in omnibus apostolicis litteris, sive a Cancellaria sive a Dataria expediendis, initium anni ducetur non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die 25 mensis martii, sed a calendis ianuariis» (Const. »Sapienti consilio» III Officia 5)[1].

Scholion. Sicut Romanus Pontifex est pastor totius Ecclesiae, ita etiam est episcopus Romanae dioecesis, et sicut alii episcopi habent vicarium generalem, ita episcopus Romanus habet vicarium, qui vocatur Cardinalis-Vicarius Urbis. Iurisdictio Cardinalis-Vicarii est iurisdictio ordinaria, sed cum Romae non paucae personae et loca sint exempta, e. gr. Cardinales eorumque tituli, iurisdictio Cardinalis-Vicarii in multis limitata est; iurisdictio Cardinalis-Vicarii morte Summi Pontificis non exspirat. Adiutores in suo officio sunt eius vicesgerens pluresque officiales[2].

ARTICULUS III.

DE LEGATIS ET NUNTIIS SEDIS APOSTOLICAE.

Q. 128. *Quid sit officium Legatorum et Nuntiorum Apostolicae Sedis?*

R. Legati, Nuntii, Delegati etc. vocantur illi Summi Pontificis ministri, qui sive ordinaria sive extraordinaria iurisdictione instructi vices illius in provinciis

---

[1] Sicuti Pius X praescripsit, ut nova forma Bullarum conficiatur, ita etiam mandavit novam Brevium formam praeparandam (Normae peculiares, c. 9, a. 3).

[2] Cf. Wernz II, n. 679.

agunt. Causa, cur Legati instituantur, est Ecclesiae alicuius regni vel provinciae necessitas vel magna utilitas et impossibilitas impediens Summum Pontificem, quominus in dissitis regionibus per se ipsum gerat sollicitudinem omnium ecclesiarum. Isti Legati variis temporibus et variis rationibus exsistentibus sunt appellati variis nominibus, velut Apocrisiarii, Responsales, Missi, Nuntii, Vicarii apostolici, Delegati, Ablegati etc. Quantum ad historiam istorum Legatorum videsis Benedictum XIV [1] et Thomassinum [2]; nos brevitatis causa damus tantum regulas generales, quae observantur iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, quae distinguit:

1. Legatos a latere, Legatos missos et Legatos natos. Legati a latere sic dicuntur, quia assumpti sunt e numero Cardinalium, qui assistunt Summo Pontifici et veluti unum corpus cum eo efficiunt. Vocantur etiam Legati a facie, ἐξ προσώπου. Mittuntur ad maiora negotia exercenda vel ad repraesentandum Summum Pontificem in aliqua solemnitate. Sic antiquis temporibus Summi Pontifices miserunt Legatos a latere, qui praesiderent Conciliis oecumenicis, e. gr. Ephesi, Chalcedone etc. Sic Leo X misit Cardinalem De Vio Caietanum ad abiurationem Lutheri recipiendam. Legati a latere dignitate et praerogativis eminent super omnes alios praelatos, episcopos et archiepiscopos in illis provinciis ad quas mittuntur. Ad fines suae provinciae devenientes sunt solemniter recipiendi; Legato praesente crux non praefertur archiepiscopo, episcopus populo non benedicit [3]. Praeterea amplissima gaudent iurisdictione etiam in exemptos, quam accurate definiunt litterae apostolicae, quibus instituuntur, unde in praxi potius attendendae sunt istae litterae apostolicae quam ea,

[1] De syn. dioec. l. 2, c. 10.
[2] Vetus et nova discipl. p. 1, l. 1, c. 18 sq.
[3] C. 23 X 5, 33.

quae in Corpore iuris de Legatis sanciuntur [1]. Summum Pontificem posse Legatos cuiusvis generis mittere in quascumque provincias totius orbis, nullo modo in dubium vocari potest. Summus Pontifex enim habet primatum iurisdictionis in omnes provincias christianas. Unde etiam a primis Ecclesiae saeculis Summi Pontifices hac potestate usi sunt [2]. Aliquando sed raro etiam praelati, qui non fulgent dignitate cardinalitia, mittuntur Legati a latere, qui iuxta stylum Curiae tunc vocantur: Nuntii missi cum potestate Legati a latere et limites eorum iurisdictionis videndi sunt ex litteris suae institutionis.

Legati missi, qui et Nuntii apostolici vocantur, sunt praelati (non Cardinales), qui in certas provincias vel ad certas gentes a Romano Pontifice mittuntur, ut ibi repraesentent pontificiam auctoritatem. Quodsi tantum transeunter exercent auctoritatem, solent potius vocari Legati missi, si vero stabili modo negotia in provincia vel regno gerunt, solent vocari Nuntii apostolici [3]. Quodsi casu raro Cardinalis officio Nuntii fungitur, vocatur Pro-Nuntius. — Inter-Nuntii vocantur legati a Summo Pontifice missi in locis, ubi non exsistit propria Nuntiatura apostolica. Iura Nuntiorum praedictorum potissimum desumenda sunt ex litteris apostolicis, quibus instituuntur. Nuntii vi legationis suae non habent iurisdictionem in exemptos [4], quam tamen habent Legati a latere [5]. Eorum

---

[1] Cf. Schmalzgrueber, Ius eccl. I, tit. 30.

[2] Cf. Devoti, Ius can. univ. l. 1, tit. 30.

[3] Nuntiaturae permanentes iam Medio Aevo aliquibus in regionibus exstiterunt et eorum officium principale tunc fuit, colligere pecunias pro Curia Romana vel pro finibus a Summis Pontificibus designatis. Sub Leone X et magis post Concilium Tridentinum Nuntiaturae papales receperunt hanc formam, quam adhuc nostris diebus habent. Cf. Richard, Origines des nonciatures permanentes: Revue d'hist. eccl. (Louvain) VII 2, 317 sqq.

[4] Cf. c. 36 de elect. in VI° 1, 6.

[5] Ib. et S. C. C. 16 Ian. 1597.

iurisdictio est ordinaria et proinde non cessat morte Summi Pontificis, ut expresse declaravit Clemens IV [1]. Procurationem i. e. sustentationem Nuntiorum nunc ipse Romanus Pontifex in se suscipit. Illis debentur et conceduntur speciales honores tum inter clericos tum inter Corpus diplomaticum, e. gr. Nuntii solent esse decani Corporis diplomatici in aulis principum catholicorum [2].

Scholion. Sancta Sedes nostris temporibus habitualiter habet tres Nuntios (I. classis) sc. pro Austria, Hispania et Portugallia; item tres Nuntios (II. classis) pro Bavaria, Belgio et Brasilia; tres Inter-Nuntios in Buenos Aires pro Argentinia, Uruguay et Paraguay, in Hollandia et in Luxemburgo; quattuor Delegatos apostolicos sc. in Chile, Columbia, Lima (pro Ecuador, Bolivia et Peru) et Porto Principe (pro S. Domingo, Haiti et Venezuela). Nuntiatura pro Gallia deputata in praesenti calamitosa persecutione suspensa est. Ex toto orbe 18 gubernia civilia mane habent delegatos diplomaticos apud Curiam Romanam, sc. Austria, Hispania, Portugallia, Borussia, Bavaria, Belgium, Monaco, Argentinia, Bolivia, Brasilia, Chili, Costarica, S. Domingo, Haiti, Nicaragua, Peru, Russia, Columbia. Cf. Annuario Eccles. a. 1907, p. 149—150.

Legati nati sunt quidam episcopi residentiales eminentes, qui ratione sedis suae episcopalis obtinent dignitatem Legati nati, eo quod in momento, quo eliguntur et confirmantur episcopi talis sedis, fiunt etiam Legati S. Sedis. Tales Legati nati sunt e. gr. archiepiscopus Coloniensis, Gnesnensis, Strigoniensis, Remensis etc. Ordinarie isti Legati nati nullam habent praeeminentiam iurisdictionis sed tantum honoris, e. gr. titulum Legati nati, usum vestis purpureae [3].

Urbanus II a. 1098 Rogerium I comitem Calabriae et Siciliae suum Legatum a latere fecit, quae legatio celeberrima facta est et vocata est «Monarchia Sicula». Plura privilegia revera exorbitantia isto Indulto concessa postea revocata sunt. Papam posse alicui laico

[1] C. 2 in VI° 1, 15. [2] Cf. Wernz II, n. 690.

[3] Archiepiscopo tamen Strigoniensi tamquam Legato nato omnes exempti Benedictini, Praemonstratenses et Cistercienses per totam Hungariam subiciuntur. Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. [10] § 112.

viro concedere iurisdictionem ecclesiasticam, docet sententia communissima. Exorbitans privilegium Monarchiae Siculae, quod tam multis et tam acerbis controversis per plura saecula ansam dedit, feliciter abolitum fuit a Pio IX const. «Suprema» data 28 Ian. 1864 et publicata 10 Oct. 1867 [1]. Aliud exemplum, quo Papa destinaverit laicum tamquam Legatum suum, non invenitur in historia ecclesiastica.

2. Vicarios apostolicos et administratores apostolicos. Vicarii apostolici vocantur omnes illi praelati, qui a Sancta Sede deputantur, ut alicuius dioecesis vel regionis spirituale regimen nomine Summi Pontificis suscipiant. Antiquis temporibus Vicarii apostolici potius habuerunt munus Legati vel Nuntii [2]. Licet Vicarii apostolici non necessario sint charactere episcopali insigniti [3], tamen hodiernis temporibus solent esse episcopi titulares. Distinguuntur duplicis generis Vicarii apostolici sc. Vicarii apostolici constituti in locis ubi exsistit hierarchia episcopalis, et Vicarii apostolici in locis missionum sine hierarchia episcopali. Vicarii apostolici primi generis hodie raro deputantur. Olim ob multas rationes isti Vicarii apostolici mittebantur ad regendam dioecesim et quidem vel Sede vacante, si episcopus mortuus fuit et sedes diu vacatura praevideretur vel Sede plena, si episcopus non potuit ob suam culpam vel ob inhabilitatem dioecesim regere [4]. Tali Vicario apostolico, qui etiam aliquando administrator apostolicus vel episcopus coadiutor vocatus est, ad minus habet iurisdictionem, quam habet vicarius capitularis; non raro illi tota administratio dioecesis cum omnimoda iurisdictione traditur. Inspiciendae igitur sunt litterae apostolicae institutionis in casu particulari.

[1] Cf. Sentis, De Monarchia Sicula.
[2] Cf. Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 2, c. 10.
[3] Cf. Benedictus XIV l. c.
[4] Cf. Ferraris s. v. Vicar. apost. n. 50.

Vicarii apostolici in locis missionum iuxta modernam praxim solent insigniri charactere episcopali et promoveri ad titulum cuiusdam Ecclesiae antiquae, quae nunc sita inter infideles episcopum residentialem non habet. In missionibus apud paganos, ubi nondum constituti sunt vicariatus apostolici, solent deputari praefecti apostolici, qui ordinarie sunt sacerdotes simplices, usquedum praefectura apostolica erigatur in vicariatum apostolicum. Vicarii apostolici constituuntur post diligentem investigationem de eorum idoneitate. Quamvis autem soleant esse episcopi titulares, tamen non habent iurisdictionem ordinariam episcopalem in sua missione. Unde praeciso speciali privilegio non possunt concedere indulgentias, neque habere thronum in ecclesia, neque deferre cappam magnam, neque nomen eorum in canone Missae commemoratur, neque crux ante illos fertur[1]. Solent tamen habere amplas facultates quantum ad absolutionem peccatorum et dispensationes varias. Quia autem isti Vicarii apostolici non sunt Ordinarii proprie dicti, sequitur eos non teneri applicare Missam pro populo, nec posse instituere vicarium generalem sui districtus; tenentur tamen deputare vicarium habilem sive ex clero saeculari sive ex clero regulari, qui eveniente obitu ipsorum regimen vicariatus apostolici assumat tamquam Delegatus apostolicus usquedum novus Vicarius apostolicus in missione praesens exsistat[2]. Ita de iure communi. In particulari non est eadem iurisdictio omnium Vicariorum apostolicorum. Decem diversa exstant formularia ad quorum normam Vicariis apostolicis iurisdictio a Propaganda impertiri consuevit (cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 112).

[1] Cf. Collectan. S. C. de Prop. Fide 1883, n. 120 126 131 139 169 170.

[2] Benedictus XIV, Const. «Gravissimum» et const. «Ex sublimi».

PARS III.

DE REBUS ECCLESIASTICIS.

Praenotamen. Postquam sufficienter dictum est de personis ecclesiasticis, nunc superest ut de rebus ecclesiasticis agatur. A canonistis solent res sacrae vocari illa omnia, quae in Ecclesia adhibentur ad sanctificationem fidelium (praeter personas et iudicia). Unde Devoti dicit [1]: «Quidquid est in Ecclesia extra personas et iudicia, id rei (ecclesiasticae) nomine comprehendimus.» Res ecclesiasticae distinguuntur in res spirituales, quae directe respiciunt ad animarum salutem in ordine supernaturali, et in res temporales, quae sunt reditus et bona ecclesiastica, quibus aluntur clerici et pauperes et comparantur cultui divino necessaria [2]. Ad res spirituales ecclesiasticas pertinent omnia sacramenta, sacramentalia, preces, ieiunia, dies festi, indulgentiae et generatim omnia quae ad gratiam assequendam proxime conducunt. Vocantur etiam res spirituales illae, quae Deo et religioni sunt consecratae (vel benedictae) pro divino cultu, ut ecclesiae, sacraque vasa et ornamenta. Immo non raro ipsa gratia diversaque dona Spiritus Sancti inter res ecclesiasticas spirituales recensentur [3]. Cum nobis propositum sit inde a limine, omnes illas

---

[1] Instit. can. l. 2, tit. 1, § 1.

[2] Auctores multum discrepant in assignandis distinctionibus rerum ecclesiasticarum, ut videri licet apud S. Sanguineti, Instit. l. 2, tit. 1. Sunt disputationes de nomine et in praxi prorsus inutiles.

[3] Cf. Devoti l. c.

materias in hoc Manuali praeterire, quae iuxta modernam praxim in aliis disciplinis sufficienter tractantur, non agimus de gratia, virtutibus, donis Spiritus Sancti, sacramentis, ieiuniis, indulgentiis etc. Unde convenienter et sufficienter tractatus totus de rebus ecclesiasticis potest dividi in 4 capita:

1. De ecclesiis aliisque locis sacris;
2. De altaribus et sacra suppellectili;
3. De beneficiis;
4. De bonis temporalibus ecclesiasticis.

CAPUT I.

DE LOCIS SACRIS.

Q. 129. *Quaenam sint loca sacra?*

R. Communiter recensentur tria: ecclesiae, oratoria et coemeteria. Unde de singulis singillatim agendum est.

ARTICULUS I.

DE ECCLESIIS.

Q. 130. *Quid nomine ecclesiae hic veniat?*

R. Nomine ecclesiae hic veniunt aedes sacrae catholicorum ad cultum unice destinatae pro communi usu fidelis populi. In hoc sensu S. Paulus 1 Cor 11, 22 iuxta aliquos commentatores iam verbum ecclesiae sumpsit scribens: «Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum aut ecclesiam Dei contemnitis?» Certo Tertullianus in hoc sensu iam loquitur de ecclesia [1]. Item S. Cyprianus, Eusebius aliique. — Tempore Apostolorum fideles pro cultu congregari solebant in domibus privatis seu in coenaculis, sicuti fecerat

[1] Cf. De velandis virgin. 13: Constanter audeant et in vicis virgines videri, sicut audent in ecclesiis (Migne, Patr. Lat. 2, 956).

ipse Salvator cum discipulis in ultima coena. Tempore persecutionum christiani congregabantur pro cultu in catacumbis, attamen etiam istis prioribus saeculis iam exsistebant ecclesiae sub dio, ut narrat Eusebius in sua Historia eccl. ll. 7 et 13 [1]. Antiquis temporibus et alia nomina pro ecclesia usu veniebant, scilicet:

a) Dominicum (Graece *κυριακόν*) i. e. domus domini. Sic S. Cyprianus [2] dicit: «In Dominicum sine sacrificio venis.» S. Hieronymus loquitur de Dominico aureo Antiochiae aedificato [3]. A voce *κυριακόν* derivata sunt in lingua germanica et anglica nomina Kirche, Church significantia ecclesiam.

b) Basilica. Unde S. Isidorus Hispalensis scribit in suis Etymol. l. 15, c. 4 [4]: «Ideo divina templa basilicae nominantur, quia ibi regi omnium Deo cultus et sacrificium offeruntur.» Nostris temporibus nomen basilicae reservatur quibusdam ecclesiis insignioribus, ut patet ex q. sequ.

c) Templum (*ναός*), quod nomen primis tribus saeculis non occurrit, quia fana paganorum vocabantur templa et propterea christiani abhorrebant ab hac denominatione. Primus videtur fuisse Lactantius († circit. a. 325) qui vocavit ecclesiam templum [5].

d) Oratorium (*εὐκτήριον, προσευκτήριον, οἶκος εὐκτήριος* i. e. domus orationis, sicuti Christus vocavit templum Hierosolymitanum). Eusebius pluries hoc nomine vocavit ecclesias, e. gr. De vita Constantini 3, 48.

e) Martyrium, confessio, memoria. Haec tria nomina sunt synonyma et significabant illas ecclesias, quae super corpus alicuius martyris vel in eius memoriam constructae fuerunt. Sic occurrunt expressiones: mar-

---

[1] Migne, Patr. Graec. 20, 673.
[2] De opere et eleemosyna n. 15 (Migne, Patr. Lat. 4, 613).
[3] Migne, Patr. Lat. 27, 677. [4] Ib. 82, 545.
[5] Instit. divin. l. 5, c. 2 (Migne, Patr. Lat. 6, 553).

tyrium Thomae [1], martyrium Petri et Pauli, martyrium Euphemiae ad significandas ecclesias erectas super corpora horum sanctorum. Immo ecclesia a Constantino erecta super sepulcrum Domini vocabatur «martyrium Salvatoris» [2].

Pro his aliisque vocabulis minus usitatis cf. Bona, Rerum liturg. l. 1, c. 19, § 4. Supra q. 62 iam dictum est ecclesias valde communiter vocatas esse titulos [3].

Q. 131. *Quaenam sint variae species ecclesiarum?*

R. a) Basilicae maiores vocantur quattuor ecclesiae patriarchales Romae sc.: Lateranensis, quae sedem Romanam praesignat et quae est prima inter omnes ecclesias totius mundi; Vaticana, quae sedem Constantinopolitanam repraesentat; S. Pauli in via Ostiensi, quae Alexandrinam, et Liberiana (S. Maria Maggiore), quae Antiochenam designat. Sunt praeterea plures tum Romae tum in aliis regionibus basilicae minores, quae hoc nomine a Summo Pontifice illustratae sunt et quibus tria privilegia competunt, nempe ius conopaei, tintinnabuli et cappae magnae (S. C. R. 27 Aug. 1836, Decr. authent. n. 2744). Ecclesia erecta in basilicam minorem nullam praeeminentiam exinde acquirit. In quattuor basilicis maioribus sunt sic dicta altaria papalia, in quibus sine speciali licentia nullus alius sacerdos Missam celebrare potest [4].

b) Ecclesiae cathedrales, quae nempe sunt sedes alicuius episcopi et quae vocantur etiam metropolitanae, primatiales aut patriarchales si episcopus insuper est Metropolita aut Primas aut Patriarcha. His assimilantur

---

[1] Socrates, Hist. eccl. 4, 18 (Migne, Patr. Graec. 67, 504).

[2] Eusebius, De vita Const. 4, 40 (Migne l. c. 20, 1189).

[3] Cf. c. 31, C. XII, q. 2.

[4] Cf. Many, De loc. sacr. n. 64. — Quidam tamquam quintam basilicam maiorem seu patriarchalem enumerant ecclesiam S. Laurentii extra muros.

ecclesiae quasi cathedrales, quae sunt sedes praelatorum «nullius».

c) Ecclesiae abbatiales, quae sc. sunt sedes alicuius abbatis (sive saecularis sive regularis).

d) Ecclesiae collegiatae, quibus nempe adscriptum est collegium canonicorum, vel quibus hoc privilegium specialiter datum est. Sic e. gr. omnes ecclesiae Fratrum Praedicatorum sunt collegiatae [1]. Inter ecclesias collegiatas sunt duo gradus: aliae sunt insignes, aliae sunt simpliciter collegiatae [2].

e) Ecclesiae parochiales, quae sc. sunt sedes alicuius parochi.

f) Ecclesiae regulares, quae sunt annexae alicui conventui regulari.

g) Aliae ecclesiae publicae, quae non pertinent ad unam ex categoriis hucusque enumeratis.

Solet adhuc distingui ecclesia matrix et ecclesia filialis. Filialis ecclesia vocatur illa quae ex alia processit vel saltem quae est obstricta ad quaedam obsequia exhibenda ecclesiae matrici. Praeterea distinguuntur oratoria publica et privata, de quibus infra sermo erit.

Q. 132. *Quaenam requirantur ad aedificationem alicuius ecclesiae?*

R. 1. Consensus competentis superioris. Nulla ecclesia aedificari potest sine licentia episcopi dioecesani. Dicit enim Rituale Romanum tit. 8, c. 26: «Ecclesiam ex episcopi auctoritate tantum, iuxta sacrorum canonum decreta aedificari fas est», et Pontificale Romanum (pars 2, tit. de benedict. et impositione primarii lapidis) praescribit: «Nemo ecclesiam aedificet, priusquam Pontificis iudicio locus et atrium designetur.» Ratio est, quia ad episcopum pertinet, supervigilare in

[1] Cf. Const. Ord. Pr. n. 89. [2] Cf. supra q. 96.

dioecesi universa cultum divinum. Cum requiratur a Pontificali (l. c.) designatio loci et atrii, non sufficit consensus tacitus, sed requiritur consensus expressus episcopi [1]. Pariter episcopus habet ius, ut ipsi adumbratio ecclesiae aedificandae (vulgo: plan, scheme) porrigatur et ab ipso approbetur [2]. Pro aliquibus ecclesiis aedificandis requiritur praeter licentiam episcopi dioecesani etiam licentia S. Sedis, sc. pro ecclesiis cathedralibus, collegiatis et etiam regularibus [3]. De licentia requisita pro oratoriis privatis cf. infra. In aliquibus regionibus, e. gr. in Germania, Austria, requiritur praeterea licentia gubernii civilis [4].

2. Ratio sufficiens sc. necessitas, utilitas et incrementum cultus divini [5]. Iudicare de ratione sufficienti ad episcopum pertinet; quodsi aliquis putat ecclesiae aedificationem esse sibi nocivam, permittitur appellatio, quae in Corpore iuris vocatur «nuntiatio novi operis» (l. 5, X tit. 32). Haec nuntiatio dirigenda est ad episcopum vel ad Metropolitam vel ad Sanctam Sedem, et efficit ut aedificatio statim cessare debeat, usquedum sententia de legitimitate nuntiationis lata sit. Antequam nova ecclesia aedificatur, parochus territorii citandus

---

[1] Cf. Reiffenstuel in tit. de eccl. aedif. n. 7 8.

[2] Cf. Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 26. Conc. Prov. Westmonast. I, decr. 29 praescripsit: «Cum aliqua nova ecclesia est condenda, totius aedificii iconographia cum partium accurata delineatione est episcopi conspectui subicienda; non tantum eo fine, ut de operis decore vel elegantia iudicium ferat, sed multo magis ut dignoscat, utrum omnia Rubricis et ecclesiasticis legibus sint conformia. . . . Nec sinat (episcopus) architectum ad aedificationem progredi, nisi in his omnibus, Rubricis, decretis et usibus approbatis Ecclesiae se conformaverit.» Cum ecclesiae regularium sint exemptae, non est necessarium praemonstrare episcopo dioecesano delineationem harum ecclesiarum aedificandarum.

[3] Cf. Vogt l. c. § 26; Sägmüller, Kirchenrecht § 165.

[4] Cf. Vogt l. c.

[5] C. 3 X 3, 48; Conc. Trid. sess. 21, c. 4 de reform.

et audiendus est, attamen non requiritur eius consensus [1].

3. Dos competens pro sustentatione rectoris, ministrorum, pro sumptibus cultus, pro reparatione. Iuxta modernam praxim quantitas istius dotis determinanda est ab episcopo, ut patet ex Pontificali l. c. [2] Ut plurimum iure particulari statutum est, undenam dos competens pro ecclesiis aedificandis et reparandis sumenda sit [3]. Pro aedificatione ecclesiarum Mendicantium et regularium valent eadem, quae pro fundatione novae domus infra dicetur t. II, q. 250.

4. Antequam aedificatio ecclesiae inchoatur, ab episcopo vel eius delegato solemniter ponendus est primarius lapis [4].

Scholion. De situ et forma ecclesiarum nihil praescriptum est iure communi. Attamen iam ab antiquis temporibus mos fuit ecclesias verti ad orientem. Christiani enim orare solebant versi ad orientem. De ratione autem huius modi orandi non conveniunt doctores, alii referentes illum ad memoriam Christi, qui ut sol iustitiae ab oriente surrexit, alii ad paradisum terrestrem amissum, quem Deus ab oriente plantaverat [5]. Quantum ad formam multoties ius particulare statuta specialia emisit.

Q. 133. *Quaenam notanda sint de consecratione ecclesiarum?*

R. 1. Antequam ecclesia aedificata cultui deputatur, debet consecrari vel saltem benedici [6]. Idem valet de

---

[1] Cf. Many, De loc. sacr. n. 8 et infra t. II, q. 250.

[2] «Olim sancitum est ut unicuique ecclesiae unus mansus integer et absque ullo servitio tribuatur.» Ita c. 1 X 3, 39. Iuxta Du Cange, Glossarium s. v. Mansus, unus mansus aequivalebat duodecim agri iugeribus.

[3] Cf. Vogt l. c. § 27 et Conc. Trid. sess. 21, c. 7 de reform.

[4] Cf. Pontif. Rom. parte 2, De benedict. et impositione primarii apidis pro ecclesia aedificanda.

[5] Cf. Bona l. c. l. 1, c. 20, § 4.

[6] Cf. Pontif. Rom. parte 2, De eccl. dedicatione seu consecratione.

oratoriis publicis et semipublicis, quae benedici debent et consecrari possint, licet hoc ultimum raro fiat [1]. Oratoria privata non possunt benedici solemniter, sed pro eorum benedictione adhibenda est formula benedictionis domus novae vel loci [2]. Iam a primis temporibus aerae christianae obligatio dedicationis ecclesiarum agnita fuit, unde cum S. Athanasius gravi necessitate pressus Alexandriae sacram synaxim celebrasset in ecclesia nondum dedicata, vehementer accusatus fuit apud imperatorem Constantinum, ad quem hac de causa misit apologiam, in qua factum et legem prohibentem confitetur, pluribus autem exemplis probat, excipi casum necessitatis [3]. Hanc consuetudinem universalem Gregorius IX lege generali sancivit [4]: «Si ecclesia non consecrata . . . fuerit polluta, aqua protinus exorzitata lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur. Est tamen quam citius fieri potcrit consecranda.» Ergo Summus Pontifex praecepit ut ecclesia non consecrata quam citius consecretur. Contra hanc legem nostris temporibus multis in regionibus usus invaluit non omnes ecclesias consecrandi, sed tantum benedicendi [5]. Quandoque autem ecclesiae prius benedicuntur et postea tempore opportuno consecrantur. Num sit peccatum mortale ad tempus celebrare Missam et exercere cultum in ecclesia neque consecrata neque benedicta, disputant auctores. Hoc cum licentia expressa episcopi fieri posse affirmat et sufficienter probat

---

[1] Cf. infra, ubi de oratoriis agitur, q. 140 sqq.

[2] S. R. C. 5 Iun. 1899.

[3] S. Athanasius, Apologia ad imp. Constantinum n. 14 sq, apud Migne, Patr. Graec. 25, 612; cf. Many l. c. n. 10.

[4] C. 10 X 3, 40.

[5] In Anglia usus invaluit, nullam ecclesiam consecrare, quae adhuc debitis est onerata, ne casu, quo fabrica ecclesiae sit solvendi impar, res consecrata sub hasta venderetur. S. R. C. die 11 April. 1902 prohibuit, ne ecclesia ex ligno constructa, etiamsi perpulchre interius exteriusque ornata sit, consecretur. Idem videtur dicendum de ecclesiis ex ferro constructis.

Many l. c. n. 19. — Craisson, Man. iur. can. n. 3563 docet: «Aliquando licet Missam celebrare extra ecclesiam modo in loco decenti cum altari portatili, cum licentia Episcopi si adsit, immo sine ea, si sit absens.» [1]

2. Ad episcopum dioecesanum privative pertinet consecrare omnes ecclesias suae dioeceseos, potest tamen delegare alium episcopum, non autem simplicem sacerdotem [2]. Sed cum consecratio ecclesiarum sit totaliter iuris ecclesiastici, Summus Pontifex ad hoc delegare potest etiam simplicem sacerdotem, sicuti revera Benedictus XIV delegavit abbatem monasterii Campidunensis in provincia Moguntina pro consecratione ecclesiae abbatialis, ut ipse Benedictus XIV narrat in const. «Suprema dispositione» 26 Apr. 1749, § 1 [3].

Consecratio autem ecclesiarum regularium et positio primi lapidis pro ecclesia aedificanda pertinet ad episcopum dioecesanum. Quandonam regulares possint vocare alium episcopum praeter dioecesanum vide infra t. II, q. 245. Sede vacante regulares tenentur recurrere ad vicarium capitularem, cuius tunc est de consecratione ecclesiae providere.

3. «Ecclesiarum consecratio, quamvis omni die de iure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus vel sanctorum solemnitatibus fit.» [4]

4. Pridie consecrationis ecclesiae episcopus consecrans et populus pro cuius utilitate ecclesia consecratur ieiunare debent: «Debet archidiaconus praenuntiare clero et populo, quibus est ecclesia consecranda, ut priusquam consecretur, ieiunent. Nam Pontifex consecrans et qui petunt sibi ecclesiam consecrari praecedenti die ieiunare debent.» [5]

---

[1] Cf. Bened. XIV, De sacr. Miss. l. 3, c. 4.
[2] Cf. Rit. Rom. VIII, c. 27. [3] Apud Many l. c. n. 11.
[4] Pontif. Rom. pars 2, De eccl. dedicatione.
[5] Pontif. Rom. l. c.

5. Nulla ecclesia potest licite (bene tamen valide, cf. S. R. C. 19 Maii 1896) consecrari, nisi simul saltem unum altare consecretur. Reliquiae autem includendae in altari consecrando pridie in aliqua proximiore ecclesia vel oratorio vel sub tentorio ornato inter luminaria exponantur et coram eis celebrandae sunt Vigiliae (i. e. dicenda sunt Matutinum, et Laudes de Communi Martyrum) cum oratione de Communi, sine nomine expresso, cum non sint partes officii diei [1].

6. Post peractam consecrationem Missa celebrari debet [2] ab ipso Pontifice consecratore. Quodsi iste nimis fatigatus est, faciat Missam solemniter celebrari per aliquem sacerdotem. Missae celebratio requiritur ad licitam, non autem ad validam consecrationem. Dicenda est Missa «Terribilis est» de Communi Dedicationis, nisi propter festum solemne dicenda sit Missa de festo [3].

7. Essentia consecrationis est unctio cum sacro chrismate supra duodecim cruces in muris [4] aut columnis ecclesiae simul cum prolatione verborum correspondentium [5].

8. Quolibet anno dies anniversarius consecrationis ecclesiae debet celebrari sub ritu primae classis cum

---

[1] S. R. C. 14 Iun. 1845, Decr. auth. n. 2886; cf. Martinucci (Man. sacr. caerem. l. 7, c. 16, n. 13 nota), qui hoc modo explicat verba Pontificalis.

[2] Pontif. Rom. l. c.

[3] Cf. De Heerdt, Sacrae Liturgiae Praxis n. 113.

[4] Ecclesia cum parietibus ligneis vel ferreis non potest consecrari, ut supra dictum est (S. R. C. 11 Apr. 1902). Duodecim cruces quae in dedicatione ecclesiae pinguntur vel inciduntur in lapide, omnino perpetuis temporibus remanere debent in testimonium consecrationis ecclesiae (S. R. C. 18 Febr. 1696, Decr. auth. n. 3233). Quodsi aliqua vel aliquae ex istis crucibus operiuntur e. gr. stallis chori, omnino decet ut locus crucis aliquo modo designetur; si vero crux sit incisa in aliquo lapide inserto muris, iste lapis in alia parte murorum inserendus est.

[5] S. R. C. 12 Apr. 1604, Decr. auth. n. 319.

octava. Hodie in omnibus fere regionibus uno eodemque die celebratur festum Dedicationis Ecclesiarum in tota dioecesi. Ad quod festum commune tenentur etiam ecclesiae tantum benedictae [1], sicuti pariter oratoria publica et semipublica, dummodo sint solemniter benedicta (S. R. C. 5 Iun. 1899).

Q. 134. *Quaenam notanda sint de benedictione ecclesiarum?*

R. 1. Minister benedictionis ecclesiarum est episcopus dioecesanus vel ex eius delegatione expressa quilibet sacerdos. Constat ex Rituali Romano tit. 8, c. 27. Praelati regulares possunt proprias ecclesias benedicere sine delegatione episcopi [2].

2. Ritus benedictionis desumendus est ex Rituali Romano tit. 8, c. 27.

3. Essentia benedictionis consistit in aspersione aquae benedictae super parietes ecclesiae in eorum parte superiore et inferiore, et quidem sive extra sive intra ecclesiam. Ita communis doctorum sententia.

4. Finita benedictione Missa celebranda est super altari portatili. Haec Missa debet esse vel de tempore occurrente [3] vel Missa solemnis votiva de Sancto in cuius nomine ecclesia fundatur [4].

Q. 135. *Quid sit patronus vel titulus (titularis) ecclesiae?*

R. 1. Titulus, ut ex ipsa notione verbi apparet, est specialis denominatio ecclesiae. Quod si ecclesia denominatur in honorem alicuius sanctae personae creatae, tunc ista persona, sive sit angelus sive sit homo, vocatur etiam patronus ecclesiae [5]. Quod si ecclesia denominatur

---

[1] S. R. C. 9 Iul. 1895.

[2] Cf. infra De privil. regular. t. II, q. 245. [3] Rit. Rom. l. c.

[4] S. R. C. 23 Febr. 1884, Decr. auth. n. 3605.

[5] Patronus ecclesiae non est confundendus cum patrono loci vel provinciae vel dioecesis vel regni.

in honorem SS. Trinitatis vel alicuius personae divinae vel alicuius mysterii (Immaculata conceptio B. M. V., Resurrectio Christi etc.) vel alicuius miraculi (conversio S. Pauli, vincula S. Petri) etc., tunc haec denominatio vocatur titulus (titularis) ecclesiae. Beati nondum canonizati, generatim loquendo, non possunt eligi in patronum ecclesiae, attamen si sermo sit de beatis, qui sunt in antiquissima et immemorabili cultus possessione, tunc videtur licitum eos in patronos ecclesiarum eligere [1]. Quod et in praxi fit. Sic e. gr. exsistunt ecclesiae et altaria consecrata in honorem B. Alberti Magni.

2. Titulus seu patronus eligi debet in benedictione primi lapidis ecclesiae aedificandae [2].

3. Titulus seu patronus semel electus non potest mutari sine licentia S. Rituum Congregationis [3]. Si vero ecclesia amisit consecrationem vel benedictionem (cf. q. sequ.), etiam amisit patronum vel titulum et in nova benedictione vel consecratione posset alius patronus vel titulus eligi; licet hoc minus deceat [4].

4. Quotannis festum titularis debet celebrari sub ritu duplici primae classis cum octava «ab iis omnibus e clero, quibus eadem ecclesia propria est aut ratione beneficii aut ratione subiectionis» [5], i. e. a toto clero huius ecclesiae [6]. Quantum ad commemorationem faciendam de titulari ecclesiae videsis Rubricistas, e. gr. De Heerdt, Sacrae Liturgiae Praxis I, n. 84 et II, n. 220. Iste cultus debitus titulari observandus est non tantum in ecclesiis consecratis, sed etiam solemniter benedictis [7].

---

[1] Ita Benedictus XIV, De beatif. et canoniz. sanctorum l. 1, c. 37. Cf. etiam infra t. II, q. 227.

[2] Pontif. Rom. tit. de benedict. prim. lapidis.

[3] Cf. S. R. C. 12 Sept. 1857, Decr. auth. n. 2719.

[4] Cf. S. R. C. 2 Maii 1626, Decr. auth. n. 402.

[5] S. R. C. 9 Iul. 1895, Decr. auth. n. 3863.

[6] Cf. S. R. C. 27 Iun. 1899, Decr. auth. n. 4043.

[7] S. R. C. 5 Iun. 1899, Decr. auth. n. 4025.

Q. 136. *Quid sit exsecratio ecclesiae et quandonam adsit?*

R. 1. Exsecratio ecclesiae est amissio consecrationis vel benedictionis, ita ut ecclesia exsecrata iam cesset esse locus sacratus. Differt ergo exsecratio a pollutione (cf. q. sequ.) velviolatione, quia ecclesia polluta remanet consecrata vel benedicta et tantum indiget nova reconciliatione. Causa exsecrationis est semper physica, causa pollutionis est semper moralis (cf. infra). Differt exsecratio etiam ab interdicto et cessatione a divinis, quae sunt tantum prohibitiones (et quidem partiales) sacras functiones peragendi in aliqua ecclesia propter punitionem populi.

2. Ecclesia sive consecrata sive solemniter benedicta exsecratur, si **simul et semel** de novo construitur vel reparatur sive tota sive etiam secundum maiorem partem tantum[1]. Quid sit maior pars communi hominum iudicio aestimatur. Hinc:

a) Ecclesia non exsecratur, licet simul tota crusta parietum[2], in quibus cruces depictae erant, radatur vel excidat. Contraria opinio communiter tenebatur ab antiquis canonistis[3], sed S. R. C. die 19 Maii 1896[4] respondit ad dubium: «Utrum ecclesia, e cuius parietibus vel partim vel integre disicitur simul incrustatio vulgo intonaco ut renovetur, consecrata maneat vel exsecrata? — Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus opus tectorium sit renovatum.»[5]

---

[1] Cf. Reiffenstuel, Ius can. univ. l. 3, tit. 40, n. 12.

[2] Germanice Mauerbewurf, anglice plastering, gallice crépi, enduit, italice intónaco, arríccio.

[3] Cf. Schmalzgrueber, Ius eccl. univ. l. 3, tit. 40, n. 23. Qui cum aliis putabat consecrationem ecclesiae adhaerere parietibus et benedictionem pavimento (n. 16), sed utraque assertio nullo textu iuris probari potest.

[4] Decr. auth. n. 3907.

[5] Cf. etiam S. C. R. 9 Aug. 1897, Decr. auth. n. 3962.

b) Ecclesia non exsecratur, licet parietes et alia omnia successive reparentur etiam cum intentione totam ecclesiam reparandi, dummodo tamen pro singulis reparationibus pars destructa sit minor parte remanente [1]. Ratio est, quia manet moraliter eadem ecclesia sic reparata [2].

c) Ecclesia non exsecratur, licet amplietur in longitudine et latitudine, modo pars addita minor sit parte antiqua. Est eadem ratio.

d) Ecclesia non exsecratur, licet vi aut malitia hominum reducta sit ad usus profanos etiam per longum tempus. Si autem episcopus ex rationabili causa permittit per sic dictum «decretum de profanando» ecclesiam permanenter usui profano haberi, tunc ecclesia exsecratur [3]. Specialis ritus exsecrationis non praescribitur iuxta ius commune in hoc casu, sed debet crux prope locum ecclesiae erigi in memoriam ecclesiae profanatae [4]. Iure particulari quandoque specialis ritus ecclesiam seu capellam consecratam dissolvendi seu destruendi praescriptus est, cf. e. gr. Coll. Rit. Archidioecesis Coloniensis tit. 6, c. 5.

Q. 137. *Quid sit pollutio ecclesiae et quandonam adsit?*

R. 1. Pollutio [5] vel violatio [6] ecclesiae est moralis contaminatio seu atrox iniuria illata sanctitati ecclesiae per aliqua facta (publica vel notoria) in iure expressa. Licet in ipsis fontibus iuris nihil dicatur de notorietate istorum factorum, tamen hanc conditionem

---

[1] Cf. Many, De loc. sacr. n. 27.

[2] Cf. Reiffenstuel l. c. n. 12.

[3] Cf. Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 28.

[4] Conc. Trid. sess. 21, c. 7 de reform.

[5] C. 10 X 3, 40 et c. un. in VI° 3, 21.

[6] C. 19, D. 1 de consecr. et c. un. in VI° 3, 21, et Rit. Rom. tit. 8, c. 28.

requirunt omnes doctores [1]. Si vero delictum ab initio occultum postea fiat publicum, ecclesia censetur polluta.

2. Quattuor facta in iure recensentur inducentia pollutionem ecclesiae, sc. homicidium [2], effusio sanguinis humani [3], effusio seminis humani [4], sepultura infidelis vel excommunicati vitandi [5].

3. Quaelibet occisio (idem valet de suicidio) patrata cum plena deliberatione in ecclesia, nisi fiat ob iustam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, inducit pollutionem ecclesiae. Ergo occisio ab amente facta non inducit pollutionem. Ut autem dicatur occisio patrata in ecclesia, requiritur et sufficit, quod causa proxima mortis, v. gr. vulnus, venenum, accipiatur in ecclesia, licet mors extra accidat [6].

4. Effusio sanguinis humani voluntaria, iniuriosa, graviter culpabilis, copiosa, in ecclesia patrata polluit eam. Si una ex istis conditionibus deest, non polluitur ecclesia [7].

5. Effusio graviter peccaminosa seminis humani, sive haec fiat pollutione sive fornicatione sive adulterio etc., voluntaria, notoria, facta in ecclesia polluit eam. Quod auctores dicunt de licita copula coniugali in ecclesia, nostris temporibus vix accidere potest [8].

6. Sepultura infidelis, i. e. non baptizati, polluit ecclesiam, nisi tamen non baptizatus sit catechumenus. Catechumeni enim, licet nondum baptismum fluminis acceperint, sunt tamen voluntate et desiderio membra Ecclesiae. Specialis controversia exsistit de infantibus non baptizatis. Ab omnibus quidem admittitur, quod

---

[1] Cf. Reiffenstuel in h. tit. n. 22.
[2] C. 4 X 3, 40. [3] C. un. in VI° 3, 21.
[4] Eodem loco in VI°.
[5] C. 7 X 3, 40. S. R. C. 23 Apr. 1875.
[6] Ferraris s. v. Ecclesia IV 40; cf. Many l. c. n. 31.
[7] Cf. Reiffenstuel l. c. n. 17.
[8] Videsis Reiffenstuel l. c. n. 20.

infans nondum natus in casu quo mater moritur sepeliendus est cum matre, cuius adhuc censetur esse pars [1]; pariter communis sententia est, infantes parentum infidelium non baptizatos non posse sepeliri in ecclesia et si factum sit, ecclesiam esse pollutam [2]. Si autem agitur de sepultura non baptizatorum infantium, qui a parentibus catholicis sunt progeniti, omnes quidem concedunt illos non posse licite in ecclesia (vel coemeterio benedicto) sepeliri, attamen num ex tali sepultura ecclesia (vel coemeterium) sit polluta, non constat. Reiffenstuel l. c. n. 21 vocat affirmantem sententiam communem [3]; Schmalzgrueber vero l. c. n. 74 citans plures auctores defendit sententiam negativam et haec sententia negativa videtur solide probabilis, cum nec ullus textus iuris certe probativus pro sententia affirmativa afferri possit.

7. Sepultura excommunicati vitandi, i. e. alicuius personae nominatim excommunicatae vel notorii percussoris clerici [4]. «Sacris enim canonibus est institutum, ut, quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.» [5] Sepultura excommunicati tolerati, quales sunt e. gr. haeretici et schismatici notorii probabiliter non polluit ecclesiam, licet sit graviter illicita et ille, qui sic sepultus sit, exhumari debeat, si fieri potest [6].

Nota. 1. Ut quattuor facta recensita revera effectum pollutionis producant, requiritur ut intra ecclesiam fiant, non autem in turri aut campanili neque in sacristia, neque in porticu exteriore, neque super fornices ecclesiae.

2. Si ecclesia est polluta, sub gravi peccato prohibentur quaelibet divina officia et praesertim Missa,

---

[1] Schmalzgrueber in h. tit. n. 73. [2] Schmalzgrueber l. c.
[3] Cf. etiam Craisson, Man. iur. can. n. 4800.
[4] Cf. const. Martini V «Ad evitanda scandala» a. 1418.
[5] C. 12 X 3, 28. [6] Cf. Schmalzgrueber l. c. n. 77.

nisi tamen sit casus necessitatis, e. gr. deferendi Viaticum moribundo [1]. Si pollutio accidat durante Missa, tunc ante canonem Missa dimittatur, post canonem vero non dimittatur [2].

3. Si ecclesia est polluta, non tantum polluuntur omnia altaria fixa, sed etiam pollutum censetur coemeterium adiacens ecclesiae (non autem longe distans). Econverso autem polluto coemeterio non censetur polluta ecclesia etiam adiacens [3].

Q. 138. *Quomodo fiat reconciliatio ecclesiae pollutae?*

R. 1. Quando ecclesia polluta est, debet quam primum commode fieri potest, reconciliari [4], «ne divinae laudis organa suspendantur».

2. Si ecclesia polluta fuit consecrata, reconciliatio debet fieri ab episcopo vel ex delegatione Summi Pontificis (non autem episcopi) [5] a simplici sacerdote [6]. Praelati regulares possunt reconciliare proprias ecclesias pollutas (etiamsi fuerunt consecratae) ex privilegio illis a Iulio II, Leone X aliisque Pontificibus concesso [7].

3. Si ecclesia polluta tantum benedicta fuit, reconciliatio potest fieri a simplici sacerdote delegato. Delegatio expressa episcopi non videtur esse absolute necessaria, saltem in casu necessitatis, cum in Decretali mox citata praecipiatur: ecclesia polluta «aqua protinus exorzitata lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur». Porro ecclesia polluta nequit protinus reconciliari, si semper prius obtinenda esset delegatio episcopi. Ita Reiffenstuel l. c. n. 28; Benedictus XIV,

---

[1] C. 10 X 3, 40.

[2] Rubr. general. Miss. p. 3 de defect. c. 10, n. 2.

[3] C. un. in VI° 3, 21. [4] C. 10 X 3, 40.

[5] Non raro Summus Pontifex dat episcopis habitualem facultatem subdelegandi sacerdotes pro ecclesia consecrata polluta reconcilianda (Facultates quinquennales).

[6] C. 9 X 3, 40. [7] Cf. infra t. II, q. 245.

De syn. dioec. l. 13, c. 15, n. 2 aliique. Rituale autem Romanum videtur supponere delegationem expressam episcopi, cum tit. 8, c. 28 dicat: «Ecclesiae violatae (nondum consecratae) reconciliatio per sacerdotem ab episcopo delegatum fiat hoc modo» (cf. S. R. C. 8. Iulii 1904).

Q. 139. *Quid sit privilegium immunitatis concessum ecclesiis?*

R. Distinguitur triplex immunitas, sc. personalis, realis et localis. De immunitate personali agetur infra t. II, q. 220; pariter de immunitate reali, quae competit omnibus ecclesiis et coemeteriis benedictis vel consecratis atque domibus religiosis.

Immunitas localis qua fruuntur ecclesiae duo importat, sc. ius asyli et prohibitio exercendi quosdam actus in ecclesia. De iure asyli sufficienter dicitur in t. II l. c. Actus vero qui prohibentur in ecclesiis breviter recensentur a Gregorio X in Concilio Lugdunensi II [1]. «Nullus in locis eisdem (ecclesiis) . . . seditionem excitet, conclamationem moveat impetumve committat.» [2] «Cessent in locis illis universitatum et societatum quarumlibet consilia, conciones et publica parlamenta.» [3] «Cessent vana et multo fortius foeda et profana colloquia. Cessent confabulationes quaelibet. Sint postremo quaecumque alia, quae divinum possunt turbare officium aut oculos divinae maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea. . . . Cessent in ecclesiis earumque coemeteriis negotiationes et praecipue nundinarum ac fori cuiuscumque tumultus,

[1] Habetur c. 2 in VI° 3, 23.

[2] Illae conclamationes et illi applausus, qui aliquando in ecclesiis praesertim regionum meridionalium fiunt durante sermone vel apparente aliqua persona insigni, licet fiant ex optima intentione, minus consonant cum sanctitate ecclesiae et ad graves abusus facile adducere possunt, unde Pius X eas vetuit Romae.

[3] Conciones vero et coetus, quorum finis directe refertur ad fidem, religionem vel caritatem, non prohibentur.

omnis in eis saecularium iudiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos, criminalis maxime agitetur; sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena.» Occasione exsequiarum non debent admitti in ecclesia vexilla prorsus profana, et si extollantur in pompa funebri vexilla, quae prae se ferunt emblemata manifeste impia vel perversa, clerus inde recedat. Etiam vexilla sic dicta nationalia in ecclesia non sunt toleranda, nisi secus magna incommoda timeantur. Ita S. Offic. 4 Apr. 1887 et 24 Nov. 1897. In feretro vel tumulo durantibus exsequiis exponi non debet eiusdem defuncti imago. Ita S. R. C. 30 Apr. 1896[1]. Deputatio unius eiusdem ecclesiae simul cultui catholico et acatholico aliquando necessitate cogente toleratur, sed Pius IX 12 Mart. 1873 hanc «simultaneitatem» cum «Vetero-catholicis» (Altkatholiken) graviter prohibuit.

ARTICULUS II.

DE ORATORIIS.

Q. 140. *Quid sint et quotuplicis generis sint oratoria?*

R. Oratoria sive capellae dicuntur sacella ad Missae celebrationem aliaque sacra munia exstructa pro commoditate alicuius collegii vel familiae. Haec definitio magis clarescit, si attenditur ad distinctionem oratoriorum, quae sunt triplicis generis sc. oratoria publica, semipublica, privata.

Q. 141. *Quid sint et quomodo erigantur oratoria publica?*

R. 1. Oratoria publica ea sunt, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata ianuam habent in via vel liberum a publica via fidelibus uni-

[1] Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. n. 1282—1284.

versim pandunt ingressum. Ita S. R C. 23 Ian. 1899[1]. Ad hoc igitur, ut aliquod oratorium vere publicum sit, requiritur:

a) erectio ab episcopo concessa et quidem sub iisdem conditionibus ac requiritur consensus episcopi pro erectione ecclesiae[2];

b) deputatio perpetua ad publicum Dei cultum. Iterum simili modo, quo ecclesiae ad publicum Dei cultum deputantur;

c) benedictio vel consecratio sicut ecclesiae. Nostris temporibus raro consecrantur oratoria publica[3];

d) publica ianua a publica via. Ergo non sufficit ianua privata;

e) titularis assignatus oratorio, sicuti fit pro ecclesiis.

2. Omnes aliae conditiones, quae requiruntur pro erectione ecclesiae, solent etiam requiri pro erectione oratorii[4] publici. Regulares autem, qui praeter ecclesiam aut oratorium publicum coniunctum cum conventu, volunt erigere in granciis vel hospitiis oratorium publicum, egent licentia episcopi tantum (et non S. Sedis)[5].

3. Oratorium publicum subiacet visitationi episcopi sicut ecclesiae[6]. Oratoria enim publica (non exempta) plene subiciuntur iurisdictioni episcopi, cuius est determinare omnia, quae ad cultum divinum pertinent, e. gr. quae officia agi, quae vero omitti inibi debeant, utrum in festis solemnioribus Missa dici possit in illis necne. Attamen caute et moderate utatur episcopus iure suo et unice pro salute fidelium. Statuat etiam episcopus accurate, quaenam iura competant parocho

---

[1] Decr. auth. n. 4007. [2] Cf. supra et c. 10, C. XVIII, q. 2.

[3] Cf. S. C. R. 5 Iun. 1899, Decr. auth. n. 4025.

[4] Cf. supra q. 131.

[5] Cf. S. C. C. 9 Febr. 1754; Benedict. XIV, De syn. dioec. l. 9, c. 1; Wernz l. c. III, n. 456.

[6] Conc. Trid. sess. 22, c. 8 de reform.

in oratoria publica, cum secus facile controversiae et lites inter rectorem oratorii et parochum oriantur.

4. Oratorium publicum est capax acquirendi et possidendi bona temporalia et fundationes. Unde ea, quae tali oratorio vel capellae donantur, minime a parocho pro ecclesia parochiali requiri possunt, licet oratorium sub iurisdictione parochi sit [1].

Q. 142. *Quid sint et quaenam iura habeant oratoria semipublica?*

R. 1. Oratoria semipublica ea sunt, quae etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. Ita S. R. C. 23 Ian. 1899 supra citata. Ex hac definitione sequitur, quod a S. Congregatione tria requiruntur pro oratoriis semipublicis, sc.

a) locus semipublicus i. e. locus neque prorsus publicus sicut pro ecclesiis et oratoriis publicis neque prorsus privatus sicut pro oratoriis domesticis seu privatis. Locus debet esse honestus (cf. infra t. II, q. 227);

b) erectio auctoritate Ordinarii facta;

c) utilitas alicuius communitatis determinatae. Ergo non requiritur ianua in viam publicam neque titularis neque solemnis benedictio. Requiritur tamen privata benedictio, cum Missa non debeat dici in loco non benedicto, nisi in casu necessitatis, e. gr. in locis missionum, in ecclesiis uti dicunt simultaneis, quae sc. simul serviunt Acatholicis et Catholicis.

2. Tamquam oratoria semipublica censentur:

a) oratoria in palatiis episcopalibus vel cardinalitiis [2];

[1] Cf. Many, De loc. sacr. n. 73.

[2] Idem valet de capellis privatis episcoporum titularium (S. R. C. 8 Iun. 1896).

b) oratoria erecta in locis piis cum auctoritate episcopi. Talia loca pia sunt: seminaria tum maiora tum minora clericorum, collegia ecclesiastica, hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata (vulgo Pensionat), omnes conventus institutorum cum votis simplicibus (isti conventus saepe tamen habent oratoria publica vel ecclesias), domus spiritualibus exercitiis addictae, nosocomia, orphanotrophia etc.;

c) oratoria erecta in locis publicis, e. gr. in carceribus, in arcibus (vulgo garnisons, casernes);

d) oratoria erecta in conventibus vel in domibus ruralibus regularium [1]. Regulares in stricto sensu solent vocari tantum illi religiosi, qui habent vota solemnia. Sunt tamen plures congregationes moderniores sine votis solemnibus habentes omnia privilegia regularium stricte dictorum (cf. infra t. II, q. 1). Pro oratoriis semipublicis regularium requiruntur tres conditiones supra sub n. 1 allatae, attamen sub nomine Ordinarii non venit episcopus dioecesanus sed Provincialis ut patet ex Brevi «Decet Romanum Pontificem» 3 Maii 1575 Gregorii XIII [2].

3. Iura oratorii semipublici sunt fere eadem ac oratorii publici; notanter omnes fideles audientes Missam in talibus oratoriis satisfaciunt obligationi ecclesiasticae, et omnes sacerdotes ibi celebrantes debent sequi calendarium huius oratorii semipublici [3].

4. Oratoria semipublica visitationi et iurisdictioni episcopi dioecesani prorsus subiciuntur, exceptis oratoriis semipublicis regularium, quae fruuntur exemptione sicuti

---

[1] Ita saltem sententia probabilis et tuta in praxi; cf. infra t. II, p. 260, not. 2.

[2] Cf. etiam infra t. II, q. 227, ubi etiam satis tractatur controversia de oratoriis regularium in granciis vel domibus ruralibus. Cf. Many l. c. n. 107.

[3] S. C. R. 22 Maii 1896, Decr. auth. n. 3910. Contrarium putat Many l. c. n. 105, sed minus recte.

eorum monasteria. Dicitur enim in decreto S. R. C. citato: «Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia oratoriorum quibus fruuntur... ordines congregationesque regulares.»

Q. 143. *Quid sint et quomodo erigantur oratoria privata?*

R. 1. Oratoria privata dicuntur «ea, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex Indulto Sanctae Sedis erecta sunt». Ita S. R. C. 23 Ian. 1899 supra citata. Ex qua definitione evidenter sequitur, quod episcopus non potest potestate ordinaria dare licentiam erigendi aliquod oratorium privatum. Quando quis huiusmodi oratorium privatum vult erigere, solet prius adire episcopum, qui dat litteras commendatitias vel ipse mittit petitionem ad Curiam Romanam[1]. Licentia oratorii privati non solet exsecutioni mandari, nisi prius episcopus vel eius delegatus examinaverit locum oratorii, utrum sit decens et conveniens. Quando magnae et urgentes adsint causae et per modum actus tantum, episcopus adhuc nostris diebus valet concedere licentiam dicendi Missam in oratorio privato. Ita S. C. C. 20 Dec. 1856[2]. Aliis verbis: cum lex prohibens oratoria privata sine Indulto S. Sedis sit lex positiva, non obligat cum magno incommodo et proinde exsistente causa urgente episcopus potest propria auctoritate concedere licentiam paucis vicibus celebrare Missam in aliquo loco, qui est neque oratorium publicum neque semipublicum. Non raro episcopi possunt vi facultatum specialium concedere licentiam celebrandi Missam super altari portatili in quocumque loco honesto[3].

[1] Ad novam Congregationem de Sacramentis (Norm. pecul. a. 3).

[2] Cf. Many l. c. n. 81; Huguenin l. c. n. 705.

[3] Cf. e. gr. Facultates quae a Congregatione de Propaganda concedi solent episcopis remotioribus n. 15.

2. Clausulae, quae in Indulto apostolico apponi solent, sunt sequentes:

a) Locus debet esse muris exstructus, decenter ornatus et ab omnibus domesticis usibus liber. Minime autem necessarium est, ut non sint cubilia supra ista oratoria in alio contabulato[1].

b) Nonnisi una Missa et quidem non cantata quolibet die permittitur, immo quibusdam solemnioribus diebus nulla Missa in istis oratoriis dici potest[2].

c) Missa non potest celebrari nisi in praesentia Indultarii. Solet enim in Indulto dici: «Volumus autem, ut consanguinei et affines praedicti Missam . . . coram oratoribus dumtaxat audire, nunquam vero celebrari facere valeant.» Unde S. C. C. die 3 Dec. 1740 dedit decisionem, quam Benedictus XIV decr. «Cum duo nobiles» 7 Ian. 1741 confirmavit et publicari iussit, non posse celebrari Missam in oratorio privato, nisi Indultarius (vel Indultarii i. e. illi qui expresse in Indulto pontificio nominantur) ibi praesens sit. Non ergo sufficit, quod Indultarius sit praesens in domo, sed requiritur, ut etiam praesens sit in oratorio, secus Missa dici nequit in oratorio privato (secluso speciali permissione). Quae cum ita sint, expedit ut in petitione Indulti plures personae nominentur.

d) Praecepto audiendi Missam diebus Dominicis et festivis in istis oratoriis nonnisi determinatae personae satisfacere possunt; dicitur enim in Indultis: «In sua consanguineorum et affinium secum insimul eadem in domo habitantium, famulorum, hospitumque nobilium suorum praesentia.» Unde praecepto ecclesiastico audiendi Missam satisfacere possunt in oratoriis privatis:

α) consanguinei et affines Indultariorum usque ad quartum gradum inclusive[3]; requiritur tamen, ut isti

[1] Ita recte Many l. c. n. 87. Contra Wernz l. c. III, n. 458.

[2] Iure communi sunt 12 dies excepti; cf. Caer. Episc. l. 2, c. 34.

[3] Cf. Gatticum, De orator. c. 25.

consanguinei habitent insimul cum Indultario. Quod autem Many l. c. n. 90 docet: «non sufficit, si habitent quidem in eodem corpore aedificii, sed in diversis tabulatis (étages)», videtur nimis rigidum et non probatum;

β) famuli, qui tempore Missae actu sunt necessarii Indultario vel Indultariis. Hic autem agitur de necessitate in latiore sensu. Unde ancillae et pedissequi, qui solent comitari herum, praecepto audiendi Missam satisfaciunt;

γ) hospites nobiles, non autem alii hospites licet sint conspicui et divites. Hospes dicitur, qui domi recipitur et est commensalis domini, licet ad paucos, immo ad unum diem, modo tamen non sit de eadem civitate vel de eodem oppido aut vico, nam tunc non esset hospes, sed simplex salutator[1].

Nota. Cum omnes istae clausulae aliquando possint angustias causare, melius est in prima petitione Indulti omnia clare exponere, ne ulla difficultas oriri queat. Ceterum omnes restrictiones in Rescripto pontificio appositae adamussim observari debent.

3. In oratoriis privatis ex iure communi nullae aliae functiones liturgicae fieri possunt, nisi Missa lecta et administratio S. Communionis. Hoc ultimum expresse declaravit Pius X die 8 Maii 1907: «In Indultis oratorii privati intelligitur inclusa facultas Sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui sacrificio Missae adsistunt salvis iuribus parochialibus.» Unde revocata est decisio S. R. C. die 10 Febr. 1906 citata infra t. II, q. 227. Ergo seclusa speciali facultate non licitum est in istis oratoriis privatis: cantare Missam, dare benedictionem sacramentalem, benedicere et distribuere cineres, palmas, candelas, concionem proprie dictam habere — non vero prohibitum est modo privato et familiari de rebus spiritualibus disserere —

[1] Ita Many l. c.

audire confessiones (excipiuntur aegroti), benedicere mulieri post partum etc.

4. Cum Concilium Tridentinum (sess. 22, decr. de observ. et evitandis in celebratione Missae) amplissimam facultatem etiam contra exemptos episcopis contulerit, ad illos pertinet vigilare super oratoria privata, ne quid minus decens tanto sacrificio ibi adsit vel agatur.

5. Oratoria privata non sunt loca sacra in stricto sensu, et proinde neque recipiunt benedictionem solemnem[1] (possunt private benedici iuxta Rit. Rom. tit. 8, c. 6 vel aliud approbatum Rituale), neque habent iura et privilegia locorum sacrorum, e. gr. ius asyli, immunitatis etc., neque possunt pollui aut exsecrari.

6. Privilegium oratorii privati est omnino personale et proinde exstinguitur morte personae privilegiatae, sed non ligatur aliquo loco particulari. Unde supposita licentia episcopi oratorium privatum, e. gr. concessum alicui comiti, potest transferri non tantum de uno cubiculo in aliud, sed etiam de una domo in aliam, immo de una dioecesi in aliam, et quidem sine novo Indulto apostolico. Ratio est, quia hoc privilegium **sequitur personam quocumque ierit.**

ARTICULUS III.

DE COEMETERIIS ET SEPULTURA.

§ 1. *De ipsis coemeteriis.*

Q. 144. *Quid sint coemeteria?*

R. Coemeterium[2], Latine locus dormitorius, est locus sepeliendis christianorum cadaveribus destinatus. Mors

[1] «S. R. Congregatio mandat, ut nullum ex oratoriis privatis consecretur aut benedictione donetur solemni, quae in Rituali Romano legitur, sed ea tantum formula benedicatur, quae pro domo nova aut loco in eodem Rituali habetur» (S. R. C. 5 Iun. 1899).

[2] In quantum scire licet Tertullianus est primus, qui adhibet verbum coemeterii (De anima c. 51; Migne, Patr. Lat. 2, 738). Alia

enim, ita docente fide catholica, est sicut somnus, a quo mortui resurgent tuba ultimi iudicii. Coemeteria initio erant extra moenia civitatis, quia Romanae leges (sicuti et leges modernae civiles) sepulturam intra urbes non permittebant. Postea vero primum Magnates et episcopi aliique viri praestantes, deinde populus universus non tantum in civitate, sed etiam in atrio, in porticu, prope muros ecclesiae, immo intra ipsam ecclesiam sepulti sunt[1]. Attamen propter multas inconvenientias sepulturae in ecclesia rarissime fiant etiam abstractione facta a lege civili communiter prohibente. Unde Rituale Romanum praescribit: «Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeteriis, retineatur; et ubi fieri potest restituatur. At vero, cui locus sepulturae dabitur in ecclesia, humi tantum detur. Cadavera autem prope altaria non sepeliantur» (tit. 6, c. 1, n. 9). Ex hac praescriptione duo praeprimis notanda sunt sc. a) si sepultura in ecclesia fiat, humi tantum detur. Ergo non licet cadavera sepelire in aliquo sarcophago illumque in ecclesia ponere elevatum super terram[2]. Sarcophagi e terra prospicientes permittuntur tantum in sepultura Summi Pontificis; b) sepultura non debet fieri prope altare, quod S. R. C. die 12 Ian. 1897 ad 2 hoc modo explicavit: «Cadavera ab altari tribus cubitis distare debere; et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere.»[3]

Q. 145. *Debeantne coemeteria benedici vel consecrari?*

R. Affirmative; praescribit enim Rituale Romanum l. c. n. 18: «Ceterum nemo Christianus in communione fidelium defunctus extra ecclesiam aut coemeterium

nomina antiquitus adhibitia sunt: catacumbae, sarcophagus, area, sepulchrum, monumentum, mausoleum, tumulus. Cf. Pet. Lex, Das kirchl. Begräbnisrecht 9 sqq.

[1] Cf. Lex l. c. 25.

[2] Ita plures decisiones S. C. apud Lex l. c. 32.

[3] Decr. auth. n. 3944; cf. etiam S. C. R. 5 Aug. 1898 (Acta S. Sedis XXXI 316).

rite benedictum sepeliri debet, sed si necessitas cogat ex aliquo eventu, aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse.» Haec benedictio secundum ius commune debet fieri ab episcopo, qui tamen etiam simplicem sacerdotem delegare potest. Rituale Romanum tit. 8, c. 29 habet «ritum benedicendi novum cœmeterium per sacerdotem ab episcopo delegatum». Qua benedictione accepta coemeterium fit locus sacer, a quo excluduntur cadavera haereticorum, excommunicatorum et quorumdam aliorum (cf. infra), quibus sepultura ecclesiastica propter crimen commissum denegatur. Quodsi quis non obstante lege ecclesiastica prohibente talia cadavera in coemeterio benedicto sepeliri mandaverit vel cogerit, excommunicationem nemini reservatam incurrit [1]. Qui autem scienter admiserit nominatim excommunicatos ad sepulturam ecclesiasticam, incurrit eo ipso interdictum ab ingressu ecclesiae [2]. Cum autem legibus civilibus modernis coemeteria saepe considerentur ut communia pro omnibus loci incolis sive catholicis sive acatholicis, est fere impossibile observare praedictum praeceptum benedicendi coemeterii et propterea sacerdos, dum funera peragit, benedicit singulas fossas vel singula sepulcra iuxta formulam in Rituali Rom. tit. 6, c. 3, n. 12 habitam. Qua benedictione sacerdotali fossa vel sepulcrum nihilominus non videtur fieri locus sacer proindeque non adest pollutio, si quis e. gr. committit suicidium super tale sepulcrum, neque necessaria est reconciliatio sepulcri post huiusmodi crimen. In quantum fieri potest Catholicorum cadavera non sepeliantur in talibus sepulcris benedictis, sed in coemeteriis solemniter benedictis [3].

---

[1] Bulla «Apost. Sedis». [2] Bulla «Apost. Sedis».
[3] S. Off. die 8 Iulii 1874.

Consecratio differt a benedictione coemeterii. Coemeterii consecratio, quae describitur in Pontificali Rom. (tit. de coem. bened.) et quae praecipue consistit in benedicendis quinque crucibus in diversis coemeterii partibus, unice ab episcopo fieri potest (etiam si agatur de coemeteriis regularium). Cum non ita differat quoad effectus a coemeterii benedictione, hodiernis temporibus rarissime fit. De benedictione coemeterii omnia ea valent, quae supra dicta sunt de benedictione ecclesiarum. Si quae sepulcra lapidea in coemeterio benedicto eriguntur, debent prima vice tantum benedici iuxta Rituale Rom. (tit. 6, c. 3, n. 12)[1]. Ratio est, quia sepulcrum lapideum construitur ex materia prorsus extranea et nullo modo ad coemeterium benedictum pertinente.

Q. 146. *Possitne coemeterium exsecrari sicut ecclesia?*

R. Negative proprie loquendo, cum ius nullam causam exsecrationis coemeterii afferat. Hinc etsi coemeterii muri vel cruces ab episcopo benedictae corruant, coemeterium non censetur exsecratum. In latiore sensu exsecratio coemeteriorum aliquando sumitur[2].

Q. 147. *Possitne coemeterium profanari sicut ecclesia?*

R. Affirmative ex legitima causa et cum legitima auctoritate. Summus Pontifex certe potest ex rationabili causa coemeterium benedictum vel consecratum convertere in usus profanos. Episcopus vero non potest propria auctoritate profanare coemeterium nisi ex similibus causis, quae licitam faciunt profanationem ecclesiae benedictae seu consecratae. Si agitur de venditione fundi coemeterii, etiam observandae sunt regulae

---

[1] Cf. S. C. R. 27 Maii 1876 et 4 Sept. 1880, Decr. auth. n. 3400 et n. 3524.

[2] Cf. Brabandere, Comp. iur. can. II, n. 752.

praescriptae in alienatione bonorum ecclesiasticorum. In pluribus regionibus lex civilis rigidas regulas de profanatione coemeterii praescribit e. g. in Germania.

Q. 148. *Quid sit notandum de pollutione coemeterii?*

R. 1. Quoties ecclesia polluitur (cf. supra q. 136), toties censetur etiam pollutum coemeterium contiguum[1] ecclesiae, non autem vice versa. Ita sententia communissima Doctorum nixa praesertim super c. 1 in VI° 3, 21: «Si ecclesiam pollui sanguinis effusione contingat, ipsius coemeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum: unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri. Secus si remotum fuerit ab eadem. Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto coemeterio (quamvis ecclesiae contiguo) debeat ecclesia reputari polluta, ne minus dignum maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur. — Non unum, sed plura coemeteria esse noscuntur, quae quamvis sibi cohaerentia, pariete tamen medio seiunguntur; ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.»

2. Coemeterium tum contiguum tum remotum (si tamen est benedictum) polluitur quattuor iisdem modis, quibus polluitur ecclesia[2].

3. Si coemeterium pollutum est, «antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri»[3].

4. Si coemeterium simul cum ecclesia pollutum est, reconciliatur reconciliatione facta ecclesiae[4]; si coemeterium solum pollutum est, reconciliandum erit «aspersione aquae solemniter benedictae, sicut in dedicationibus ecclesiarum fieri consuevit»[5]. Quae quidem reconciliatio ab episcopo debet fieri, si coemeterium fuit consecratum

---

[1] I. e. quando usque ad muros ecclesiae contingit.
[2] Cf. supra q. 136.
[3] Cf. supra n. 1.
[4] Cf. supra q. 138.
[5] C. 7 X 3, 40.

(quod rarissime accidit), secus autem, si sc. coemeterium fuit tantum benedictum, a quolibet sacerdote fieri potest[1]. Praelati regulares semper possunt propria coemeteria reconciliare, licet etiam fuerint consecrata[2].

5. Si coemeterium pollutum fuit per sepulturam excommunicati vitandi vel infidelis, priusquam reconciliatio fiat, exhumandum est cadaver, modo tamen ab aliis corporibus discerni queat[3]. Si talis casus nostris temporibus et in nostris regionibus occurreret, parochus deberet consulere episcopum qui, quid agendum esset, ordinaret.

Q. 149. *Quaenam immunitas competat coemeteriis?*

R. Coemeteriis eadem immunitas competit ac ecclesiis (cf. supra q. 139).

Q. 150. *Num liceat vendere vel locare locum sepulturae in coemeteriis?*

R. Coemeterium benedictum est locus sacer seu res sacra. Porro nunquam licet vendere vel emere rem sacram pretio temporali. Hoc enim esset simonia. Unde optimo iure Innocentius III scribit: «Abolendae consuetudinis perversitas apud montem Pessulanum (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiae persolvatur.»[4] Nihilominus usus invaluit multis in locis, pecuniam exigere pro sepultura in aliquo determinato loco coemeterii. Ut autem talis usus licitus sit, requiritur, ut emptor non acquirat

---

[1] Many (De loc. sacr. n. 148) docet hanc reconciliationem fieri posse etiam sine delegatione episcopi. Quae quidem sententia videtur in praxi tuta, quando agitur de casu, quo reconciliatio non potest convenienter differri. Cf. quae supra q. 138 dicta sunt de reconciliatione ecclesiae pollutae.

[2] Cf. infra t. II, q. 236.

[3] C. 12 X 3, 28; c. 27 et 28, D. 1 De consecrat.

[4] C. 13 X 3, 28.

dominium istius loci, sed tantum usum eo sensu, quod nullus alius in hoc loco per tempus plus minusve longum sepeliatur. Non igitur venditur vel locatur locus sacer, nam quilibet Christianus in unione cum Ecclesia moriens habet ius, ut suum cadaver in loco sacro tumuletur, et ne hoc quidem emptor intendit. Quod unice intendit est habere locum honorabiliorem et proprium in coemeterio benedicto. Hoc autem est pretio temporali aestimabile et a labe simoniae alienum. Hinc etiam in hac locatione vel venditione non videntur requiri formalitates necessariae pro alienatione bonorum ecclesiasticorum [1]. Dubitatur, an si quis habeat sepulcrum proprium, suis sumptibus emptum et aedificatum pro se et suis, vendere illud quoad proprietatem possit? Schmalzgrueber [2] cum sententia communi respondet negative, quia emptor non habet liberum dominium super aliquo loco coemeterii benedicti [3].

§ 2. *De sepultura.*

Q. 151. *Quinam habeant ius sepeliendi vel funera peragendi?*

R. Regula generalis est: Illi omnes habent ius funera peragendi, qui habent ius proprium coemeterium possidendi. Porro iure communi vel particulari ecclesiastico ius proprii coemeterii habent:

1. Omnes ecclesiae parochiales [4] et illae omnes ecclesiae, quibus tale ius ab episcopo legitime tributum est [5].

[1] Cf. Reiffenstuel in tit. de sepult. n. 68; Schmalzgrueber in tit. de sepult. n. 81.

[2] L. c. n. 82.

[3] In coemeterio civili seu non benedicto quilibet habet ius emendi vel locandi sepulcra, quia talia coemeteria non sunt loca sacra.

[4] C. 3 in VI° 3, 12; c. 1 et 10 X 3, 28.

[5] Cf. Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 33.

2. Ecclesiae regularium. Ita expresse statutum est pro ecclesiis Praedicatorum et Minorum in Clementinis[1]: «Huiusmodi quoque statuto et ordinationibus nostris adicimus ut fratres dictorum ordinum (Praedicatorum et Minorum) in ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis liberam (ut sequitur) habeant sepulturam, videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis et ecclesiis memoratis.» Vi communicationis privilegiorum idem ius competit omnibus regularibus. Notandum est regulares quidem valere, non autem teneri ad recipienda laicorum cadavera in propriis coemeteriis.

3. Monasteria monialium possunt habere coemeteria propria pro se suisque familiaribus, non autem pro extraneis. Ita sententia communis[2]. Ratio est, quia sicut non decet moniales mortuas efferri extra clausuram, ita non decet saeculares mortuos ferri intra clausuram. Inter familiares monialium numerantur puellae, quae in monasteriis monialium educantur[3] et famulae perpetuo servientes in monasterio. Istae familiares monialium possunt eligere sepulturam in coemeterio monasterii, quodsi non fecerint, sepeliuntur sicut ceteri saeculares. Funebria monialis defunctae facit confessarius ordinarius monasterii[4].

Q. 152. *In quo coemeterio quisque Christianus defunctus sepeliendus sit?*

R. 1. Regulares defuncti ordinarie loquendo debent sepeliri in proprio coemeterio ordinis. De his late agitur infra t. II, q. 246.

---

[1] C. 2 de sepult. 3, 7.

[2] Cf. Ferraris s. v. Sepultura n. 137; Schmalzgrueber in tit. de sepult. n. 18.

[3] S. C. C. 6 Iul. 1737.

[4] S. C. Ep. et Reg. 24 Apr. 1903; cf. infra t. II, q. 246.

2. Quilibet Christianus fidelis exceptis impuberibus et regularibus (nisi in uno casu cf. infra l. c.) potest libere eligere locum suae sepulturae [1].

3. Si quis sepulturam non elegerit, debet sepeliri in sepulcro maiorum [2]; si non habeat sepulcrum maiorum, debet sepeliri in coemeterio parochiali. Sepulcrum maiorum dicitur illud, in quo alicuius maiores seu ascendentes tamquam in proprio coemeterio requiescunt.

4. Si quis defunctus non potest absque periculo deportari ad coemeterium maiorum vel ecclesiae parochialis, sepeliri valet in quolibet coemeterio benedicto [3]. Quandonam autem periculum adsit, non est definitum. Generaliter loquendo nostris diebus nullum cadaver debet cum gravi incommodo ad longinquum coemeterium deportari.

5. Ut plurimum iure particulari decisum est, ubi sepeliendi sint illi, qui in aliquo hospitali moriuntur. Quodsi nihil iure particulari determinatum est, ius tumulandi defunctos in hospitali pertinet ad eos parochos, quorum fuerunt parochiani [4].

Q. 153. *Quaenam sint iura parochi quantum ad sepulturam?*

R. 1. Ad parochum pertinet peragere funera proprii parochiani, qui non aliam sepulturam in vita elegit. Ita ius commune. Propinqui et parentes non habent ius eligendi sepulturam pro defunctis consanguineis. Cum electio sepulturae a defuncto sit factum positivum, debet probari et non praesumi.

2. Etiamsi defunctus non in coemeterio parochiae sepeliatur, sed in alio ab illo libere electo, nihilominus plura iura proprio parocho competunt; quae accurate

---

[1] C. 1 X 3, 28; c. 2 et 4 in VI° 3, 12.
[2] C. 1 mox cit.
[3] C. 1 «Is qui» de sepultur. mox cit.
[4] S. C. C. 14 Maii 1881.

enumerantur in decreto S. Congr. Ep. et Reg. die 1 Aug. 1902 sc.: «Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam publici coemeterii», ad ecclesiam vero tumulantem pertinet, iusta funebria peragere tum in ecclesia tum in coemeterio. Si vero cadaver potest (permittentibus legibus civilibus) in ecclesiam prius asportari et deinde in coemeterium, parochi est comitari cadaver usque ad ianuam ecclesiae tumulantis et tunc omne eius ius cessat, quia conducere corpus ab ecclesia tumulante ad coemeterium pertinet ad illam et non ad parochum [1]. Ad parochum pertinet etiam portio canonica seu «quarta funeralium», nisi contraria consuetudo alicubi vigeat [2].

Longum est disserere de iure capituli cathedralis in aliquibus sepulturis. Nostris diebus consuetudine legitima vel lege particulari res dirimenda est [3].

Q. 154. *Quibusnam sepultura ecclesiastica deneganda sit?*

R. Ecclesiastica sepultura pars est christianae communionis, quae etiam post mortem manet; ideoque ab illa repelluntur qui viventes ea communione carebant vel tamquam publici peccatores ex hac vita migrarunt [4]. De negatione sepulturae ecclesiasticae Rituale Romanum tit. 6, c. 2 haec habet: «Negatur ecclesiastica sepultura paganis, iudaeis et omnibus infidelibus; haereticis et eorum fautoribus; apostatis a christiana fide; schismaticis et publicis excommunicatis maiori excommunicatione; interdictis nominatim, et iis qui sunt in loco interdicto eo durante; seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania hoc accidat), nisi ante mortem dederint signa poenitentiae; morientibus

[1] Cf. infra t. II, q. 247. [2] Cf. infra l. c.
[3] Cf. Many, De loc. sacr. n. 188 198.
[4] Cf. Devoti, Instit. can. l. 2, tit. 8.

in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa; manifestis et publicis peccatoribus, qui sine poenitentia perierunt; iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt sacramenta confessionis et communionis in Pascha et absque ullo signo contritionis obierunt; infantibus mortuis sine baptismo.» Quibus dictis pauca tantum addenda sunt:

a) Religiosus apud quem proprietas in morte inventa fuerit, «ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur» [1].

b) De iis, qui propria voluntate crematione (sui cadaveris) elegerunt et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto fer. IV 19 Maii 1886 [2] agendum (est) iuxta normas Ritualis Romani tit. «Quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam». Ita S. Congr. Inqu. 15 Dec. 1886. Unde ut propter crematione sit illicita sepultura ecclesiastica requiritur:

α) ut defunctus propria voluntate crematione elegerit. Ergo «quoties agitur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi (possunt) tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, crematione non propria defuncti voluntate electam fuisse». Ita idem decr. S. C. Inqu. 15 Dec. 1886;

β) ut in hac voluntate defunctus non obstante prohibitione Ecclesiae cognita usque ad mortem notorie permanserit. «In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus erit Ordinarius, qui accurate, perpensis omnibus adiunctis, id

[1] C. 6 X 3, 35; cf. c. 2 eiusdem tit.

[2] In hoc decreto statutum fuit non licere neque nomen dare societatibus cremationi cadaverum addictis, neque mandare ut sua aliorumve cadavera comburantur.

decernet, quod magis expedire in Domino iudicaverit.» Ita decretum mox cit. Quae quidem regula generaliter valet, quotiescumque parochus habet dubium, num sepultura ecclesiastica sit danda necne [1].

c) Quidam auctores ut Gousset, Icard, Craisson, Many aliique tenent, duellantibus, qui signa dederint poenitentiae et rite absoluti fuerint, posse donari sepulturam ecclesiasticam, saltem si ita sit consuetudo, quae quidem mitior sententia in praxim posse deduci videtur, si duellans nonnisi post plures dies moritur ex vulneribus in duello acceptis cum sinceris signis poenitentiae et cum absolutione a censura et peccatis [2].

CAPUT II.

DE ALTARIBUS ET DE SACRA SUPELLECTILI.

Q. 155. *Quaenam historice constent de usu, forma, materia et consecratione altarium?*

R. 1. Usus altarium tam vetus est quam cultus divinitatis. Unde tum apud paganos tum apud Iudaeos inde ab initio invenitur usus altarium in cultu divinitatis.

2. Forma altarium iam ab initio aerae christianae fuit ad instar mensae, supra quam D. N. Iesus Christus primus Eucharistiam celebravit [3]. Quando autem in catacumbis sacrificium Missae offerebatur, altare non raro

[1] In aliquibus regionibus est mos durantibus exsequiis exponere imaginem defuncti, sed S. R. Congregatio hunc morem reprobavit respondens die 30 Apr. 1896 quaesito: «An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exsequiae fiunt, tam praesente quam absente cadavere, exponi valeat eiusdem defuncti imago; et quatenus negative, an saltem tolerari possit huiusmodi usus, ubi viget? Negative quoad primam partem, et quoad alteram partem curandum, ut eliminetur abusus.» Decr. auth. n. 3898.

[2] Cf. Coll. Lac. V 190 480.

[3] Cf. Act 6, 2; 1 Cor 10, 21.

exstructum fuit super tumulum vel sepulcrum alicuius martyris et inde usus paulatim invaluit in qualibet ecclesia et in quolibet altari consecrato reliquias martyrum includere. Concilium Nicaenum II (a. 787) can. 7 prohibet omnino, ne sine reliquiis martyrum ecclesiae consecrentur: «Quaecumque templa consecrata sunt absque sacris reliquiis martyrum, in iis fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus; episcopus autem post haec templum consecrans sine sanctis reliquiis deponatur, ut qui ecclesiasticas traditiones transgressus sit.» Quibus ultimis verbis apparet tempore Concilii Nicaeni II iam traditionem exstitisse, reliquias in ecclesiis (et in altaribus) includere.

3. Materia altarium primis temporibus videtur fuisse lignum, ut patet ex S. Athanasio [1], S. Augustino [2] et praesertim ex S. Silvestro. Legitur enim in Breviario in festo Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris: «Quod si beatus Silvester postea in consecratione altaris Principis Apostolorum decrevit, ut deinceps nisi ex lapide altaria non aedificarentur, tamen basilicae Lateranensis altare fuit e ligno erectum.»

Dedicatio vel consecratio altaris primis temporibus solebat fieri insimul cum dedicatione vel consecratione ecclesiae; in unaquaque enim ecclesia ordinarie non fuit nisi unum altare. Ritus consecrationis altarium non semper idem fuit. In Sacramentario Gelasiano altaria consecrari dicuntur precibus aspersionibusque cum aqua mixto vino. Saeculo VI in consecratione altarium adhibebatur etiam unctio chrismatis, ut patet ex Conc. Agathensi (a. 506) can. 14: «Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari» [3]; et Conc. Epaonensi (a. 517) can. 26:

[1] Hist. Arian. n. 56 (Migne, Patr. Graec. 25, 760).
[2] Ep. 185, n. 27 (Migne, Patr. Lat. 33, 805).
[3] C. 32, D. 1 De consecrat.

«Altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non sacrentur.» [1] Aliquando tamen altaria consecrabantur separatim ab ecclesiae consecratione et quidem tum altaria fixa tum altaria portatilia (quae etiam vocabantur altare gestatorium, altare itinerarium, tabula, lapis itinerarius, altare viaticum). Immo aliquando videtur fuisse grandior numerus altarium, quare Concilium Meldense c. 8 praecipit: «altaria superflua destruantur» [2]. Altaria portatilia iam initio Ecclesiae in usu fuisse videntur, persecutione Christianorum hoc poscente. Venerabilis Beda († 735) expresse loquitur de altaribus portatilibus narrans de duodecim presbyteris: «Quotidie sacrificium Deo victimae salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra et tabulam altaris vice dedicatam» [3]; et Hincmarus Remensis († 882) in suis Capitularibus [4]: «Si necessitas poposcerit, donec ecclesia vel altaria consecrentur, et in capellis etiam, quae consecrationem non merentur, tabulam quisque presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore vel nigra petra aut litio honestissimo . . . habeat et nobis ad consecrandum offerat, quam secum cum expedierit, deferat.»

Q. 156. *Quaenam requirantur pro altari fixo?*

R. 1. Altare fixum vocatur illud, quod constat tabula seu mensa ex unico lapide confecta et stipite lapideo coniuncto cum mensa supraposita et sepulcro reliquiarum. Debet igitur altare fixum habere mensam ex unico lapide confectam, qui quidem lapis debet esse naturalis, non autem lapis artefactus [5]; pariter debet esse lapis unicus, unde S. R. Congregatio die 19 Maii 1896 respondit ad quaesitum: «An altare sive fixum, sive por-

---

[1] Habetur c. 31, D. 1 De consecrat.
[2] Habetur c. 18, D. 1 De consecrat.
[3] Hist. eccl. angl. l. 5, c. 10 (Migne, Patr. Lat. 95, 244).
[4] 3, c. 3 (Migne, Patr. Lat. 125, 794).
[5] E. gr. vulgo Beton, terrazo, pierre à plâtre. S. C. R. 29 Apr. 1887.

tatile, enormiter fractum, sed firmiter caementatum aut ex pluribus lapidibus efformatum valide et licite consecrari possit? Negative.» [1] Et eadem S. R. Congregatio die 20 Mart. 1891 decrevit: «si tamquam altare fixum consecrandum sit, rite construi debet cum tota mensa ex uno et integro lapide» [2].

Stipes altaris, quo sustentatur mensa, potest quidem partim constare muro ex lapidibus vel ex lateribus, sed «ut altare consecrandum sit lapideum, oportet ut etiam in eius stipite saltem latera seu columellae, quibus mensa sustentatur, sint ex lapide» [3].

Stipes et mensa debent esse coniuncta. Expedit quidem, ut ista coniunctio fiat caemento, sed hoc non

---

[1] Decr. auth. n. 3907.

[2] Altare fixum in materia indulgentiarum differt ab altari fixo in sensu liturgico, de quo unice hic sermo est. Unde si indulgentiae conceduntur altari fixo, sufficit, quod istud altare sit aliquo modo stabile et inamovibile, licet non sit consecratum et illi tantum sit superpositum altare portatile (S. R. C. 26 Mart. 1867 et 18 Iul. 1902). Haec prae oculis habenda sunt, si agitur de altaribus sic dictis privilegiatis, quae iuxta modernam praxim fere in omnibus ecclesiis exsistunt. Nunquam enim conceditur privilegium (indulgentiae plenariae animabus purgatorii applicandae pro qualibet Missa) alicui altari, nisi sit fixum in supradicto sensu latiore. Quantum ad altare privilegiatum haec breviter notentur:

a) Altare privilegiatum non est idem ac altare «Gregorianum ad instar». De hoc ultimo videsis Beringer, Die Ablässe n. 355.

b) Altare privilegiatum debet esse fixum in latiore sensu.

c) Datur altare privilegiatum locale et personale.

d) Altare dicitur privilegiatum pro defunctis tantum, quodsi raro casu altare est privilegiatum pro vivis et defunctis, tunc quilibet, sive vivens sive mortuus pro quo Missa in tali altari celebratur, lucratur indulgentiam plenariam positis ponendis (S. C. R. 25 Aug. 1897).

e) Haec indulgentia non potest applicari nisi uni animae et quidem eidem pro qua applicatur Missa (S. C. R. pluries e. gr. 19 Iun. 1880), non autem requiritur, ut sacerdos celebrans explicite habeat intentionem applicandi hanc indulgentiam alicui determinatae animae. Cf. S. R. C. 10 Nov. 1906.

[3] S. R. C. 7 Aug. 1895 ad 2, Decr. auth. n. 3364.

videtur esse necessarium de validitate, ut decrevit S. R. C. die 8 Iunii 1894 ad 1 [1].

Sepulcrum altaris (seu confessio) est aliquis loculus concavus, in quo reponitur vasculum sigillatum continens sacras reliquias [2]. Ordinarie sepulcrum paratur in parte superiore mensae in medio ita ut durante sacrificio Missae hostia vel calix ponatur super sepulcrum reliquiarum. Potest tamen etiam poni in stipite et quidem vel in parte anteriore, vel in parte posteriore vel in summitate stipitis immediate sub mensa [3]. In actu consecrationis altaris sepulcrum clauditur ab ipso episcopo [4].

2. Pro altari fixo, sicuti pro altari portatili requiritur omnino consecratio a legitimo ministro, ita ut non liceat celebrare Missam in altari non consecrato. Constat ex Rubricis Missalis p. 1, tit. 20 ubi dicitur: «Altare, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum et ab episcopo sive abbate facultatem a Sede Apostolica habente consecratum.» [5]

Minister consecrationis est episcopus dioecesanus vel sacerdos a Summo Pontifice delegatus. De altaribus in ecclesiis regularibus idem valet, quod supra dictum est de consecratione ecclesiarum regularium.

---

[1] Decr. auth. n. 3829. [2] Cf. Many, De loc. sacr. n. 116.

[3] Cf. Pontificale Rom. tit. de eccl. dedicat.

[4] Operculum non ex caemento, sed ex lapide confici debet. S. R. C. 30 Aug. 1901.

[5] Teste Schmalzgrueber in l. 3, tit. 40, n. 38 facultatem consecrandi altaria obtinuerunt Abbates Cassinenses, Abbates totius Ordinis Cisterciensis, Provinciales Ordinis Minorum et fratres ab ipsis delegati in missionibus Indiarum casu necessitatis et episcopo in provincia non exsistente, Religiosi Societatis Iesu degentes in remotissimis partibus, ubi catholicus episcopus inveniri facile non potest. — Leo XII const. «Plura inter» die 11 Iul. 1826 commisit Praeposito Societatis Iesu facultatem delegandi missionarios cum potestate «consecrandi calices, patenas, et altaria portatilia cum oleis ab episcopo benedictis, ubi non erunt episcopi, vel distant duas diaetas, vel sedes vacat». Cardinalis habet ius consecrandi altaria in ecclesia sui tituli. Ita concessit Leo XIII 25 Ian. 1879. Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. n. 1287.

Sub poena nullitatis, in consecratione altarium a consecratore reliquiae in sepulcro concludendae sunt. Istae reliquiae debent esse de ossibus plurium (vel saltem duorum) sanctorum martyrum. «Reponendae (sunt) in sepulcro reliquiae sanctorum martyrum» (S. R. C. 6 Oct. 1837). Ergo non sufficiunt Beatorum vel aliorum Sanctorum reliquiae, quae tamen licite adduntur reliquiis martyrum [1]. Insuper requiritur, quod sunt reliquiae ex ossibus martyrum, non ergo ex vestibus aliisque rebus ad ipsos pertinentibus [2].

3. Sive altare solum sit consecrandum sive cum ecclesia, vigiliae celebrandae sunt, sicut supra dictum est pro consecratione ecclesiae; eodem enim modo loquitur Pontificale pro utroque casu, verum ieiunium pridie non requiritur in consecratione solius altaris [3].

4. Quodlibet altare fixum debet habere titulum, e. gr. SS. Cordis, S. Dominici etc. nec sine Sedis Apostolicae licentia titulus semel altari datus mutari potest, nec licet imaginem titularis mutare cum alia (S. R. C. 10 Nov. 1906).

Q. 157. *Quomodo altare fixum consecratum exsecretur?*

R. Tribus modis sc.

1. si mensa mota sit a stipite. Const. c. 3 X 3, 40: «Altare vero in quo tabula, cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, mota vel enormiter fracta

---

[1] Ad validitatem consecrationis sufficeret, ut in sepulcro includerentur reliquiae unius solummodo martyris. S. C. R. 16 Febr. 1906.

[2] Valde convenienter simul cum reliquiis includitur in sepulcro documentum super pergamenam conscriptum sequentis vel similis tenoris: «Anno salutis ... die ... mensis Ego ... Episcopus consecravi altare hoc in honorem sancti ... et Reliquias sanctorum Martyrum ... in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis huiusmodi ipsum visitantibus quadraginta (centum si episcopus consecrans est cardinalis) dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessi.»

[3] Cf. Many, De loc. sacr. n. 120.

fuerit, debet non immerito consecrari.» (Cf. c. 1 eiusdem tituli.) Altare vero non exsecratur, si in stipite inferior pars mutetur, dummodo tamen superior pars immobiliter cum mensa coniuncta maneat vel si totum altare (nempe cum stipite et mensa) absque ulla disiunctione transferatur [1];

2. si mensa, licet immota a stipite, enormiter sit fracta. Patet ex locis citatis. Quaenam sit enormis fractio, iudicio episcopi relinquitur. Si tantum unus angulus tabulae frangitur, videtur esse fractio levis, aliter est, si fractio est per totam latitudinem vel longitudinem mensae;

3. si sepulcrum effractum sit vel si reliquiae sint amotae [2].

Q. 158. *Quid sit notandum de altari portatili?*

R. 1. Altare portatile debet constare unico lapide naturali, duro, integro et satis amplo, ita ut hostiam et saltem maiorem partem calicis supportare possit; non requiritur, quod sit lapis marmoreus, prohibetur autem lapis puniceus (S. R. C. 13 Iun. 1899).

2. Altare portatile superimponitur in medio altaris ex quacumque decenti materia constructi hoc modo, ut aliquantulum superficiem mensae superemineat, ita ut sacerdos celebrans facile dignoscere possit extensionem altaris portatilis neve calicem et hostiam extra illud ponat.

3. Sepulcrum debet esse in media superficie vel superiore vel inferiore, non autem in fronte lapidis [3]. Sepulcrum esse ponendum in s u p e r i o r e superficie lapidis,

---

[1] Cf. Reiffenstuel in tit. de consecr. eccl. n. 38.

[2] Cf. S. C. R. 14 Mart. 1861, Decr. auth. n. 3106.

[3] S. R. Congregatio ad quaestionem: «Quid iudicandum de illis lapidibus sacris, quorum sepulcrum non in medio sed in fronte effossum fuit?» respondit: «Dicti lapides in posterum non sunt admittendi, quoad praeteritum vero, cum commode fieri possit, iterum breviore formula consecrentur» (S. R. C. 13 Iun. 1899 apud Anal. Eccl. VIII 64). Quae responsio manifeste indicat lapides consecratos cum sepulcro in fronte non esse invalide consecratos ut patet etiam ex expressa responsione S. R. C. die 31 Martii 1887, Decr. auth. n. 3671.

ut volunt Many l. c. n. 128 et Vogt l. c. § 34, non potest sufficienter probari. — «Reliquiae recondendae sunt in sepulcro intra lapidem effosso, et claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto» [1], licet operculum ex metallo sufficeret saltem ad validitatem [2].

4. Altare portatile debet consecrari, vel ab episcopo dioecesano, vel ab alio episcopo per ipsum delegato, vel ab abbate alioque sacerdote a Summo Pontifice delegato iuxta formam in Pontificali praescriptam.

5. Altare portatile exsecratur a) si enormiter frangatur vel si sit magna scissura in illo [3]; b) si sepulcrum sit effractum vel amotum, vel reliquiae inclusae amoveantur [4].

Q. 159. *Quid sit sacra supellex?*

R. Sacra ecclesiarum supellex dicuntur omnia, quae ad cultum publicum inserviunt, ut vasa sacra, imagines sacrae, cruces, vestes sacerdotales, baptisterium, sedes confessionalis, campanae, quarum sonitu advocantur fideles ad ecclesiam etc. Cuncta haec, quae Deo data eiusque honori ac cultui dicata erant, in primaeva Ecclesia aliquando vocabantur «anathemata», quod essent a communi usu seiuncta [5].

De diversis partibus sacrae supellectilis pauca principia generalia brevitatis causa damus, cum penitior investigatio potius ad ius liturgicum videatur pertinere.

---

[1] S. R. C. 31 Aug. 1887 ad 2.

[2] S. R. C. 23 Iunii 1892, Decr. auth. n. 3779.

[3] S. R. C. 31 Aug. 1867, Decr. auth. n. 3162.

[4] Loco altarium portatilium orientalia habent sic dicta «Antimensia», quae sunt quaedam lintea nostris corporalibus satis similia, quae ab episcopo consecrantur et in quorum angulis deponuntur sacrae reliquiae. Tale antimensium extenditur super aliquod altare etiam non consecratum et tunc sacerdos super illud potest celebrare Missam. Requiritur specialis licentia Summi Pontificis, ut etiam sacerdos Latini ritus super antimensium Missam dicere possit. Benedictus XIV hanc licentiam concessit presbyteris Latinis in Russia Polonica degentibus (const. «Impositi nobis»).

[5] Cf. Devoti, Instit. can. l. 2, sect. 4, § 35.

1. Calicis et patenae materia, consecratio et exsecratio. Primis temporibus videtur Ecclesia nullas praescriptiones fecisse de materia calicis, cum calices adhiberi solerent ex stanno, ex lapide, ex vitro aliisque materiis. Iuxta modernam disciplinam praescribitur, ut cuppa calicis et patena sint ex stanno, aluminio [1], argento vel auro, et in omni casu interior pars cuppae et superior pars patenae debent ad minus esse deauratae [2]. Pes autem calicis potest esse ex cupro, aere, ferro etc., si ecclesiae sunt pauperes [3].

Calix et patena debent consecrari ab episcopo vel a sacerdote habente facultatem a Summo Pontifice [4]. Sacerdos, qui celebraret Missam cum calice non consecrato, pecaret mortaliter [5]. Calix et patena exsecrantur a) per amissionem formae suae [6], e. gr. si pes a cuppa per fractionem separetur; non autem, si pes sit tornatilis vel ex sua dispositione a cuppa separabilis [7]. Multo minus consecrationem amittit calix per aliquos ictus, nisi accedat fractio [8]; b) per novam deaurationem [9]; non autem probabilius si diuturnitate temporis penitus absumpta sit inauratio [10]. Attamen in hoc casu inauratio quantocius renovari debet. Cum calicem consecratum tangere laicis non liceat, casu quo aliquis calix consecratus ob maiorem decentiam denuo inaurandus est, requiritur licentia episcopi vel praelati regularis pro ipsorum ecclesiis. Pes tamen tornatilis calicis, cum cuppa sit tantum consecrata, in hoc casu etiam sine licentia separari potest a cuppa et tunc a quolibet tangi.

[1] S. R. C. 6 Dec. 1866.
[2] Cf. Rubr. gen. in Missali § 1, n. 11.
[3] Cf. Huguenin, Expos. inst. can. n. 712.
[4] Cf. supra q. 155 nota.
[5] Ita S. Thom., S. th. 3, q. 83, a. 3 ad 8.
[6] Schmalzgrueber in l. 3, tit. 40, n. 52.
[7] Schmalzgrueber l. c.
[8] Schmalzgrueber l. c.
[9] S. R. C. 14 Iun. 1845.
[10] Schmalzgrueber l. c. n. 53.

Clerici, prima tantum tonsura initiati tangere possunt vasa et lintea sacra ac calicem praeparare absque speciali indulto. Ita S. R. C. 23 Nov. 1906. Cf. infra t. II, q. 227 nota.

2. Vasa sacra, quae solummodo ad conservandam S. Eucharistiam (non autem ad sacrificium) destinantur ut pyxis seu ciborium, lunula ostensorii et custodia (repositorium), non quidem consecrari, sed benedici debent [1] ab episcopo dioecesano vel a sacerdote delegato. Ista vasa possunt benedici ab eo, qui facultatem habet ab episcopo delegatam benedicendi vestimenta sacerdotalia (S. R. C. 2 Dec. 1881; apud Bargilliat, Prael. iur. can. n. 1308). Abbates et praelati regulares gaudent privilegio benedicendi ista vasa [2]. Vascula, in quibus chrisma et olea sancta continentur, debent esse argentea vel stannea et propriis inscriptionibus distincta et convenienter (non autem ex stricto praecepto) benedicuntur.

Vasa sacra ad S. Eucharistiam continendam destinata debent esse ex cupro vel argento (vel auro) et valde convenienter deaurantur.

3. Paramenta sacra et linteamina altaris ab episcopo vel a sacerdote ab illo delegato benedici debent. Praelati regulares haec omnia benedicere possunt pro propriis ecclesiis. Paramenta sacra i. e. casula (planeta), stola, manipulus, dalmatica, cappa, humerale debent esse ex serico vel ex velveto (S. R. C. 17 Apr. 1893). Linteamina vero ut alba, superpelliceum, purificatorium, corporale, mappae altaris seu tobaleae etc. debent esse confecta ex puro lino; decentia ornamenta moderatae extensionis permittuntur ex serico acu picta.

---

[1] S. R. C. 16 Nov. 1649. Benedictus XIV, Instit. 21, 12. Reiffenstuel 3, n. 49. Idem valet de tabernaculo, quod in interiore parte debet esse deauratum vel saltem albo serico contectum. S. R. C. 20 Iun. 1899.

[2] Cf. infra t. II, q. 245.

4. Campanae, nolae, signa cloccae, per quas populus ad ecclesiam vocatur atque ad fundendas preces excitatur. Eorum usus a quibusdam dicitur introductus a S. Paulino Nolano, sed primum certum signum huius usus apparet saeculo VI in vita S. Columbae († 599)[1]. Omnes ecclesiae omniaque oratoria publica et semipublica (non autem oratoria privata) possunt habere campanas. Olim ecclesiis Mendicantium nonnisi una campana permittebatur[2], sed ex legitima consuetudine et privilegiis plures campanae in istis ecclesiis esse possunt.

Campanae ante usum debent benedici seu consecrari et quidem de iure communi ab episcopo dioecesano tantum, qui tamen hanc facultatem delegare potest etiam sacerdotibus (ex commissione Summi Pontificis). Praelati regulares sine speciali facultate Summi Pontificis non possunt campanas benedicere. Quibusdam vero abbatibus hoc privilegium concessum est. Campanae benedictae non debent pulsari in usus mere profanos, attamen episcopus potest permittere, ut campanae pulsentur aliquando in honorem alicuius principis civilis vel alicuius festivitatis civilis. Sic e. gr. in aliquibus regionibus pulsantur ecclesiae campanae, quando princeps civilis advenit in aliqua parochia, quando est causa gaudii vel tristitiae universalis, verbi gratia ob reportatam victoriam, ob fundationem dynastiae, ob mortem principis etiam protestantici etc. In his similibusque casibus ad episcopum pertinet decernere de pulsatione campanarum. — Quomodo regulares episcopo subiciantur quantum ad pulsationem campanarum vide infra t. II, q. 196.

---

[1] Cf. Devoti l. c. § 37 not. 2.

[2] C. un. in Extrav. comm. 1, 15.

CAPUT III.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET DIVISIONE BENEFICIORUM.

Praenotamen. Cum iam supra satis dictum sit de parocho, canonicis, vicario generali, episcopo etc., in hoc capite breviter attingimus tantum illa, quae ad beneficia quasi materialiter pertinent, prout nempe sunt ius percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ratione spiritualis officii. Beneficium enim datur propter officium[1]. Ad hoc accedit, quod nostris temporibus multa sunt mutata in re beneficiaria, ita ut plura quae veteres auctores de hac re in longum et latum disputaverunt, sint pro praxi moderna prorsus supervacanea. Damus tamen notiones generales, ita ut studentes valeant intelligere ea, quae in Corpore iuris aliisque fontibus de hac re scripta sunt.

Q. 160. *Quid sit beneficium ecclesiasticum?*

R. Beneficium vi nominis significat beneficam vel benevolam actionem. Apud Latinos scriptores profanos beneficium significat praedium fiscale quod ducibus ac militibus bene de republica meritis ab imperatoribus concedebatur, ut ex eo perciperent necessaria ad vitam ita ut deinceps proprio sumptu stipendia facerent[2]. Milites qui talia praedia ex principis elargitione possidebant, beneficiarii vocabantur. Hunc morem imitata est Ecclesia et simili modo inde a saeculo VI episcopi praedia conferebant clericis praesertim ad ecclesias rurales destinatis, ut ex reditibus eorum victum percipere

[1] C. 15 in VI° 1, 3.

[2] Cf. Du Cange, Gloss. med. et infim. lat. s. v. Beneficium. Devoti, Instit. can. l. 2, tit. 14, § 1.

possent, ex quibus praediis paulatim facta sunt beneficia pro clericis[1]. Loca tamen ex Decreto Gratiani saepe allegata probant tantum saeculo VI Concilia particularia diversas ordinationes fecisse de sustentatione clericorum et nihil aliud[2]. Adhuc tempore Innocentii III verbum beneficium non videtur habuisse determinatum sensum, nam c. 6 X 3, 24 donatio vocatur beneficium: «In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda.» Unde solebant distinguere beneficium latissime sumptum (prout est quaelibet actio benefica), beneficium stricte dictum, privilegium et rescriptum. Beneficium (stricte dictum) vocabatur «benevola actio sive liberalitas quaedam concessa sine alterius praeiudicio praeter ius commune». «Privilegium est benevola actio concessa contra ius commune.» «Rescriptum est benevola actio concessa secundum ius. Impetratur enim rescriptum ad iuris observantiam, uti mpetranti fiat iustitia, et hinc rescripta contra ius elicita non valent.»[3]

Similiter verba beneficium, officium, praebenda aliquando a scriptoribus (immo et in fontibus iuris) confunduntur. Sic e. gr. c. 2, C. I, q. 3 dicitur: «Si quis . . .

---

[1] Sägmüller, Kirchenrecht § 57.

[2] De historia rei beneficiariae scripsit: Stutz, Geschichte des kirchl. Benefizialwesens von seinen Anfängen bis auf die Zeit Alexanders III. (1895). Qui in toto opere conatur probare beneficia ecclesiastica ortum primitus duxisse ex beneficiis laicalibus Germaniae tempore Carolingiorum. Bene notat Devoti l. c.: «Primum parochialibus ecclesiis et iis quidem ruralibus adscriptae videntur oblationes, quae ad altare fiebant, salva earum tertia aut quarta parte, quae ad episcopum pertinebat (c. 7, C. X, q. 1). Paulo post iisdem ruralibus ecclesiis certi etiam ex fundis reditus tributi sunt. Conc. Aurelian. III, can. 5, col. 1424, t. II Coll. Harduin. Certe saeculo IX omnis ruralis ecclesia suas proprias decimas et fundos obtinebat (c. 25, C. XXIII, q. 8). Urbanae quoque parochiae eandem disciplinam postea acceperunt; et tunc potissimum, inducta partitione bonorum, certa clericis data sunt praedia quae ipsi administrarent et ex quibus ad vitam necessaria perciperent.»

[3] Ita Ferraris, Prompt. Bibl. s. v. Beneficium a. 1, n. 3—6.

Dei ecclesias vel ecclesiastica beneficia, quae quidam praebendas vocant, sub pecuniae interventu susceperit . . .» Et Alexander II scripsit a. 1068: «Constituimus itaque . . . ut nullus deinceps episcoporum beneficium ecclesiae, quod quidam canonicam (canoniam?) vel praebendas seu etiam ordines vocant. . . .» (Habetur l. c. c. 9.)

Accuratius autem ista tria sunt distinguenda: **Officium** ecclesiasticum est causa seu ratio beneficii, unde quis in poenam potest suspendi a beneficio, quin sit suspensus ab officio, sicut effectus potest separari a sua causa. Officia ecclesiastica tam antiqua sunt, quam ipsa ecclesia, ast beneficia ecclesiastica inde tantum a saeculo VI ortum duxerunt. Officium ecclesiasticum stricte dictum definiri potest: «ordinaria quaedam potestas ecclesiastica iure divino vel ecclesiastico definita, non arbitrio superioris ecclesiastici praesertim in collatione officii diminuenda vel augenda, nisi specialis quaedam exceptio possit probari, ut accidit in officio vicarii generalis mandatis specialibus restricto vel aucto» [1], vel brevius: officium ecclesiasticum est munus clerico commissum pro determinato (sed habituali) exercitio ordinis et potestatis ecclesiasticae. — Aliquando autem officium sumitur speciali sensu prout opponitur Dignitatibus et personatibus, et tunc significat beneficium, quod annexam habet aliquam administrationem sine honoris praerogativa et sine iurisdictione, quemadmodam antiquitus erat sacrista et post Tridentinum sunt canonicus theologus et canonicus poenitentiarius [2].

Praebenda sunt fructus, reditus et emolumenta, quae clericis certo obveniunt ecclesiasticorum officiorum et beneficiorum causa. Vocatur etiam dos beneficii [3]. Clare et succincte scribit Santi (in l. 3, tit. 5): «In genere

[1] Ita Wernz, Ius decr. II, n. 240.
[2] Cf. Santi in l. 1, tit. 23 De officio archidiaconi, et supra q. 98.
[3] Cf. Devoti l. c. tit. 14, § 3.

vocabulum praebenda exprimit quamcumque perceptionem fructuum bonorum ecclesiasticorum; in specie vero significat beneficium ecclesiasticum et in sensu rubricae (titulus 5 inscribitur enim ‚De praebendis et dignitatibus') exhibet illam classem beneficiorum, quae a Dignitatibus distinguuntur, ea sc. quibus nec praeeminentia honoris nec iurisdictio, sed administratio quaedam seu custodia rerum ecclesiasticorum annexa est».

Beneficium est «ius perpetuum auctoritate ecclesiastica constitutum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum». Huius definitionis singulas partes paucis oportet evolvere. Dicitur:

1. Ius. In beneficio includitur essentialiter duplex ius: ius exercendi munus spirituale, e. gr. parochi, canonici etc., et ius percipiendi reditus temporales. Utrumque ius potest vocari spirituale ius; primum sc. per se et ratione sui et alterum ratione primi, cui indissolubiliter connexum est.

2. Perpetuum. Duplex perpetuitas in quolibet beneficio invenitur, una essentialis (perpetuitas iuris) seu obiectiva, quae significat perpetuam fundationem ipsius muneris spiritualis[1]: hinc fundatio temporalis, e. gr. per quinque annos celebrandi Missam quotidie in aliquo altari, non est beneficium; altera subiectiva (ordinaria, normalis), quae efficit, ut clericus beneficio fruatur quoad ipse vixerit. Collatio beneficii ob hanc perpetuitatem dicitur intitulatio. Clericus tali beneficio investitus non potest ab illo amoveri sine gravi causa servatis regulis

[1] Haec fundatio muneris spiritualis debet ordinarie loquendo esse undequaque circumscripta, dantur tamen ecclesiae sic dictae recepticiae seu non numeratae, in quibus non determinatus numerus beneficiatorum assumitur, sed tot canonici vel beneficiati vel mansionarii admittuntur, quot possunt ex reditibus massae communis sustentari. Quare in istis ecclesiis perpetuitas obiectiva competit massae communi, de cuius reditibus beneficiati vivunt, non autem determinato numero officiorum. Cf. c. 9 X 1, 2; c. 8 in VI° 3, 7.

iuris. In hoc sensu loquimur de parochis inamovibilibus. Subiectiva tamen perpetuitas non est de essentia beneficii et proinde non competit nisi beneficiis perpetuis seu titulatis. Beneficia vero manualia, quae iuxta sententiam communiorem [1] sunt vera beneficia, non requirunt perpetuitatem subiectivam, e. gr. succursalistae seu parochi ad nutum amovibiles obtinent beneficia perpetua, sed non perpetuo seu ad vitam [2].

3. Auctoritate ecclesiastica constitutum, i. e. a Summo Pontifice vel ab episcopo legitime erectum et beneficiato legitime collatum [3]. Ratio est, quia beneficium confertur propter officium ecclesiasticum spirituale. Porro nemo potest instituere officium ecclesiasticum spirituale vel alicui tale officium conferre, nisi illi, quibus competit regimen Ecclesiae, sc. Ordinarii et Summus Pontifex [4]. Ex quo sequitur laicum non posse fundare nova beneficia, et fundationes a laicis factas vel capellanias laicales minime esse beneficia ecclesiastica, sed pias tantum fundationes, nisi tamen ab episcopo erigantur in titulum seu beneficium [5]. In casu dubii, utrum aliqua pia fundatio sit beneficium ecclesiasticum necne, adeunda est S. Congregatio Concilii.

4. Percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis. Ergo dominium ipsius beneficii prorsus apud ecclesiam residet et beneficiatus nonnisi fructus percipit. Unde beneficiatus nullas mutationes vel alienationes beneficii facere potest sine praevia legitima licentia ad normam

---

[1] Cf. Reiffenstuel in tit. 40, l. 5, n. 52; Ferraris s. v. Beneficium a. 1, n. 50; Schmalzgrueber in h. t. n. 34.

[2] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 57. [3] Cf. c. 4 X 3, 36.

[4] Si quando principes aliique laici videantur conferre aliquod beneficium, id non faciunt iure ordinario, sed ex speciali privilegio vel delegatione auctoritatis ecclesiasticae. Cf. Laymann, Theol. mor. l. 4, tract. 2, c. 1.

[5] De fundatione capellaniae laicalis videsis plura exempla apud Lingen-Reuss, Causae selectae S. C. C. 425 sqq.

Extravagantis «Ambitiosae» in Bulla «Apost. Sedis». Illi fructus debent provenire aliquomodo ex bonis ecclesiasticis, quare, si quis unice patrimonio privato victum accipit gerens aliquod officium ecclesiasticum, non est proprie beneficiatus nec eius officium potest vocari beneficium. Cum in non paucis regionibus gubernium civile saecularizaverit bona ecclesiastica et loco ipsorum clericis quasdam pensiones annuas solvat, dubitatum fuit, utrum talia salaria induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum et proinde annexam habeant obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis et residendi sub poena non faciendi fructus suos. Sed S. Poenitentiaria die 19 Ian. 1819 respondit affirmative, ut iam alias a S. Sede rescriptum fuit [1].

Ad reditus beneficiales pertinent praeterea:

a) contributiones fidelium per modum taxae impositae, quando aliter congrua sustentatio haberi non potest (vulgo: Kirchensteuer, denier du culte);

b) oblationes fidelium, quae vi consuetudinis vel statuti dantur parochis ratione sui officii (e. gr. «iura stolae»);

c) stipendia Missarum fundatarum, quae cum beneficio unita sunt. Secus dicendum est de stipendiis manualibus [2].

5. Propter officium sacrum. Ut genuina notio beneficii habeatur, ius ad reditus debet procedere ratione officii vere spiritualis et sacri, quod ad minus supponit primam tonsuram clericalem. Ex quo sequitur 1. quod officium aeditui, sacristani, custodis, fossoris etc. minime est beneficium ecclesiasticum, et 2. quod laico non potest conferri beneficium et talis collatio est ipso facto nulla et irrita. Potest tamen Papa cum aliquo laico dispensare,

[1] Cf. Santi l. c. in t. 5, n. 13.

[2] Cf. Bargilliat, Prael. iur. can. n. 1384.

ut possit beneficium recipere et postea quamprimum tonsurari [1].

Q. 161. *Quaenam sint beneficiorum praecipuae divisiones?*

R. Cum in quolibet beneficio sit etiam sacrum officium, quandoque divisiones sumuntur ex parte officii et quandoque ex parte beneficii. Ex parte officii divisio est in

1. beneficia maiora et minora. Maiora dicuntur omnia illa, quibus coniuncta est iurisdictio episcopalis seu quasiepiscopalis. Papatus, cardinalatus, episcopatus, abbatia, prioratus cum iurisdictione quasiepiscopali [2], quae beneficia cum habeant supereminentem excellentiam in Ecclesia, non comprehenduntur in odiosis (e. gr. in censuris) sub nomine generico beneficiorum. Vocantur etiam apices dignitatum. Minora beneficia dicuntur quae sunt episcopalis et quasiepiscopalis iurisdictionis et dignitatis expertes, e. gr. officium canonici, parochi etc.

Ex parte beneficiorum dividuntur ratione status seu personarum:

2. beneficia duplicia et simplicia. Beneficia simplicia in sensu iuris ea dicuntur, quae unicum et simplex officium includunt, sine iurisdictione externa et cura animarum vel administratione vel praeeminentia speciali honoris, e. gr. beneficium simplicis canonici (in ecclesia collegiata). Beneficia duplicia in sensu iuris dicuntur ea, quibus annexa est vel iurisdictio externa, vel cura animarum, vel administratio, vel praeeminentia specialis, e. gr. beneficium archidiaconi, canonici curati etc. Iuxta hodiernam praxim vero beneficia duplicia solent vocari quae requirunt residentiam, beneficia vero simplicia (seu non residentialia) ea, quorum officium

---

[1] Cf. Ferraris s. v. Beneficium a. 1, n. 12.

[2] Cf. Santi l. c. n. 15.

ubique impleri potest, e. gr. recitatio privata horarum canonicarum, onus Missae ubicumque celebrandae etc.[1] Santi putat canonicatus ecclesiae cathedralis neque esse proprie beneficia duplicia neque proprie simplicia; sed videtur esse tantum lis de nomine[2];

3. beneficia saecularia et regularia, prout ex sui fundatione vel ex statuto vel legitima consuetudine aut solis clericis saecularibus aut solis clericis regularibus conferri possunt[3]. Beneficia regularia sunt parochiae monasteriis incorporatae, de quibus videsis supra q. 83. Inter beneficia saecularia et regularia medium quasi locum tenent commendae regulares, quae committuntur clerico saeculari cum iure fruendi reditibus alicuius abbatiae vel prioratus et cum onere providendi de congrua sustentatione monachorum. Lapsu temporis haud pauci et haud parvi abusus orti sunt ex commendis, ita ut iam Conc. Trid. sess. 25, c. 21 de reform. huic malo remedium afferri ordinaverit. Hodie fere nullibi exsistunt commendae regulares, ubi vero exsistunt, non possunt conferri nisi a Summo Pontifice[4];

4. beneficia patrimonialia vel non patrimonialia, prout ex statuto vel consuetudine membris tantum alicuius familiae aut incolis alicuius regionis conferri possunt, vel omnibus clericis idoneis. Talia beneficia patrimonialia plura exsistunt in Curia Romana, e. gr. beneficium Magistri Sacri Palatii semper obtinetur ab aliquo membro Ordinis Praedicatorum.

Ex modo quo conferuntur, distinguuntur:

5. beneficia collativa seu liberae collationis, quae a legitimo superiore ecclesiastico libere conferuntur sine praevia praesentatione vel electione ab aliis facta;

---

[1] Cf. Santi l. c. n. 14 et 17.
[2] C. etiam Devoti l. c. § 7.
[3] Cf. Ferraris s. v. Beneficium a. 1, n. 15—19.
[4] Ib. n. 29.

beneficia electiva, quae conferuntur electione legitima, accedente confirmatione superioris ecclesiastici competentis;

beneficia patronata, quae conferuntur a superiore ecclesiastico, sed ad praesentationem patroni.

Ratione durationis distinguuntur:

6. beneficia perpetua, quae conferuntur irrevocabiliter, ita ut auferri nequeant, nisi ex causis in iure expressis;

beneficia manualia, quae ad nutum conferentis auferri possunt, ita ut illis non competat perpetuitas subiectiva, sed tantum obiectiva, ut supra dictum est.

Scholion. In sensu stricto beneficia ecclesiastica non sunt canonia, capellania, coadiutoria, commenda, praestimonium, pensio; sed quia saepe in iure canonico de his omnibus sermo occurrit, paucis singula explicantur. De canonia dictum est satis (q. 98i, nota), de commenda supra n. 3, de coadiutoria q. 82; restat igitur pauca addere de capellania, praestimonio et pensione.

Capellania est fundatio ab Ecclesia acceptata, qua sacerdos debet Missarum determinatum numerum dicere (determinato loco) et ius habet percipiendi fructus a pio fundatore designatos. Aliquando capellaniae eriguntur in vera beneficia, et tunc ea omnia valent, quae supra de beneficiis dicta sunt. Capellaniae, quae non sunt beneficia ecclesiastica, solent vocari capellaniae laicales aut capellaniae mercenariae [1]. Obligationes capellaniae annexae vi fundationis debent adimpleri, et quidem eo modo, quem legitima consuetudo vel declaratio authentica determinavit. In casu dubii recurrendum est ad S. Congr. Concilii. Aliquando capellaniae laicales vocantur etiam fundationes aliorum operum piorum, e. gr. ex reditibus alicuius fundi educare orphanos. In quo

[1] Cf. Ferraris s. v. Capellania.

casu et laicus talem capellaniam obtinere potest [1]. Omnis capellania laicalis sive fundatio pia subiacet vigilantiae et iurisdictioni episcopi, neque contrarium stipulari potest in fundatione illius [2].

Praestimonium seu portio praestimonialis est stipendium determinatum ex reditibus bonorum Ecclesiae concreditorum alicui clerico concessum ad studia sua perficienda vel ad victum sibi comparandum. Nunc breviter solent vocari stipendia studiorum vel annua alimenta. Quando praestimonium conceditur in perpetuum cum officio sacro est verum beneficium [3].

Pensio est «ius percipiendi portionem aliquam fructuum ex beneficio alieno, alicui iusta de causa sive ad tempus sive in perpetuum concessum» [4]. Alia est laicalis, quae datur ob ministerium temporale et etiam laico conferri potest, e. gr. aedituo, oeconomo etc., alia clericalis, quae nonnisi clerico confertur. Pensio clericalis iterum duplex est: altera simpliciter spiritualis, quae datur ob ministerium spirituale, e. gr. coadiutori episcopi vel parochi; altera media seu mixta, quae confertur ob alias rationes sufficientes, e. gr. parocho seni et debilitato, clerico pauperi vel clerico resignanti. Nostra aetate consuetudo imponendi pensiones fere ubique feliciter exstincta est. In unaquaque enim dioecesi aliis modis provisum est pro clericis aegrotis vel laboris incapacibus. Potestas imponendi pensiones est penes Summum Pontificem et nonnisi imperfecto modo apud episcopum cum consensu capituli. Clericus, qui recipit pensionem ecclesiasticam, debet quotidie recitare officium B. M. V. Si tamen ex alio titulo tenetur dicere officium divinum, obligatio officii B. M. V. cessat [5].

---

[1] Cf. Ferraris l. c. n. 63, et Santi in l. 3, tit. 5, n. 32.

[2] S. C. C. 19 Iul. 1902, apud Anal. Eccl. X 331 sqq.

[3] Cf. c. 8 in VI° 3, 7. [4] Schmalzgrueber in l. 3, tit. 12, n. 2.

[5] Cf. Santi l. c. n. 35; Wernz II, n. 321; Sägmüller, Kirchenrecht § 67.

ARTICULUS II.

DE ERECTIONE ET INNOVATIONE ET SUPPRESSIONE BENEFICIORUM.

Q. 162. *Quid iure praescriptum sit pro erectione beneficiorum?*

R. 1. Erectio maiorum beneficiorum reservatur iuxta modernam praxim Romano Pontifici. Hinc novi episcopatus, prioratus, novae abbatiae non possunt erigi sine licentia S. Sedis. Pariter Summo Pontifici reservata est erectio capitulorum cathedralium et collegiatarum (cf. supra q. 96).

2. Erectio minorum beneficiorum pertinet ad episcopum. Requiritur tamen aliquando consensus capituli.

3. In multis regionibus ex Concordatis initis requiritur etiam licentia gubernii civilis ad erectionem beneficiorum.

4. Quando nova beneficia eriguntur, observanda sunt omnia, quae ad essentiam beneficii pertinent (cf. supra q. 59) et quae aliquando insuper iure particulari praescripta sunt.

Q. 163. *Quid sit et quomodo fiat innovatio beneficiorum?*

R. 1. Innovatio beneficiorum ecclesiasticorum est omnis mutatio status primitivi illorum, sive quoad iura sive quoad obligationes.

2. Fit translatione, transformatione, divisione et unione.

Q. 164. *Quid sint translatio et transformatio beneficiorum?*

R. 1. Translatio est amotio beneficii ab uno loco in alium, quin ipsum beneficium in se mutetur. (Conc. Trid. sess. 21, c. 7 de reform.) Requiruntur pro translatione ea omnia, quae requirerentur, si beneficium nunc de novo erigeretur, sc. legitima potestas, iusta causa.

2. Transformatio est mutatio intrinseca beneficii, e. gr. beneficii curati in beneficium non curatum, parochiae saecularis in parochiam regularem etc. Pro transformatione requiruntur omnia, quae pro erectione vel suppressione beneficiorum praescripta sunt. Generatim loquendo requiritur licentia S. Sedis.

Q. 165. *Quid iure praescriptum sit de unione beneficiorum?*

R. 1. Unio beneficiorum est duorum vel plurium beneficiorum aut ecclesiarum a legitimo superiore facta coniunctio [1].

2. Unio est duplex: temporalis, quando duo vel plura beneficia coniunguntur in persona clerici, cuius morte haec unio cessat; perpetua, quando duo vel plura beneficia coniunguntur sine ullo respectu ad personam clerici possidentis plura beneficia. De unione temporali beneficiorum solet agi in capitulo de pluralitate vel de incompatibilitate beneficiorum. Inde a saeculo V Summi Pontifices et Concilia generalia fere continuo laboraverunt contra pluralitatem illicitam beneficiorum, sed nihilominus multos graves abusus in hac materia diversis temporibus viguisse negari non potest. Avaritia ducti clerici iterum iterumque conati sunt cumulare beneficia, et quidem non in vanum. Eorum illicita tentamina tandem fregerunt saecularizatio et direptio bonorum ecclesiasticorum a guberniis civilibus facta. Cum ex pluralitate beneficiorum minuatur cultus divinus, ecclesia orbetur operariis necessariis; alii ministri pauperes sustentatione convenienti priventur, et aditus late patescat vitiosae ambitioni, avaritiae, simoniae, personarum acceptioni, communis sententia cum S. Alphonso (l. 4, n. 117) docet, hanc beneficiorum pluralitatem secundum se esse contra ius naturale, quando unum beneficium

[1] Cf. Santi in l. 3, tit. 5, n. 89.

sufficit ad congruam sustentationem beneficiati, ideoque nec Summum Pontificem posse licite concedere talem pluralitatem. Nostra aetate omnes abusus de illicita pluralitate beneficiorum videntur ubique esse aboliti. Generalis regula est: omnia beneficia residentialia et maiora sunt incompatibilia, et si requiratur dispensatio a lege incompatibilitatis, recurrendum est ad S. Sedem[1].

3. Unio perpetua beneficiorum triplici modo fieri potest:

a) exstinctione, quando ex duobus beneficiis fit unum tertium, ita ut utriusque prioris exsistentia exstinguatur, e. gr. ex duabus parochiis fit una. Privilegia utriusque beneficii exstincti solent transire in novum tertium;

b) subiectione (vocatur etiam unio minus principalis), quando unum beneficium inferius alteri superiori accessorie unitur. Beneficium hoc modo unitum amittit titulum, quem habuit, acquirit vero qualitates et privilegia beneficii cui subicitur;

c) annexione (vocatur etiam unio aeque principalis vel subiectiva), quando duo vel plura beneficia ita (perpetuo) uniuntur, ut sit quidem unus rector seu beneficiatus, sed unumquodque beneficium retineat suum titulum, sua iura et privilegia, perinde ac si unio facta non fuisset. Huius unionis exemplum exstat in diversis parvis episcopatibus Italiae, quorum duo vel tres committuntur uni eidemque episcopo.

4. Ad legitimam beneficiorum unionem faciendam requiritur legitima auctoritas et legitima causa, de quibus fere eadem valent, quae dicta sunt de creatione beneficiorum[2].

5. Possunt quidem episcopi unire beneficia curata inter se vel beneficia non curata cum curatis, non autem

---

[1] Pro ampliore doctrina in hoc puncto videsis Craisson, Man. iur. can. 5417 sqq, vel Wernz II, n. 317 sqq.

[2] Cf. Wernz II, n. 271—273.

beneficia curata cum non curatis, et hoc praecipue valet de parochiis. Voluit enim Concilium Tridentinum ut «ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus militiisve non uniantur» (sess. 24, c. 13 de reform.). Haec prohibitio videtur intelligenda de unione canonica proprie dicta, vi cuius monasterium vel capitulum vel seminarium clericale acquireret titulum parochialem proindeque curam habitualem, reciperet reditus parochiae, atque pro cura actuali animarum tantum deputaretur vicarius. Nihil autem obstat, quominus *semiplena* uti dicunt *incorporatio*[1] parochiae cum monasterio, capitulo vel seminario ab episcopo efficiatur[2]. Nam episcopus liber est — nisi alicubi adhuc obstet lex concursus — conferre parochiam cuilibet sacerdoti idoneo. Quare ergo non posset conferre semper aliquam parochiam vel rectori seminarii vel alicui canonico ecclesiae cathedralis, vel religioso alicuius conventus? Commentatores super tit. 37, l. 3 «De capellis monachorum et aliorum religiosorum» solent distinguere triplicem incorporationem, sc. *semipleno iure*, si parochia committitur e. gr. alicui monasterio, ita ut reditus illius ad monasterium pertineant, sed cura animarum exerceatur a vicario praesentato et sustentato a monasterio, canonice vero instituto ab episcopo. Ut patet, talis parochia remanet saecularis[3];

pleno iure, quando parochia tum quoad officium tum quoad beneficium unitur cum monasterio, ita ut

---

[1] *Incorporatio* consistit in eo, quod beneficium praesertim parochiale non directe alicui alteri beneficio, sed cuidam monasterio vel capitulo vel seminario uniatur. Est igitur incorporatio non propria unio in sensu canonico; reducitur tamen ad illam et recenseri solet ut modus unionis.

[2] Cf. Icard, Prael. iur. II, n. 598.

[3] Cf. Wernz II, n. 254 Scholion.

etiam administratio curae animarum competat capiti monasterii. Haec incorporatio facit parochiam regularem, quae quidem regitur a vicario approbato ab episcopo. Iste modus incorporationis solet adesse, quando aliqua ecclesia regularis fit simul parochialis [1]. Quomodo in hoc casu parochus regularis vel vicarius deputatus pro administratione parochiae dependeat a iurisdictione episcopi dicitur infra t. II, q. 183;

plenissimo iure, quando non tantum parochia fit regularis, sed ipse populus eximitur a iurisdictione episcopi et subicitur superiori monasterii. Per hanc unionem parochia et ecclesia efficiuntur «nullius». Raro haec unio nostris diebus fit. Regula generalis est: In dubio quaenam unio parochiae cum monasterio (vel capitulo vel seminario) adsit, ea quae est minor praesumenda est. Ratio est: in dubio stat praesumptio pro episcopo, cuius libera administratio limitatur unione beneficii [2]. Quaestio pro praxi magni momenti ex unione parochiae cum monasterio oritur sc. quid iuris seu potestatis habeat praelatus monasterii in parochum et parochianos? An e. gr. posset ipse vel alius libere delegatus ab illo valide et licite assistere in celebratione matrimonii et quidem sine assensu vicarii pro administratione parochiae habitualiter deputati? In casu quo parochia plenissimo iure est unita monasterio, praelatus regularis fere omnia iura exercere potest, quae episcopus dioecesanus habet in qualibet suae dioeceseos parochia [3]. In casu quo parochia est unita monasterio semipleno iure praelatus regularis nullam videtur habere iurisdictionem in subditum suum, qui ex institutione episcopi administrat parochiam, in quantum parochus est. Eius iurisdictio tamen in

---

[1] Cf. Santi in h. tit. 37, l. 3.
[2] Cf. Schmalzgrueber in l. 3, tit. 5, n. 192.
[3] Schmalzgrueber l. c. n. 193.

talem subditum, ut est religiosus, remanet integra. Et ita videtur decisum a S. C. Concilii die 18 Dec. 1847[1]; nam ad quaesita n. 1: An curato vicario absente Prior localis quantumvis ab episcopo non approbatus, possit eius vices gerere; n. 2: An etiam praesente vicario curato Priori locali liceat se immiscere negotiis curam animarum concernentibus, respondit: Ad utrumque negative. — In casu quo parochia sit monasterio unita pleno iure, responsio S. C. C. modo data videtur etiam esse applicanda, nisi tamen ex speciali statuto episcopi vel ex consuetudine legitima praelatus regularis pro tempore ipse semper sit vicarius curatus. In Anglia haec consuetudo multis in locis exsistit, aliter est in Hollandia.

Q. 166. *Quid sit notandum de divisione vel dismembratione beneficiorum?*

R. Sufficit recolere ea, quae supra q. 76 de dismembratione parochiarum dicta sunt.

Q. 167. *Quid iure servandum sit in suppressione beneficiorum?*

R. 1. Debet esse legitima auctoritas sc. Summus Pontifex pro beneficiis maioribus, episcopus pro beneficiis minoribus. Civilis potestas nulla beneficia ecclesiastica supprimere potest, nisi Concordato vel alio modo talis facultas illi a Summo Pontifice concessa sit.

2. Debet adesse legitima causa sc. necessitas vel evidens utilitas Ecclesiae.

3. Debent observari solemnitates canonicae sc. inquisitio canonica de sufficientia causae, vocatio illorum, quorum interest, consensus capituli cathedralis, et si est beneficium iuris patronatus, consensus patroni[2].

---

[1] Totam discussionem istius casus invenis supra q. 83.

[2] Cf. Wernz II, n. 276 sqq.

ARTICULUS III.

DE VARIIS MODIS QUIBUS BENEFICIA ACQUIRUNTUR ET CONFERUNTUR.

Q. 168. *Cuiusnam sit conferre beneficia ecclesiastica?*

R. 1. Cum Ecclesia catholica non tantum sit societas perfecta et proinde sui iuris, sed etiam societas vere monarchica [1], evidenter sequitur, neminem posse conferre aliquod beneficium vel officium vere ecclesiasticum sine auctoritate explicita vel implicita Summi Pontificis. Ita docent nunc omnes auctores catholici. Conc. Trid. sess. 23, can. 7 definivit: «Si quis dixerit . . . eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit.»

Ex hoc principio fundamentali facile deducitur, neque populum neque principes civiles posse proprie conferre beneficium ecclesiasticum, neque posse deponere beneficiatum a suo beneficio. Unde si imperatores Byzantini propria auctoritate instituerunt et deposuerunt episcopos, illicite et invalide egerunt, et si in Occidente imperatores sibi arrogaverunt Investituram vel «regium placet» seu ius Regalium, vel si populus attentat sibi eligere parochos, haec omnia sunt Ecclesiae iniuriosa et inde a limine invalida [2].

2. Iuxta disciplinam nunc vigentem regula generalis est: Officia et beneficia maiora conferuntur a Summo Pontifice, officia vero et beneficia minora conferuntur ab episcopo. Quomodo haec regula generalis in praxi applicetur, tradetur quando de singulis officiis sermo erit.

---

[1] Syllabus Pii IX, Prop. 19 20 34.

[2] Circa potestatem principis civilis in collatione beneficiorum ecclesiasticorum praecipue erraverunt Marsilius Patavinus, Reformatores saec. XVI, Edm. Richerius, Marcus Antonius de Dominis, van Espen, Gallicani, Iosephinismus.

Q. 169. *Quibus modis beneficia ecclesiastica communiter acquirantur?*

R. Ordinarie [1] loquendo tribus modis scilicet:

1. electione vel postulatione, cui accedat oportet confirmatio superioris [2] vel admissio [3];

2. praesentatione patroni, cui accedere debet ex parte superioris ecclesiastici institutio canonica sive collativa tituli [4];

3. collatione libera [5].

In unoquoque acquisitionis modo tria possunt distingui sc. designatio personae, concessio tituli (quae semper fit a superiore ecclesiastico) et introductio in actualem possessionem beneficii, quae etiam vocatur institutio corporalis, vel installatio, vel investitura, vel inthronizatio. Cum omnia haec nomina in re beneficiaria habeant determinatas et distinctas significationes, quas non semper habent ex communi acceptione, confusio sedulo vitanda est. Praecipue non confundenda est institutio canonica cum institutione corporali et institutione authorizabili [6].

---

[1] De extraordinaria provisione beneficiorum videsis Wernz II, n. 284.

[2] C. 11 et 32 X 1, 6. [3] C. 3 X 1, 5.

[4] Reg. 1 iur. in VI°.

[5] C. 16 in VI° 3, 4.

[6] In materia beneficiali verbum institutionis sumitur quadrupliciter:

1. g e n e r i c e pro quocumque provisionis modo legitimo, sive talis provisio fiat per electionem, sive per postulationem, sive per nominationem, sive per praesentationem etc. etc. (cf. Ferraris s. v. Institutio n. 1—2);

2. s p e c i a l i t e r et p r o p r i e pro concessione beneficii legitime facta post praeviam praesentationem patroni. Haec institutio vocatur institutio canonica verbalis;

3. institutio a u t h o r i z a b i l i s est approbatio ad exercendam curam animarum;

4. institutio c o r p o r a l i s (realis) est inductio in actualem possessionem beneficii (vulgo Einführung).

Q. 170. *Quid notandum sit de provisione beneficiorum per modum electionis et postulationis?*

R. 1. Cum ius commune de electione et postulatione multis in regionibus et casibus sit valde modificatum iure speciali [1], et cum de electione et postulatione praelatorum, e. gr. episcopi, Summi Pontificis, superiorum regularium, suis locis propriis agatur, hic brevitatis causa tantum principia quaedam generalia adducuntur.

2. Electio canonica est personae idoneae ad praelaturam vacantem (vel ad beneficium ecclesiasticum) per eos quibus ius eligendi competit, canonica vocatio, legitimi superioris auctoritate confirmanda [2]. Explicantur singuli termini huius definitionis. Dicitur igitur:

a) electio canonica i. e. in sensu stricto et specifico sumpta, nam aliquando electio sumitur sensu latiore pro qualibet designatione personae ad aliquod officium ecclesiasticum. Sic e. gr. dicitur latiore sensu: episcopus elegit hunc sacerdotem in professorem seminarii [3];

b) personae idoneae i. e. personae habentis omnes qualitates a iure requisitas pro officio obeundo. Quae-

[1] Unde merito dicit Devoti (Ius can. univ. l. 1, tit. 6, § 1): «Eligendi ratio potius ex consuetudine et peculiari statuto locorum, quam ex regulis iuris communis repetenda est.»

[2] Ita Passerini, De elect. can. I 35.

[3] Electio canonica apprime distinguenda est a nominatione canonica, quae in stricto et proprio sensu significat designationem personae promovendae non vi patronatus neque vi electionis neque vi liberae collationis sed vi privilegii apostolici. Nonnullis guberniis civilibus tales nominationes vi pontificii indulti competunt, e. gr. in designatione episcoporum vel canonicorum. Iuxta modernam praxim nominatio concurrit cum electione, sc. nominatio sic dicta consultoria, quae est scrutinium quoddam praecedens electionem proprie dictam, quo scrutinio proponuntur plures viri idonei, e quibus postea fit vera electio a capitularibus. Solet vocari «terna», quia tres viri idonei communiter solent proponi. Altera nominatio, quae vocatur solemnis, consistit in praesentatione paucorum dignorum a collegio electorum facta eo fine, ut superior velit unum ex istis ad vacans officium promovere.

nam istae qualitates sint, ut persona sit eligibilis seu ut habeat «vocem passivam», dicitur in singulis officiis. Generatim in eligendis requiruntur aetatis maturitas, litterarum sufficiens scientia, morum gravitas, legitimi natales, libertas a censuris. Conc. Trid. sess. 6, c. 1 de reform. praescripsit, «ut ad ecclesiarum regimen . . . qui maxime digni fuerint . . . assumantur»; et sess. 24, c. 1 de reform. monet, eos «alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint . . . praefici diligenter curaverint». Ex quibus sequitur electores graviter peccare, non tantum si indignum sed etiam si dignum quidem sed certo minus dignum alio scienter eligant. Quod confirmatur ex prop. 47 damnata ab Innocentio XI. Maior vero vel minor dignitas eligendi non mensuranda est tantum vel ex maiore doctrina candidati, vel ex eius maiore sanctitate, vel ex eius maiore generis nobilitate, sed coniunctim ex omnibus animae et corporis dotibus, ita ut ille dignior sit, qui omnibus consideratis circumstantiis nunc melius et utilius officium vel beneficium administrare speratur [1].

Si dignus eligitur, neglecto digniore, quantumvis electio sit illicita, non tamen est invalida, nam si electio impugnari posset ex eo dumtaxat, quod non fuerit electus dignior, lata porta aperiretur innumeris litibus. Optime S. Thomas de hac re scribit 2, 2, q. 63, a. 2 ad 3: «Quantum ad hoc quod electio impugnari non possit in foro iudiciali, sufficit eligere bonum nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset haberę calumniam, sed quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem.» [2] Si vero indignus scienter eligitur, probabilius electio est invalida vi iuris communis [3] et

[1] Cf. S. th. 2, 2, q. 185, a. 3.

[2] Cf. Conc. Trid. sess. 7, c. 3 de reform.; c. 29 X 3, 5; Ferraris s. v. Electio a. 3, n. 18.

[3] Cf. Reiffenstuel in l. 1, tit. 6, n. 248; c. 22 X 1, 6.

electores sic male eligentes incurrunt plures graves poenas ecclesiasticas, e. gr. privantur ea vice iure eligendi [1], incurrunt suspensionem per triennium ab ecclesiasticis beneficiis possessis in ecclesia quam sic male eligendo offenderunt (si agitur de electione episcoporum aut Dignitatum episcopali maiorum) [2];

c) ad praelaturam vacantem (vel ecclesiam viduatam vel beneficium ecclesiasticum vacans). Ante electionem faciendam omnino requiritur vacatio beneficii vel praelaturae, nam nullum officium ecclesiasticum de iure nondum vacans potest valide conferri a quocumque (excepto dumtaxat Summo Pontifice) [3]. Quare praelato vel beneficiato (iuridice) adhuc vivente, nullo modo licet tractari de electione futuri praelati, et si secus factum fuerit, electio vi istius tractatus facta cassari debet. Vacat autem praelatura vel beneficium per beneficiati aut mortem naturalem, aut resignationem legitimam et acceptatam, aut depositionem, aut specialem iuris dispositionem, e. gr. beneficia saecularia vacant ob professionem solemnem beneficiati. Notitia vacationis debet esse certa, undecumque demum sit hausta;

d) per eos, quibus ius eligendi competit. Nemo nisi clericus potest esse elector pro officio ecclesiastico. Ratio est, quia electio est actus iurisdictionis ecclesiasticae, cum mediante illa constituantur superiores et beneficiati, qui revera iurisdictionem exercere debent. Quare nemo nisi Summus Pontifex potest laico conferre vocem activam in electione alicuius veri officii vel beneficii ecclesiastici [4]. Si autem in aliquibus ordinibus fratribus laicis concessa est vox activa

---

[1] C. 7 25 40 X 1, 6.

[2] C. 37 in VI° 1, 6. Cf. Reiffenstuel l. 1, tit. 6, n. 263.

[3] C. 2 X 3, 8; c. 36 et 42 X 1, 6.

[4] Hinc abusus est, si aliquando laici usurpant ius sibi eligendi parochos. Cf. S. C. C. 23 Maii 1874.

(et a fortiori vox passiva), vel hoc est ex speciali privilegio Summi Pontificis, vel potius provenit, quia superiores talium ordinum non censentur esse proprie loquendo superiores ecclesiastici, e. gr. in ordinibus hospitalaribus vel in ordinibus monialium. — Clericus elector debet habere plures qualitates, quae ex iure particulari solent esse determinatae. Quodsi quis in electione canonica interveniat, qui non habet omnes qualitates requisitas, tota electio non eo ipso est invalida (nisi in duobus casibus sc. quando intervenit vel laicus vel excommunicatus vitandus [1]), sed huius illegitimi electoris suffragium simpliciter non est numerandum [2]. Si igitur electus retinet maioritatem votorum dempto voto invalido, censetur legitime electus, quia iuxta Regulam 37 iuris in VI° «utile non debet vitiari per inutile» [3]. Si ex electoribus unus vel plures renuntiant voci suae vel expresse vel per schedulam albam, ius electionis ad reliquos electores pertinet, ita ut in computandis votis nullo modo attendendum sit ad renuntiantes [4]. Hinc e. gr. si octo sunt electores et duo renuntiant voci suae, quattuor vota sufficiunt ad habendam maioritatem votorum, eodem prorsus modo ac si essent tantum sex electores. Si ex electoribus vel unus contemneretur i. e. non vocaretur ad electionem, iste posset obtinere irritationem electionis etiam post confirmationem; si vero non contradicat, electio valida remanet [5];

e) canonica vocatio. Electores enim vocant quidem electum, sed nullo modo conferunt officium ecclesiasticum. Attamen electo competit ius stricte dictum ad rem, i. e. ut illi officium, ad quod electus est, reapse conferatur, dummodo tamen habeat omnes

---

[1] C. 51 et 56 X 1, 6; c. 15 X 1, 38.
[2] Cf. Passerini, De elect. can. c. 3, n. 36.
[3] Cf. Piat, Prael. iur. reg. I, q. 648.
[4] Cf. Passerini l. c. [5] C. 28 et 36 X 1, 6.

qualitates pro tali officio requisitas. Aliquando tamen tale ius ad rem iure particulari valde minuitur vel etiam tollitur [1]. Ex iure communi electio debet manifestari electo intra octo dies [2];

f) legitimi superioris auctoritate confirmanda. Facta electione petenda est confirmatio legitimi superioris [3], qui illam negare non potest, nisi ex gravi et rationabili causa. Sunt tamen plures electiones, quae ex privilegio non indigent expressa confirmatione superioris, e. gr. electio vicarii capitularis, Superiorum Generalium in pluribus ordinibus religiosis. Modus confirmationis solet esse determinatus iure particulari.

3. Electionis forma est triplex: per scrutinium, per compromissum, per quasi Dei inspirationem [4]. Praeter hanc formam essentialem praescribuntur plures formalitates accidentales de tempore, loco electionis, de celebratione Missae de Spiritu Sancto, de communione electorum etc., quae cum sint accidentales, validitatem electionis non attingunt. Quae requirantur ad formam per scrutinium, per compromissum, per inspirationem, sufficienter dicentur infra t. II, q. 156.

4. Vitia, quae committi possunt in electione praecipua, sunt simonia, subornatio, violatio libertatis, de quibus videsis infra t. II, q. 163.

5. Postulatio canonica est petitio collegii electorum ad superiorem competentem directa, ut is ad officium vel beneficium ecclesiasticum per dispensationis gratiam velit admittere aliquem, qui ob defectum sive canonicum impedimentum eligi non poterat [5].

---

[1] Cf. Const. Ord. Praed. n. 429 et infra t. II, q. 165.
[2] C. 16 in VI° 1, 6.
[3] Infra trimestre c. 6 in VI° 1, 6 vel infra unum mensem.
[4] Cf. c. 42 X 1, 6.
[5] Cf. Passerini, De elect. can. c. 24, n. 2; c. 20 et 23 X 1, 6.

6. Duplex solet distingui postulatio: solemnis, quae dirigitur ad superiorem, qui super omni impedimento dispensare potest; illa sola est postulatio proprie dicta supra definita; altera simplex, qua non petitur dispensatio, sed tantum licentia superioris, ut illius subditus eligi queat in aliquod officium ecclesiasticum; e. gr. talis postulatio necessaria est, ut religiosus eligatur episcopus, ut clericus alienae dioecesis eligatur in vicarium capitularem [1].

7. Quae dicta sunt supra de electoribus et de formalitatibus electionis, valent etiam de postulatoribus, cum eadem sit ratio ac postulatio sit medium subsidiarium electionis.

8. Postulari non possunt, qui laborant impedimento iuris naturalis vel divini, vel qui speciali lege ecclesiastica postulari prohibentur [2]. Per se patet.

9. Ille, qui postulatus est ad aliquod officium ecclesiasticum, ex ipsa postulatione non acquirit strictum ius ad rem [3]; postulatione vero admissa et confirmata legitime acquirit officium.

Q. 171. *Quid praescripserit ius in libera collatione beneficiorum?*

R. 1. Collatio libera definiri potest: provisio officii ecclesiastici vacantis a competente superiore ecclesiastico proprio et pleno iure canonice facta. Differentia huiusmodi provisionis ab aliis modis consistit in eo, quod fit a superiore ecclesiastico ex proprio et solo iure absque praesentatione vel electione per alios facta.

2. Collatio, cum sit actus iurisdictionis ecclesiasticae, non potest fieri (praeciso speciali privilegio Summi Pontificis) nisi per clericos et quidem per superiores ecclesiasticos.

---

[1] C. 36 in VI° 1, 6; c. 5 Clem. 1, 3.
[2] Cf. Wernz II, n. 393.
[3] C. 5 X 1, 5.

3. Conferre beneficia potest a) Romanus Pontifex in universa Ecclesia, cum libere disponere valeat de omnibus bonis et iuribus ecclesiasticis [1]; b) episcopus in propria dioecesi (exceptis beneficiis, quorum collatio reservata est Summo Pontifici); c) etiam alii clerici, e. gr. Cardinales, capitula canonicorum, ex iure delegato.

4. Iuxta praxim modernam Summus Pontifex libere confert officium episcopatus, primae Dignitatis in capitulis et officia, quae in mensibus papalibus vacant. Haec officia autem confert Romanus Pontifex quattuor modis sc. a) iure praeventionis; b) iure concursus; c) iure devolutionis; d) iure reservationis et affectionis.

5. Iure praeventionis confert Romanus Pontifex beneficium, cum collatorem ordinarium praeveniat disponens de aliquo beneficio pro tempore quo vacabit, licet adhuc nondum vacet. Quod quidem fieri potest duplici modo, sc. cum Romanus Pontifex concedat gratiam exspectativam (vel breviter exspectativas litteras) non obstante lege Tridentina [2] ad assequendum beneficium proxime vacaturum [3], vel cum concedat coadiutoriam cum iure successionis [4]. Hoc ultimum non raro accidit pro episcopis habitualiter impeditis, quominus adimpleant officia sua.

6. Iure concursus confert Romanus Pontifex beneficium, quando concurrit cum alio collatore, i. e. cum confert beneficium vacans, quod proprio iure possit ab alio conferri. In hoc casu valet Regula 54 iuris in VI°: «Qui prior est tempore, potior est iure», et ideo ille clericus obtinet, cui prius collatum fuit beneficium. Quodsi certo non constet, utrum prior Romanus Pontifex an inferior collator beneficium contulerit, praeferendus est

---

[1] C. 2 in VI° 3, 4.
[2] Sess. 24, c. 19 de reform. et sess. 25, c. 7 de reform.
[3] C. 2 in VI° 3, 4.
[4] Cf. Wernz II, n. 333.

qui possidet; quodsi neuter possideat, praeferendus est ille, qui beneficium a Romano Pontifice accepit [1].

7. Iure devolutionis confert Romanus Pontifex beneficium, a) si inferiores collatores neglexerint intra tempus a iure statutum (trimestre pro beneficiis maioribus et semestre pro beneficiis minoribus) beneficium conferre; b) si forma canonica spreta fuerit; c) si a maiore parte capituli scienter electus fuisset indignus, aliis non contradicentibus [2]. Iuxta modernam praxim Papa rarissime exercet ius devolutionis [3].

8. Iure reservationis confert Romanus Pontifex beneficia, quando avocat collationem beneficii vacaturi a collatore ordinario ad semetipsum. Quae quidem reservatio potest fieri modo perpetuo vel etiam pro aliquo casu particulari. Si fit pro casu tantum particulari, et quidem non vi legis, sed vi alicuius praecepti specialis, vocatur «affectio» [4]. Reservationes solent dividi in generales, cum Summus Pontifex sibi plura officia in communi reservat, et in speciales, cum certum aliquod officium sibi reservat; insuper in reservationes, quae habentur in Corpore iuris clausae, vel quae habentur in regulis Cancellariae Apostolicae, vel quae per bullas seu constitutiones Summorum Pontificum perpetuo stabiliuntur. Principaliores reservationes sunt:

a) Reservatio beneficiorum, quae in Curia Romana, uti dicunt, vacant [5]. Lege perpetua stabilita fuit a Clemente IV. Dicitur autem beneficium vacare in Curia Romana, quando beneficiatus ratione ecclesiasticorum negotiorum veniens ad Curiam Romani Pontificis moritur in loco ubi residet Curia vel in locis vicinis. Loca vero censentur vicina, quando non distant intra duas diaetas

---

[1] Cf. c. 31 de praebend. in VI°. Cf. Santi l. 3, n. 46.
[2] C. 18 in VI° 1, 6. [3] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 75
[4] Cf. Santi l. 3, tit. 5, n. 56.
[5] C. 2 3 34 35 in VI° 3, 4.

(i. e. 40 milliaria italica vel circiter 50 kilometra)[1]. Ad loca vicina extendit Bonifatius VIII legem a Clemente IV latam. Haec reservatio cessat *α*) si Summus Pontifex beneficium vacans non intra mensem contulerit[2], *β*) si beneficium est iuris patronatus laicalis, *γ*) si mors beneficiati occurrerit durante vacantia Sanctae Sedis[3].

b) Prima regula Cancellariae Apostolicae reservat omnia beneficia, iuxta amplam constitutionem Benedicti XII «Ad regimen» (a. 1336)[4]. Item omnia beneficia, in quorum collatione non fuerunt observata Concilii Tridentini decreta.

c) Secunda regula Canc. Apost. generaliter reservat omnes ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales.

d) Quarta regula Canc. Apost. generaliter reservat omnes Dignitates maiores in ecclesiis cathedralibus et collegiatis (cf. tamen infra).

e) Nona regula Canc. Apost. generaliter reservat canonicatus ecclesiarum cathedralium, quorum vacantia occurrit in octo mensibus papalibus (Ian., Febr., Apr., Mai., Iul., Aug., Oct., Nov.). Possunt autem episcopi facile obtinere sic dictam «alternativam» mensium, ita ut pro collatione beneficiorum menses papales sint Ian., Mart., Mai., Iul., Sept., Nov., reliqui vero menses episcopales[5]. Cardinales communiter non tenentur ad hanc nonam regulam[6].

f) Complures reservationes poenales statutae sunt propter delicta commissa, e. gr. propter simoniam confidentialem, crimen haereseos, temerariam dimissionem habitus clericalis etc.[7]

---

[1] C. 34 in VI° 3, 4. [2] C. 3 in VI° 3, 4.
[3] Cf. Sägmüller l. c. § 76.
[4] Habetur c. 13 Extrav. comm. 3, 2.
[5] Cf. Santi in l. 3, tit. 5, n. 52. [6] Cf. Santi l. c.
[7] Cf. Wernz II, n. 333.

9. Episcopus habet iuxta vigentem disciplinam ius libere conferendi omnia officia ecclesiastica suae dioecesis exceptis iis, quae Summo Pontifici vel aliis ex speciali privilegio reservantur, et exceptis iis, quae sunt iuris patronatus.

Scholion I. Reservatio collationis beneficiorum per Summos Pontifices nedum est Ecclesiae exitialis, ut voluerunt Febronius, Boehmer, Hinschius aliique, sed valde utilis evadere potest. Haud raro enim accidit, ut praelati inferiores vel nolint ex socordia, negligentia aliisque motivis inordinatis vel non possint ex factionibus violentis aliorum officia ecclesiastica dignis personis conferre. Summus Pontifex autem ex plenitudine suae potestatis, unice ductus motivo bonum ecclesiarum procurandi, saepe melius de officiis ecclesiasticis providere potest.

II. Quo ambitu in singulis regionibus etiam nostra aetate reservationes pontificiae vigeant, maxime ex Concordatis et probatis de iure particulari scriptoribus est eruendum. In Italia etiam nunc vigent reservationes pontificiae, sed in aliis regionibus ad valde angustos limites sunt redactae [1].

Q. 172. *Quid sit modus acquirendi beneficia per modum praesentationis?*

R. 1. Praesentatio est designatio alicuius idonei clerici per patronum facta superiori ecclesiastico, ut illum in officium vacans instituat.

Patroni vocabulo Latini scriptores uti solent ad significandum defensorem vel provinciae, vel civitatis, vel particularis causae. Scriptores vero ecclesiastici praesertim post saec. XII patronos appellarunt fundatores ecclesiarum aut beneficiorum. Quia autem patrono ecclesiae incumbebat etiam officium defendendi factas

[1] Cf. Wernz II, n. 334.

fundationes, inde patroni aliquando vocati sunt advocati[1].

2. Fundatores et insignes benefactores ecclesiarum iam a primis aerae christianae temporibus in diptychis nominabantur, communibus precibus commendabantur et quaedam privilegia honorifica habebant. Ius autem praesentandi clericos ecclesiae patronatae ratum habuit Concilium Arausicanum I, si patroni fuerunt episcopi (a. 441)[2]. Ad laicos tale ius extendit Concilium Toletanum IX a. 655[3]. Cetera de historia iuris patronatus, praesertim abusus vestiturae, iuris Mundii, advocatiae, videsis apud Wernz II, 408 vel Sägmüller § 77 vel Devoti l. 1, tit. 5, § 48.

Q. 173. *Quaenam sint principales divisiones iuris patronatus?*

R. 1. In ecclesiasticum, laicale, mixtum.

Ius patronatus ecclesiasticum est illud, quod procedit ex titulo ecclesiastico i. e. ratione officii ecclesiastici vel ratione fundationis factae ex bonis ecclesiasticis et quod communiter competit personae ecclesiasticae. Ius patronatus laicale, quod procedit ex titulo civili, e. gr. ratione fundationis ex bonis mere laicalibus vel ratione hereditatis etc. Tale ius solet exerceri a laico, nihil tamen obstat, quominus etiam competat alicui clerico, qui titulo hereditatis vel fundationis ex bonis patrimonialibus illud acquisivit. Ius patronale mixtum, quod partim ex titulo ecclesiastico partim ex titulo laicali ortum duxit. Ex hucusque dictis apparet ius patronatus non vocari ecclesiasticum vel laicale ex eo, quod persona ecclesiastica vel laicalis illud obtinet, sed ex eo, quod constitutum sit titulo ecclesiastico vel laicali.

---

[1] Cf. Santi in l. 3, tit. 38, n. 1.

[2] Habetur c. 1, C. XIV, q. 5.

[3] Habetur c. 32, C. XIV, q. 7.

2. In personale et reale.

Personale, quod certae personae sive physicae sive morali competit, e. gr. filiis et descendentibus; reale quod inhaeret alicui rei et proinde transit in successivos possessores habiles et legitimos huius rei, e. gr. ius patronatus annexum alicui castello vel fundo. Notandum tamen est ius patronatus reale supponere habilem possessorem. Hinc e. gr. superior ecclesiasticus posset repudiare ius patronatus reale, quod aliquis Iudaeus emens quoddam castellum iure patronatus ditatum exercere vellet (cf. infra q. sequ.).

3. In hereditarium, familiare sive gentilitium, et mixtum.

Hereditarium, quod relinquitur heredibus sive testatis sive intestatis[1]. Familiare sive gentilitium. Licet familiare stricte loquendo differat a gentilitio[2], tamen saepe solent promiscue sumi pro iure patronatus, in quod succedunt omnes qui sunt de familia fundatoris vel alterius familiae, cui sit relictum. Ad discernendum utrum in casu aliquo particulari adsit ius patronatus hereditarium an ius patronatus familiare, videsis regulas apud Ferraris s. v. Ius patronatus c. 11, n. 2 sq. Mixtum, quod est simul hereditarium et familiare et ad quod requiritur simul successio sanguinis et successio hereditatis.

4. In privatum et regium seu publicum.

Privatum, quod a personis privatis possidetur; regium seu publicum, quod ex libera concessione Ecclesiae possidetur a principe vel gubernio civili. Hodiernis temporibus ius patronatus regium iudicandum est iuxta Concordata, unde e. gr. in regno Württemberg 200 beneficia sunt liberae collationis, 326 vero patronatus regii.

---

[1] Cf. Santi in l. 3, tit. 38, n. 8.

[2] Cf. Santi l. c. n. 9.

5. In singulare et commune seu compatronatum.

Singulare est illud, quod totaliter possidetur ab una persona sive physica sive morali; ius compatronatus autem illud est, quod a pluribus personis in solidum possidetur et exercetur.

6. In plenum et minus plenum.

Plenum adest, si patrono competunt omnia iura et privilegia, quae ex iure communi vel legitima consuetudine ius patronatus includit; minus plenum, quod quibusdam iuribus caret.

Q. 174. *Quaenam requirantur ad legitimam acquisitionem iuris patronatus?*

R. Requiruntur tria sc. subiectum capax, obiectum aptum et legitimus titulus.

1. **Subiectum capax** exercendi ius patronatus est sive masculus sive femina [1], sive puber sive impuber [2]. Cum ius patronatus ab Ecclesia concessum sit in signum gratitudinis et honoris erga insignes benefactores, omnes illi excluduntur ab exercitio iuris patronatus, quos Ecclesia specialiter honorare non potest. Unde iure ecclesiastico excludi solent ab acquisitione et exercitio iuris patronatus:

a) non baptizati, e. gr. Iudaei, pagani, infideles. Hinc si Iudaeus vel infidelis acquirat fundum vel castellum, quocum ius patronatus connexum est, tenetur quidem onera patronatus portare, sed privilegia patronatus non habet et quantum ad hoc dicitur ius patronatus quiescere. Ita saltem ex iure communi [3];

[1] C. 16 X 3, 8.

[2] C. 32 in VI° 1, 6; c. 3 in VI° 2, 1.

[3] S. C. Inquisitionis permisit Decr. 31 Maii et 21 Dec. 1873, ut aliquis Iudaeus, qui acquisivit fundum quocum ius patronatus reale coniunctum erat, designaret virum catholicum, gratum episcopo dioecesano, qui posset exercere loco sui ius praesentationis.

b) excommunicati sive tolerati sive vitandi, haeretici, schismatici. Hodie saepe toleratur, ut haeretici ius patronatus exerceant, praesertim si est ius patronatus regium [1]. De iure tamen communi haeretici excluduntur a iure patronatus [2];

c) infames. Ius patronatus est enim ius honorificum. Porro «Infamibus portae non pateant dignitatum» (Reg. 87 iur. in VI°). Si quando dubium occurrit de subiecto iuris patronatus, recurrendum est ad S. Congregationem Concilii.

2. **Obiectum** iuris patronatus possunt esse tantum beneficia ecclesiastica e. gr. canonicatus simplices, parochiae etc. Hinc capellaniae (nisi sint vera beneficia), coemeteria, officia laicalia etc. non possunt esse proprium obiectum iuris patronatus. A iure patronatus excipiuntur insuper officia Summi Pontificis, Cardinalium, episcoporum, praelatorum in ecclesiis cathedralibus et collegiatis [3]. Quodsi quidam principes exercent ius praesentandi Cardinales (Cardinales coronae) vel episcopos, hoc potius ex indulto apostolico quam ex iure patronatus eruendum est.

3. **Legitimus titulus** duplex distingui solet: vel enim primum constituit ius patronatus vel ius patronatus iam constitutum transfert ab uno possessore ad alium.

Titulus originariae constitutionis est triplex iuxta versum Glossae in c. 23, C. XVI, q. 7:

«Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.»

Titulus vero translationis est quadruplex iuxta versum Glossae in c. 26, C. XVI, q. 7:

«Ius patronatus transire facit novus heres,
Res permutata, donata venditioque.»

---

[1] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 79.
[2] Cf. Schmalzgrueber l. c. n. 67.
[3] Cf. Ferraris s. v. Ius patronatus I 28.

Quodsi ab aliquibus auctoribus (Santi, Wernz, Sägmüller) inter titulos originarios recensentur privilegium et praescriptio immemorialis, haec hodiernis saltem temporibus non exsistunt ut separata a titulis enumeratis vel sunt nonnisi tituli extraordinarii ut in patronatu regio pluribus in regionibus exsistenti [1]. Quoad titulos originarios notandum est:

a) illos nunquam verum ius patronatus fundare nisi accedente legitima licentia superioris ecclesiastici. Hinc si quis ecclesiam aedificat et fundat sine praevia licentia Ordinarii, nunquam acquirit ius patronatus. Pariter non acquirit ius patronatus, si praevia licentia Ordinarii aedificat et dotat ecclesiam in regionibus, ubi ius patronatus ex dispositione Summi Pontificis non admittitur, e. gr. in Gallia, Belgio, America septentrionali, Anglia et generatim in regionibus S. C. de Prop. Fide subiectis. Atvero in Italia, Hispania, Germania, Austria, Hungaria aliisque regionibus ius patronatus adhuc exsistit et acquiritur tribus actibus dictis.

b) Quid sit fundus pro ecclesia aedificanda, patet. Aedificatio non est ipsum opus architecti, sed est largitio pecuniae ad construendam ecclesiam. Dotatio est assignatio redituum pro congrua conservatione ecclesiae, pro cultu et pro sustentatione ministrorum [2]. Ius patronatus acquiritur non tantum ex his tribus titulis in eadem persona simul concurrentibus, sed etiam ex unoquoque separatim sumpto. Hinc unus potest esse patronus ecclesiae ratione fundi donati [3], alius ratione aedificationis, tertius ratione dotationis sufficientis. Ita sententia com-

---

[1] Cf. Santi, Praelect. iur. can. n. 16; Ferraris l. c. n. 30—41.

[2] C. 25 X 3, 38; c. 33, C. XVI, q. 7; c. 8 X 3, 40.

[3] Quidam non admittunt solam donationem fundi pro titulo iuris patronatus acquirendi. Cf. Ferraris s. v. Ius patron. a. 1, n. 57—60 (ed. Migne). Cf. etiam optimam notam circa hanc controversiam apud Devoti, Instit. can. § 53.

munior [1]. Si autem sunt plures patroni eiusdem beneficii ecclesiastici, vocantur compatroni et tunc ius praesentationis debent exercere vel per turnum vel communi voto (cf. q. sequ.). Quae dicta sunt de aedificatione et dotatione, valent etiam de reaedificatione ecclesiae dirutae vel de redotatione, si prior dotatio casu aliquo deperdita est. Si ecclesia diruta est, prior titulus aedificationis exspirat et simili modo cessat ius patronatus acquisitum titulo dotationis, si dos perit. Potest hic quaeri, an, ut ius patronatus acquiratur, necessaria sit eius reservatio in fundatione. Sunt qui hoc affirmant, sed communior sententia negat necessitatem reservationis. Unde Schmalzgrueber docet [2]: «Ius patronatus fidelibus ecclesias cum consensu Ordinarii construentibus, fundantibus aut dotantibus acquiri, etiamsi illud sibi expresse non reservent, modo illud actu contrario non remittant», et citat pro hac sententia Azor, Garcias, Barbosa, Clericati, Engel, Pirhing, König, Schmier aliosque. Ex modernis hanc sententiam tenent Wernz II, n. 414, Sägmüller § 80. Ratio est, quia hoc ius fundantibus, construentibus et dotantibus ecclesias acquiritur ex dispositione iuris, unde non est necesse illud deduci in pactum vel reservari expresse. Clemens III dicit simpliciter: «Si quis ecclesiam cum assensu dioecesani construxit, ex eo ius patronatus acquirit» [3] (cf. tamen supra sub litt. a).

Quoad singulos modos derivatos translationis et acquisitionis iuris patronatus sequentia notentur:

a) successio hereditaria et quidem tum testamentaria tum ab intestato communissime ut legitimus

[1] Cf. Santi in l. 3, tit. 38, n. 15, qui tamen addit: «non sufficit unus titulus ad acquirendum ius patronatus, si reliqui tituli neque in aliena persona concurrent. Sic e. gr. aedificator non fit patronus, nisi adsit alius, qui dotet ecclesiam». Hanc limitationem recte non admittit Sägmüller, Kirchenrecht § 80.

[2] In l. 3, tit. 38, n. 42. [3] C. 25 X 3, 38.

titulus translationis iuris patronatus habetur, nisi in ipsa fundatione aliter cautum sit. Quo autem modo ius patronatus ab heredibus exercendum sit, pendet praecipue ex stipulatione fundatoris acceptata ab ecclesia, nec potest aliis determinatis regulis circumscribi[1];

b) alienatio, quae fieri potest donatione, permutatione vel venditione. Ius patronatus reale licite transfertur et alienatur sine speciali licentia cum re, cui annexum est, dummodo tamen talis res propter ius patronatus annexum non maiori pretio ematur, vendatur, aut permutetur, quod sane esset simonia, cum ius patronatus sit res spiritualis. Hinc e. gr. castellum quocum coniunctum est ius patronatus licite venditur, emitur, permutatur etc. et ius patronatus transit ad novum possessorem, modo iste sit subiectum capax (cf. supra).

α) Donatio iuris patronatus (non realis) libere potest fieri a patrono laico in favorem ecclesiae, monasterii, loci pii, vel officii ecclesiastici[2]. Requiritur autem expressus consensus episcopi loci, ubi exsistit ecclesia vel beneficium, si patronus laicus suum ius patronatus vult dare alii laico vel clerico (ut est persona privata), nisi tamen iste sit compatronus[3]. Patronus vero ecclesiasticus non potest suum ius patronatus dare laico sine licentia S. Sedis[4], et idem dicendum videtur, si patronus ecclesiasticus dare vult ius patronatus alteri patrono ecclesiastico, nam in utroque casu habetur alienatio bonorum ecclesiasticorum, quae licite et valide fieri nequit sine beneplacito apostolico (nisi agatur de casibus a iure exceptis);

β) permutatio iuris patronatus (personalis) cum alio iure patronatus personali vel alia re spirituali licita est

---

[1] Videsis Ferraris l. c. a. 2, n. 1—25.
[2] C. un. in VI° 3, 19.
[3] Cf. Ferraris l. c. a. 2, n. 26 et 30.
[4] Cf. Ferraris l. c. n. 29.

praesupposita licentia Ordinarii [1]. Nunquam autem licet permutare ius patronatus cum re temporali [2];

γ) venditio directa iuris patronatus (et idem valet de emptione) nunquam licita vel valida est, cum sit simonia [3]. «Qui secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subiciantur et dicto iure patronatus ipso iure privati exsistant.» [4] Ut autem iam supra dictum est, licet emere et vendere rem quacum ius patronatus coniunctum est.

Q. 175. *Quaenam obligationes et iura oriantur ex patronatu?*

R. Iura et obligationes patronatus a veteribus canonistis complectebantur sequentibus duobus versibus [5].

> «Patrono debetur honos, onus, utilitasque;
> Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.»

Praecipuum ius patronatus est ius praesentandi clericum dignum pro beneficio vacanti; quae quidem praesentatio, si legitime facta sit, obligat episcopum vel superiorem ecclesiasticum ad institutionem canonicam praesentato conferendam. Est autem praesentatio legitima, a) si clericus dignus proponitur [6]; b) si patronus sit capax exercendi ius patronatus [7]. Si autem patronus adhuc sit impubes aut sub curatore constitutus, praesentatio pertinet ad tutorem vel curatorem, si patronus nondum est septennio maior. Ita omnes. Si vero patronus est septennio maior, sed nondum adeptus pubertatem, praesentatio quidem ordinarie facienda est per tutorem, sed

---

[1] C. 5 X 3, 19. Cf. Ferraris l. c. a. 2, n. 47.
[2] Cf. c. 9 X 3, 19.
[3] C. 16 X 3, 38. Cf. Ferraris l. c. n. 52.
[4] Ita Conc. Trid. sess. 25, c. 9 de reform.
[5] Glossa in c. 25 X 3, 38. [6] Cf. supra q. 170.
[7] Cf. supra q. 174; aliud est exercere et aliud est habere ius patronatus.

etiam ipse pupillus illam facere potest inconsulto, immo et invito tutore [1]. Demum si patronus sit pubertatem ingressus (12 vel 14 an.) licet sit adhuc minorennis et sub tutore vel curatore, tutor eget speciali delegatione ad exercendum ius praesentationis nomine pupilli sui. Unde Ioannes Andreae breviter dicit in c. 3 in VI° 2, 1: «Maior 14 annis per se et per procuratorem potest agere et defendere causam spiritualem, minor 14 per se non agit, sed per procuratorem.» Si sunt plures compatroni, tunc non licet per sortem procedere ut determinetur, quis sit praesentandus [2], licet autem, ut compatroni eligant unum candidatum, vel ut per turnum unusquisque exerceat ius praesentationis, vel ut quilibet compatronus praesentet unum candidatum, et episcopus ex omnibus praesentatis libere eligat illum, cui beneficium conferat [3];

c) patronus non potest seipsum praesentare, etsi sit clericus et quidem dignissimus [4]. Ratio est: «quia inter dantem et accipientem debeat esse distinctio personalis» [5], quae quidem regula generalis valet etiam pro electoribus et institutoribus, nam nemo potest seipsum eligere vel instituere. Nihil autem obstat, quominus patronus petat ab episcopo, ut sibi illud officium ecclesiasticum conferatur [6]. Pariter videtur esse licitum, ut compatroni unum ex ipsis praesentent, vel quod pater praesentet filium vel alium cognatum vel coniunctum. Filii enim

[1] Cf. Schmalzgrueber l. c. n. 75; Ferraris l. c. a. 4, n. 4.

[2] S. C. C. 17 Febr. 1821, apud Schulte-Richter p. 456, n. 20.

[3] C. 2 Clem. 3, 12. Cf. c. 4 X 3, 10.

[4] C. 26 X 3, 38. Sunt qui hunc textum iuris intelligant de praelaturis et personatibus tantum, non autem de beneficiis simplicibus (e. gr. Santi in hunc tit. n. 32), sed melior videtur generalis prohibitio propter rationem allatam. Ferraris l. c. a. 4, n. 75 vocat hanc sententiam communissimam.

[5] C. 7 X 3, 7.

[6] S. C. C. 21 Nov. 1739, apud Schulte-Richter p. 455, n. 17. Cf. Benedictus XIV, Inst. eccl. 95.

et cognati ipsius patroni non debent esse deterioris conditionis quam alii; alioquin ius patronatus, quod est introductum in favorem fundatoris, retorqueretur in odium ipsius et suorum [1];

d) praesentatio debet fieri infra tempus determinatum a iure sc. infra quattuor menses, si agatur de patronatu laicali [2], et infra sex menses, si agatur de patronatu ecclesiastico vel mixto [3]. Tempus computatur non a tempore vacationis beneficii, sed a tempore quo patronus cognovit vacantiam. Quodsi patronus intra legitimum tempus non praesentaverit habilem clericum, episcopi est providere de beneficio;

e) praesentatio debet fieri gratuita et sine simonia [4], praesentatio simoniaca esset ipso iure irrita [5].

Si praesentatio legitima a patrono facta est, episcopus tenetur infra duos menses, si agitur de beneficio parochiali, conferre institutionem canonicam, nec episcopus potest repellere «ex informata conscientia» praesentatum [6]. Praeter ius praesentationis competunt patrono plura iura honorifica, e. gr.

a) honor processionis [7] i. e. ius praecedentiae in processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis ecclesiae patronatae prae reliquis laicis, qui non sunt supremi principes [8];

b) ius sedis i. e. sedes honoratior sed sine baldachino et extra presbyterium [9];

c) ius precum sive recitationis nominis inter publicas preces [10];

---

[1] Cf. Ferraris l. c. a. 3, n. 79. [2] Cf. c. 27 X 3, 38.
[3] C. 22 X 3, 38; c. un. in VI° 3, 19.
[4] C. 12 27 X 5, 3; Conc. Trid. sess. 24, c. 14 de reform.
[5] C. 27 X 5, 3.
[6] S. C. C. 9 Apr. 1892; cf. infra Appendix I, n. IX.
[7] C. 25 X 3, 38.
[8] Ita sequitur ex Pontif. Rom. De eccl. dedicatione.
[9] Cf. c. 1 X 3, 1; Ferraris l. c. a. 3, n. 105.
[10] Cf. Pontif. Rom. De eccl. dedicatione.

d) ius aquae benedictae, i. e. patronus debet aspergi aqua benedicta ante alios parochianos, non autem debet illi porrigi aspergillum [1];

e) ius thurificationis seu suffitus (unico ductu), dummodo tamen patronus sit masculus [2];

f) osculum pacis in Missa solemni per oblationem crucifixi factam ab aliquo ministro, sed postquam pax data est in choro [3];

g) ius cerei et palmarum [4];

h) ius inscriptionis seu lystrae i. e. ius appendendi insignia sive stemmata familiae in ecclesia [5];

i) ius luctus ecclesiastici, i. e. in ecclesia patronata campanae debent pulsari et officium defunctorum dici, si patronus moritur [6].

Ut merito notat Schmalzgrueber l. c. n. 55, consuetudines particulares legitimae sunt observandae circa iura honorifica patroni, cum ius commune pauca hac de re praescribat.

Iura utilia patroni sunt iuxta ius commune fere unice ius alimentationis i. e. percipiendi alimenta. Dicitur enim c. 25 X 3, 38 de patrono: «Si ad inopiam vergat, ab ecclesia illi modeste succurratur, sicut in sacris canonibus est institutum.» Auctores solent plures conditiones apponere ad hoc, ut istud ius possit in praxim deduci, e. gr. ut inopia non sit culpabilis, ut non possit aliter sublevari etc. Casu occurrenti melius esset recurrere ad S. C. Concilii quae iuxta aequitatem, quid sit agendum, decerneret [7]. Si in ipsa fundatione patronus cum consensu episcopi sibi suisque heredibus pensionem

---

[1] S. C. R. 11 Iul. 1857. [2] S. C. R. 23 Mart. 1686.
[3] S. C. R. 13 Mart. 1688. [4] Ferraris l. c. n. 105.
[5] Cf. Aichner, Comp. iur. eccl. § 93.
[6] Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 83.
[7] Cf. duos casus relatos a Lingen-Reuss, Causae selectae S. C. C. 250 et 259.

ex beneficio reservaverit, utique huic statuto satisfaciendum esset [1].

Patronus nullum ius habet circa administrationem bonorum beneficii. Ita saltem ex iure communi. Statuit enim Conc. Trid. sess. 25, c. 9 de reform.: «Patroni autem beneficiorum, cuiuscumque ordinis et dignitatis . . . in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiam si vere de iure patronatus ipsorum ex fundatione et dotatione essent, nullatenus nullave causa vel occasione se ingerant; sed illos libere rectori seu beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos permittant.» Ex Concordatis tamen conceditur non raro patrono regio supervisio administrationis beneficiorum, e. gr. in Germania.

Iura onerosa sive obligationes patroni sunt:

a) cura beneficii, quae includit conservationem aedificii ecclesiae eiusque reparationes necessarias. Hinc patronus titulo aedificationis tenetur sartam tectam tenere ecclesiam. Quodsi non facit, non potest quidem iuridice compelli, sed illi praestabiliendus est terminus, intra quem aut ecclesiam reparet aut renuntiet iure patronatus. Quo termino inutiliter elapso, amittit ius patronatus. Patronus titulo dotationis debet dotem conservare et amissam vel diminutam reconstituere, secus amittit ius patronatus. Patronus tituli fundationis debet fundum conservare contra vires physicas (e. gr. inundationes) vel morales (e. gr. usurpatores), secus amittit ius patronatus;

b) ius advocatiae [2] quod est obligatio defendendi beneficium contra quoscumque invasores. Quamquam hodiernis temporibus hoc ius non eo modo possit exerceri, quo factum est antiquis temporibus, tamen etiam

[1] Cf. de iure alimentationis Ferraris l. c. n. 114—132.
[2] Cf. c. 23 X 3, 38.

nunc exsistunt iniusti beneficiorum ecclesiasticorum invasores et quidem tum numero, tum odio, tum potestate valentes. Ideoque praesertim patroni laici possunt et debent beneficia ecclesiastica defendere.

Q. 176. *Quomodo cesset ius patronatus?*

R. Ius patronatus potest cessare vel quantum ad substantiam, vel quantum ad exercitium; seu potest vel penitus exstingui vel tantum suspendi. Inter multos modos amittendi ius patronatus, qui ab auctoribus recensentur [1], sequentes videntur nostris adhuc temporibus practici valoris.

1. Ius patronatus exstinguitur:

a) ordinatione Summi Pontificis vel Concilii oecumenici. Ratio est, quia ius patronatus (etiam laicale) est ius spirituale idque intime afficiens administrationem ecclesiasticam. Porro Summus Pontifex et Concilium oecumenicum libere disponere possunt de omni administratione ecclesiastica. Conc. Trid. sess. 25, c. 9 de reform. et plures Summi Pontifices, e. gr. Adrianus VI, Pius VII, ius patronatus aliquando suppresserunt [2]. A fortiori Summi Pontifices possunt ius patronatus in casu particulari suspendere;

b) si ecclesia patronata totaliter destruatur vel reditus penitus deficiant vel pereant. Per se patet, quia «rei non exsistentis nullae sunt qualitates»;

c) si subiectum iuris patronatus pereat. Hinc ius patronatus personalissimum perit morte patroni, ius patronatus familiare omnimoda exstinctione familiae etc. Ratio patet, nam ubi nullum subiectum iuris activi, ibi nullum ius;

d) resignatione patroni. Quilibet enim potest renuntiare iuri suo favorabili. Circa hanc resignationem autem tria notanda sunt. *α*) Quando cum iure patronatus

[1] Videsis Ferraris s. v. Ius patronatus a. 2, n. 71 sqq.

[2] Cf. Riganti in reg. Canc. Apost. 8, 42.

adhuc onera coniuncta sunt, e. gr. quotannis talem et talem summam impendendi in favorem beneficii, patronus non potest renuntiare iuri patronatus sine licentia S. Sedis, cum haec renuntiatio indirecte involveret alienationem bonorum ecclesiasticorum. β) Patronus, qui est ipse fundator beneficii, libere potest pro se suisque descendentibus et heredibus renuntiare patronatui. γ) Patronus, qui ius patronatus acquisivit modo derivationis, potest tantum pro sua persona, non vero pro suis descendentibus renuntiare iuri patronatus. Haec resignatio potest fieri vel explicite vel implicite, e. gr. quando patronus patitur ecclesiam patronatam incorporari alicui beneficio, quod est liberae collationis, vel quando per longissimum tempus (30 vel 40 annos) negligit ius suum exercere et episcopo liberam collationem permittit [1];

e) diversis criminibus a patrono commissis, e. gr. haereseos, apostasiae [2], usurpationis bonorum in ecclesia patronatus, simoniae commissae in translatione iuris patronatus. Conc. Trid. sess. 25, c. 9 de reform. praescripsit: «Nec dictum ius patronatus venditionis aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant (patroni); si secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subiciantur et dicto iure patronatus ipso iure privati exsistant.»

2. Ius patronatus suspenditur:

a) si patronus est excommunicatus;

b) si patronus intra legitimum tempus aptum clericum ad beneficium non praesentaverit;

c) si patronus ecclesiasticus scienter indignum praesentaverit [3].

---

[1] Cf. Santi, Praelect. iur. can. l. 3, tit. 38, n. 44; Devoti, Instit. can. § 58.

[2] C. 13 X 5, 7. Cf. tamen supra q. 174.

[3] Cf. Wernz l. c. II, n. 439—441.

Scholion. Haec sint breviter dicta de iure patronatus, quae adiunctis supra dictis de collatione parochiarum videntur plane sufficere pro parvo Manuali. In nova codificatione iuris canonici hanc materiam iuxta nostri temporis exigentias tractatum iri sperare fas est, nam ad S. Congregationem Concilii fere innumera dubia sunt delata, quorum satis magna pars videri licet apud Schulte-Richter p. 450 sqq et apud Lingen-Reuss, Causae selectae 448 sqq 463 481 867 etc.

CAPUT IV.

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

Praenotamen. In hoc capite agere intendimus 1. De facultate Ecclesiae bona temporalia possidendi; 2. De subiecto dominii ecclesiastici; 3. De inviolabilitate et immunitate bonorum ecclesiasticorum; 4. De diversis modis acquirendi bona ecclesiastica; 5. De administratione bonorum ecclesiasticorum et 6. De eorum alienatione.

ARTICULUS I.

DE FACULTATE ECCLESIAE BONA TEMPORALIA POSSIDENDI.

Q. 177. *Utrum Ecclesia habeat ius nativum acquirendi et possidendi bona temporalia?*

R. Affirmativa responsio est de fide contra errores Arnaldi de Brixia (c. a. 1139), Waldensium (ineunte saeculo XIII), Marsilii Patavini (a. 1327) et praesertim Wicleffi († 1387) et etiam contra Gallicanos et quosdam modernos Protestantes docentes Ecclesiam nullum habere ius nativum in bona temporalia, sed tantum ex libera concessione gubernii civilis.

Probatur 1. ex definitionibus Ecclesiae. Concilium Constantiense et Martinus V damnaverunt plures

propositiones Wicleffi hac de re prolatas: prop. 10: «Contra Scripturam Sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones»; prop. 32: «Ditare clerum est contra regulam Christi»; prop. 36: «Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici eo quod possessiones habent; et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et ceteri laici.» — Pius IX in Syllab. damnavit prop. 26: «Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.» [1] Unde idem Pius IX dixit in allocutione consistoriali «Quibus luctuosissimus» 5 Sept. 1851: «Omni studio et contentione vindicandum ac tuendum curavimus ius quo Ecclesia pollet acquirendi sc. et possidendi quaecunque bona stabilia et frugifera, veluti innumera prope Conciliorum acta et SS. Patrum sententiae et exempla et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant.»

Probatur 2. ex S. Scriptura. Ipse Institutor Ecclesiae D. N. I. Chr. etsi quam maxime paupertatem commendaverit et exercuerit, tamen bona temporalia in usum Apostolorum habuit, ut sequitur ex Evangelii S. Ioan. 13, 27 sqq: «Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei: quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.» Unde verba Christi (Mt 10, 9): «Nolite possidere aurum . . .» intelligenda sunt vel de aliquo casu particulari vel de spiritu paupertatis [2]. — Apostoli ipsi instituebant septem diaconos pro administratione rerum temporalium [3].

Probatur 3. ex perpetua praxi Ecclesiae. Primis saeculis Ecclesia persecutionibus diris agitata non possedisse videtur nisi parva bona temporalia. Attamen

---

[1] Denzinger, Enchir. [10] n. 1726.

[2] Cf. Craisson, Man. iur. can. n. 5225.

[3] Cf. Act 6, 2 sq.

Christiani probabiliter formaverunt sic dicta «collegia funeraticia» vel «collegia tenuiorum»[1] et hoc modo bona praesertim mobilia possidebant. Verumtamen etiam istis temporibus Ecclesiae non totaliter defuerunt bona immobilia, cum edicto Constantini et Licinii ethnici iussi sint Christianis ea restituere, quae rapuerant. Data pace a Constantino, Ecclesia bonis temporalibus abundare coepit ex oblationibus imperatorum et simplicium fidelium. Lege civili[2] ius Ecclesiae in bona temporalia agnitum est, et ipsa Ecclesia semper omnibus viribus suum ius defendit ferendo severissimas poenas in bonorum ecclesiasticorum usurpatores[3].

Probatur 4. ex ratione. Si Christus Ecclesiam suam instituisset pro puris spiritibus, et si tantum exegisset cultum mere spiritualem, sane bona temporalia necessaria non fuissent pro illius fundatione. Cum autem constet Ecclesiam esse fundatam pro hominibus ex anima et corpore compositis, cum Ecclesia sit societas visibilis et quidem perfecta et independens, cum cultus Deo praestandus ab Ecclesia sit internus et externus oporteat, cum demum illi qui deserviunt altari, etiam vivere debeant de altari, omnino dicendum est Ecclesiam habere ius possidendi bona temporalia et quidem ex iure divino seu ex voluntate ipsius Christi fundatoris[4].

Scholion. Cum igitur Ecclesia bona temporalia possideat iure divino, sequitur, usurpatores bonorum ecclesiasticorum non tantum esse sicut latrones, qui vi

---

[1] Cf. Th. Mommsen, De collegiis et sodal. Rom. 87.

[2] Cf. Leg. 1 Cod. De Sacros. Eccles., apud Devoti, Instit. can. l. 2, tit. 13, c. 5.

[3] Cf. Bull. «Apost. Sedis».

[4] Cf. Salzano O. Pr., Lezioni di diritto canonico l. 3, pars 2, lez. 1. In longum et latum et optime disserit de hac re Thom. Mamachi O. Pr., Del diritto libero della Chiesa di acquistare e possidere l. 2, c. 2, ubi etiam bene tractatur de historia possessionum Ecclesiae. Cf. etiam Stutz, Gesch. des Benefizialwesens 46 sqq.

abripiunt legitimo possessori bona propria, sed etiam esse speciali modo transgressores mandati et voluntatis Christi Ecclesiam fundantis. Experientia multorum saeculorum compertum est, bona ecclesiastica vi ablata raptoribus iniustis non magno commodo fuisse. Obiectiones quae ab adversariis fiunt contra ius Ecclesiae possidendi bona temporalia, contra nimium incrementum bonorum «manus mortuae» etc. non vacat hic refutare [1].

ARTICULUS II.

DE SUBIECTO DOMINI BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Q. 178. *In quo differat dominium seu proprietas a possessione?*

R. In Decretalibus Gregorii IX habetur specialis titulus, qui inscribitur «de causa possessionis et proprietatis» (l. 2, tit. 12). Aliud igitur in iure est possessio et aliud proprietas. Possessio est actualis occupatio alicuius rei, abstractione facta, utrum res occupata sit possidentis propria, an non. Proprietas vero seu dominium est ius in re (vel in eius fructibus) et libera legitimaque dispositio de illa. — De possessione bonorum ecclesiasticorum nulla difficultas exsistit, sunt enim innumeri legitimi possessores rerum ecclesiasticarum, e. gr. ecclesiae parochiales, monasteria, loca pia etc. Econtra maxime discordant auctores, in quo resideat proprietas vel verum dominium bonorum ecclesiasticorum, sc. an singulis personis iuridicis ecclesiasticis, an Summo Pontifici etc. competat huiusmodi dominium.

Q. 179. *Cui proprie competat dominium bonorum ecclesiasticorum?*

R. Sunt variae sententiae:

---

[1] Videsis apud Cavagnis, Instit. iur. publ. l. 2, a. 7, § 1.

1. Ipse Christus vel S. Petrus est verus dominus omnium bonorum ecclesiasticorum. Hinc a sanctis canonibus vocantur bona ecclesiastica «pecuniae Christi»[1], «Christi patrimonium»[2]. Schmalzgrueber (l. 3, tit. 25, § 2) citat pro hac sententia Navarrum, Innocentium IV et Donatum O. Pr. Etiam Reiffenstuel videtur hanc sententiam tueri in l. 3, tit. 25, n. 47 et 48. Haec sententia nunc prorsus antiquata est. Quodsi aliquando bona ecclesiastica vocantur pecuniae, bona, patrimonium etc. Christi, hoc non significat illa in Christi speciali dominio exsistere, sed ea unice in honorem Christi donata esse ecclesiis et monasteriis. — Quam incongrua sit haec sententia, sequitur etiam ex sequenti deductione. Si enim Deus vel Christus vel S. Petrus essent propria et immediata subiecta dominii bonorum ecclesiasticorum, tunc etiam casu non raro, quo bona ecclesiastica debitis onorarentur, Deus vel Christus vel S. Petrus haberent debita et forsan essent solvendi incapaces. Quod sane nemo dicet.

2. Ecclesia universalis habet proprium dominium in omnes res ecclesiasticas[3]. Haec sententia aliquid veri continet. Nam cum Ecclesia universalis sit societas perfecta, ut supra dictum est, etiam capax est dominii in bona temporalia et revera talia bona possidebat vel possidet, e. gr. ditionem pontificiam, bona ad Cameram Apostolicam pertinentia; at minime probari potest Ecclesiam universalem esse proprium et unicum sub-

---

[1] C. 1 et 6, C. XII, q. 2.

[2] C. 16 de praeb. etc. 34 de elect. in VI°.

[3] Ita Aichner, Comp. iur. eccl. § 218 (ed. 10 § 223), qui docet: «Subiectum immediatum et proximum proprietatis (sc. intuitu bonorum ecclesiasticorum) est institutum locale, subiectum vero remotum et mediatum est Ecclesia generalis, quae mediante isto instituto ea bona possidet.» Similia habent Phillips, Comp. iur. eccl., ed. a Vering 1875, § 207 208; Hirschel in Archiv f. kath. Kirchenrecht (1875) XXVIII 327 sq.

iectum dominii in omnia bona ecclesiastica cum exclusione cuiuscumque alterius veri possessoris et domini. Econtra eadem ratio, quae militat contra primam sententiam, valet quoque contra hanc secundam. Nam si Ecclesia universalis esset dominus directus et unicus bonorum ecclesiasticorum, esset etiam debitor, casu quo aliquod monasterium debitis aggravaretur. Hinc optimo iure scribit Concilium provinc. Neogranat. a. 1868: «Ad universalis Ecclesiae caput spectat altum rerum ecclesiasticarum dominium, tueri et defendere sua bona eorumque administrationem moderari, at utile dominium et directum speciatim cuiusque singularum ecclesiarum ad illam pertinet ecclesiam, cui tituli possessionis addicti sunt.»[1]

3. Romanus Pontifex habet «ius eminens possidendi omnia bona ecclesiastica»[2]. Ratio est, quia Romanus Pontifex est subiectum immediatum et visibile omnium iurium Ecclesiae. Sed haec sententia iure merito fere ab omnibus relinquitur, quia falsum est Romanum Pontificem esse immediatum subiectum omnium iurium Ecclesiae. Conceptis verbis iam refutavit hanc sententiam Angelicus Doctor: «Quamvis res Ecclesiae sint eius (Papae) ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius ut domini et possessoris.»[3]

4. Dominium bonorum ecclesiasticorum est penes ipsas ecclesias particulares sive collegia et capitula clericorum sive monasteria regularium, si tamen dominii sint capacia. Iam Schmalzgrueber (l. c.) hanc sententiam vocavit communem et revera adhuc nostris diebus talis est. Probatur haec sententia ex Conc. Trid. sess. 25, c. 3 de reg.: «Concedit Sancta Synodus omnibus

---

[1] Apud Wernz, Ius decr. III, tit. 5, n. 139.

[2] Ita Sanguineti S. J., Iur. eccl. inst.[4] 354 sqq.

[3] S. th. 2, 2, q. 100, a. 1 ad 7. Cf. etiam Comment. Caietani in hunc art.

monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum et mendicantium exceptis domibus sancti Francisci Capucinorum et eorum, qui Minorum de observantia vocantur . . . ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.» [1] Nec obstat ecclesias particulares et monasteria non posse bona ecclesiastica alienare nisi observatis solemnitatibus iuris, talesque alienationes illegales esse non tantum illicitas sed etiam invalidas; nam etiam in iure civili non raro accidit, quod verus et legitimus dominus bonorum ea non possit libere administrare et alienare, e. gr. pupillus, filii familias, aliquibus in regionibus etiam uxores. Princeps enim ecclesiasticus sicuti etiam princeps civilis potest propter bonum commune leges et normas statuere de administratione et alienatione bonorum etiam ad privatas personas pertinentium.

Scholion. Prima fronte praesens controversia posset videri lis de verbis et mere speculativa, attamen profundius considerata includit conclusiones valde practicas; nam si quaelibet persona iuridica ecclesiastica est vera domina suorum bonorum, sequitur, quod nullus maior superior ecclesiasticus de illis bonis libere disponere potest sine iniustitia proprie dicta. Sane Summus Pontifex habet dominium altum omnium bonorum ecclesiasticorum, sicuti princeps civilis habet dominium altum omnium bonorum civilium, et exinde in casu necessitatis propter bonum totius Ecclesiae potest valide et licite donare et alienare quaecumque bona ecclesiastica. Sic Summi Pontifices aliquando donarunt bona ecclesiastica, quae in iniqua saecularizatione a guberniis usurpata fuere; sic etiam Summi Pontifices ecclesias prius pertinentes ad unum ordinem religiosum non raro dederunt alii ordini; attamen de istis donationibus et alienationibus valent eaedem regulae, quas observare debet princeps civilis in sic dicta «expropriatione» bonorum privatorum.

[1] Idem patet ex c. 1 X 3, 26 et ex Conc. Neogranat. supra citato.

Ex sententia nostra sequitur etiam, quod e. gr. Provincialis vel Generalis Superior Religiosus (seclusis statutis iuris particularis) nec valide nec licite potest disponere de bonis alicuius monasterii seu conventus; potest quidem monasterio iusta tributa imponere, sicuti princeps civilis potest tributa imponere bonis privatorum, attamen propria auctoritate nullam prorsus dispositionem de bonis monasterii facere valet, nisi tamen accedat consensus liber illorum, qui legitimam monasterii administrationem habent.

ARTICULUS III.

DE ACQUISITIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Q. 180. *Quinam sint praecipui modi, quibus Ecclesia bona temporalia acquirit?*

R. Sunt praecipue sequentes: oblationes liberae fidelium, fundationes piae, legata et testamenta, vectigalia seu taxae, praescriptiones, et contractus. De contractibus sermo erit in art. 5, ubi agetur de alienatione bonorum ecclesiasticorum, de aliis vero modis nunc singillatim.

Q. 181. *Quid notandum sit circa oblationes fidelium libere factas pro Ecclesia?*

R. Oblationes, prout hic de illis sermo est, sunt munera, quae a fidelibus Deo et Ecclesiae sponte offeruntur. Antiquissimus earum usus est atque ab ipsa Apostolorum aetate repetendus, immo iam in Vetere Testamento a Deo fuerunt ipsae approbatae et praeceptae[1]. Nemo quidem cogitur tales oblationes facere et praesertim non determinatur quantitas earum, attamen inde ab initio Ecclesiae turpe habitum fuit, si quis non daret

[1] Cf. Ex 23, 15 sq aliosque plures eiusdem libri locos.

oblationes congruas [1]. Ex alia parte non omnium oblationes accipiebantur (praesertim sic dictae eucharisticae, quae serviebant pro sacrificio Missae) quoniam oblationes significabant ecclesiasticam unionem. Sic e. gr. illorum, qui in haeresim lapsi fuerunt, oblationes recusabantur [2] et generatim omnium, qui erant publici peccatores. Oblationes solebant fieri in ecclesia tempore Missae vel sacrae liturgiae et erant praecipue vinum et panis; offerebantur etiam thus, oleum pro luminaribus, lac et mel. Ex oblatis pane et vino Eucharistia celebrabatur, et quod supererat, clericis ac pauperibus dabatur. Cum autem paulatim haec oblatio panis et vini cessaret, fideles in eorum locum offerebant pecuniam, unde Missarum stipendia orta esse communiter docetur. Dabantur etiam oblationes a fidelibus, quando sepultura fiebat, quando sacramenta suscipiebant; quae quidem oblationes initio voluntariae erant, sed temporis cursu ex consuetudine vim legis habente factae sunt quasi obligatoriae et quoad quantitatem determinatae; vocantur nunc «iura stolae» et serviunt pro sustentatione parochi aliorumque clericorum [3]. Hodiernis temporibus solent fieri sic dictae «Collectiones» (vulgo quête) sive durantibus divinis officiis sive ad portam ecclesiae sive alibi. Ex iure communi nihil de hac re praescriptum est; serventur igitur statuta particularia. Quaestio est: utrum regulares exempti teneantur in suis ecclesiis facere «Collectiones», quas episcopus vel forsan etiam parochus pro determinato fine praescribit? Salva meliore sententia videtur respondendum: Si episcopus talem «Collectionem» praecipit auctoritate apostolica, sicuti solet fieri in aliquibus regionibus pro (partialibus) dispensa-

[1] Cf. S. Cyprianum, S. Augustinum, S. Caesarium citatos apud Devoti, Instit. can. l. 2, tit. 17, § 3.

[2] Cf. Devoti l. c.

[3] De iuribus stolae cf. supra q. 80e et 83d.

tionibus ieiunii quadragesimalis, regulares exempti certo oboedire tenentur. In aliis casibus vero non videtur adesse stricta obligatio, cum nullibi in iure de hac re aliquod statutum inveniatur et proinde privilegium exemptionis praevaleat[1]. — Oblationes factae in ecclesiis vel oratoriis, quae intra finem alicuius parochiae reperiuntur et parochianae iurisdictioni subsunt (excipiuntur igitur ecclesiae vel oratoria exempta), pertinent ad ecclesiam parochialem, ut patet ex pluribus decisionibus S. C. C.[2] Attamen in praxi standum est statutis particularibus, legitimae consuetudini, et ante omnia voluntati expressae offerentium[3]. De Decimis et Primitiis, quae non sunt oblationes omnino liberae, infra sermo erit, ubi de vectigalibus vel taxis agetur.

Q. 182. *Quid iure statutum sit circa fundationes ecclesiasticas?*

R. Fundationes ecclesiasticae sunt bona temporalia (sive mobilia sive immobilia) ecclesiae vel ecclesiastico instituto data et ab ecclesiastica auctoritate legitime acceptata, eo fine ut ipsa vel potius eorum reditus serviant religioni vel caritati sive in perpetuum sive ad notabile tempus. Iam ab initio aerae christianae fideles quasi certatim obtulerunt Ecclesiae bona temporalia (domus, agros, vineas, pecunias) pro servitio religionis et caritatis, seu fundaverunt monasteria, seminaria, scholas, hospitalia, orphanotrophia, xenodochia etc. Notandum tamen est non quamlibet fundationem piam, caritativam vel philantropicam esse fundationem ecclesiasticam, e. gr. fundationes pro tuendis animalibus, pro sublevandis pauperibus Iudaeis, pro solvendis problematibus mathematicis vel scientificis etc. non sunt fundationes ecclesiasticae, ad quas requiritur, ut bona oblata cedant in

[1] Cf. Reiffenstuel in l. 3, tit. 30, n. 195.
[2] Cf. S. C. C. in Fulginat. 6 Apr. 1647.
[3] Cf. Schmalzgrueber in l. 3, tit. 30, n. 89 et 90.

dominium Ecclesiae, ut a legitima auctoritate ecclesiastica acceptentur, ac ut ipsa vel eorum reditus serviant fini religioni catholicae vel caritati.

Ecclesiam posse acceptare fundationes sine licentia potestatis civilis non est cur probemus, nam ut supra dictum est art. 1 Ecclesia habet perfectam libertatem acquirendi et possidendi quaecumque bona temporalia. Ex quo principio etiam sequitur fundationes a fidelibus pro Ecclesia factas esse validas et obligatorias in conscientia, etsi formae legales a civili iure praescriptae observatae non fuerint.

Fundationes merito habentur ut contractus bilaterales onerosi, nam fideles dant e. gr. summam pecuniae cum obligatione ex reditibus istius pecuniae dicendi quotannis unam Missam, ac ecclesiasticus superior acceptat pecuniam et nomine sui et successorum suorum promittit dicere quotannis Missam praescriptam. Cum autem nemo possit contractus inire nomine Ecclesiae nisi ille, qui ab Ecclesia legitime sit deputatus, certe omnes fundationes factae et acceptae sine legitima auctoritate ecclesiastica sunt rescindibiles, immo probabilius invalidae. Legitima auctoritas ecclesiastica est episcopus pro sua dioecesi; quaenam autem sit legitima auctoritas in ordinibus religiosis, videndum est ex legibus uniuscuiusque ordinis. Ex contractus natura, quam induunt fundationes, sequitur etiam, quod bona fundationum sunt cum magna cura administranda, et quod, si culpabili negligentia deperdita vel diminuta sint, restitui debent. De administratione fundationum Missarum saepe editae sunt sapientissimae leges apostolicae et novissime a S. C. C. 11 Maii 1904; statutum fuit ut (beneficiati) in fine cuiuslibet anni Missarum fundatarum onera, «quae reliqua sunt et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant» [1]. Attendendae sunt etiam leges particulares.

[1] Cf. decr. «Vigilanti» 25 Maii 1893.

Fundationum onera cessant, si bona in fundatione collata pereunt absque culpabili negligentia[1]. Iuxta praesentem disciplinam et absque specialissimo privilegio omnis reductio, mutatio, suppressio fundationum ecclesiasticarum pertinet privative ad Sedem Apostolicam.

Q. 183. *Quomodo bona ecclesiastica acquirantur per legata et testamenta?*

R. Quicumque legitimus possessor plenum rationis et libertatis usum habens potest Ecclesiae destinare bona saltem aliqua per donationem mortis causa. Ita ex iure naturali, quod non potest legitime mutari vel aboleri lege civili. Unde S. Congregatio de Prop. Fide a. 1807[2] decrevit: «Postulat enim imprimis ius naturale et divinum . . . ut voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium diligentissime impleantur.» Diximus tamen bona saltem aliqua, nam inter auctores disputatur, utrum parentes possint omnia bona sua subtrahere filiis per donationem mortis causa. Sententia, quae videtur probabilior, denegat talem facultatem parentibus. Etiam iura civilia plurimarum regionum denegant talem facultatem parentibus, e. gr. in Germania, Gallia, Anglia etc. — Praeterea, ut per se patet, nemo potest testamentum facere de bonis non suis. Unde clerici beneficiati non possunt testamentum condere de superfluis proventibus ecclesiasticis, cum non sint domini talium proventuum superfluorum[3], nihil tamen obstat, ne clerici saeculares libere testentur de bonis suis patrimonialibus, parsimonialibus et industrialibus. Sunt auctores, e. gr. Wernz, Ius decr. III, n. 277, qui docent clericos saeculares habentes bona ex superfluis reditibus beneficialibus posse et debere iuxta praxim

[1] S. C. C. 20 Dec. 1879.

[2] Collect. S. C. de Prop. Fide n. 1622.

[3] C. 9 X 3, 26 et glossa in hoc caput. Videsis apud Benedictum XIV, De syn. dioec. l. 7, celebrem controversiam, utrum clerici sint domini fructuum suorum beneficiorum.

modernam testari de illis bonis ad causas pias[1]. Multo autem tutius est non congerere superflua bona beneficialia, sed de illis disponere per donationes inter vivos iuxta sanctiones canonicas pro pauperibus piisve causis. Quantum ad sacra utensilia multoties a Summis Pontificibus inculcatum fuit, ut clerici beneficiati illa ecclesiis, quibus addicti erant, testamento relinquant, et Leo XIII die 25 Mart. 1889 omnibus episcopis enixe commendavit, «ut ss. ligni (S. Crucis) particulas quas thecis inclusas pectore prae se suspensas ferunt, successoribus transmittendas curent, adeo ut post ipsorum mortem . . . ad hos perveniant legitimo hereditatis iure». Quam salutaria ista monita sint, et quam incongruum sit, si e. gr. quis cognatus alicuius clerici mortui veniat in possessionem utensilium forsan consecratorum illaque vendat mercatoribus, per se patet. Nihilominus tales donationes mortis causa ex stricto iure communi non sunt invalidae neque prohibitae[2].

---

[1] Schmalzgrueber in l. 3, tit. 26, n. 85 citans pro sua sententia plures auctores docet: clericos saeculares, si adsit consuetudo immemorialis, posse valide et licite testari de omnibus bonis beneficialibus superfluis, et quidem etiam ad causas profanas, aliis verbis: clericos saeculares posse testamentum condere de omnibus bonis possessis aeque libere ac laicos. Quidquid est de probabilitate extrinseca huius sententiae, tamen videtur in praxi esse prorsus impossibile, ut ex hoc modo agendi non oriatur magnum scandalum. Tristis eheu experientia docet, quantum scandalum causent illi clerici, qui bona ex reditibus beneficialibus cumulantes illa ex testamento vel ab intestato relinquunt suis cognatis vel amicis, saltem si hi non sunt pauperes. Unde sententia a Schmalzgrueber prolata non videtur esse tuta in conscientia. Cf. etiam Benedictum XIV l. c. n. 14 et Bellarminum, Controv. 8 et praesertim Reiffenstuel in l. 3, tit. 25, n. 22 ad 50. Post factum tamen, cum sententia defensa a Schmalzgrueber aliisque nunquam ab Ecclesia sit explicite reiecta, recipientes huiusmodi bona beneficialia superflua non possunt cogi ad restitutionem, eo vel magis, cum difficulter probari possit testamentum vel legatum esse factum tantum ex bonis beneficialibus superfluis.

[2] Cardinales, nisi habeant speciale indultum, carent libera facultate disponendi etiam in favorem causarum piarum de sacris vestimentis

Testamenta (et idem valet de legatis) ad pias causas sunt privilegiata i. e. non requirunt formas legales; ideoque valent tum in foro interno tum in foro externo ecclesiastico, dummodo aliunde sufficienter constet de testatoris ultima voluntate. Ita sententia communissima adeo ut iam Reiffenstuel[1] merito dixerit hanc sententiam esse extra controversiam. Ratio est, quia causae piae ut plurimum ad Ecclesiam pertinent, quae sane non subditur legibus civilibus in acquisitione bonorum, ut supra dictum est. Si autem causae piae non directe pertinent ad iurisdictionem Ecclesiae ut e. gr. orphanotrophia laicalia, nihilominus testamentum informe in favorem illarum conditum valet, quia testator intendit principaliter honorare Deum et salvare animam suam, et talis intentio iam ad religionem pertinens non subiacet legislationi civili. Unde in conscientia tum heredes tum testamenti exsecutores tenentur voluntatem testatoris certe cognitam quantum ad causas pias adimplere, secus ad restitutionem tenentur. Nihilominus quando exsurgunt difficultates in praxi non raro aliqua transactio amicabilis de bonis sic relictis praeferenda est, vel etiam heredes possunt relinqui in bona fide, si nullus fructus ex monitione speratur. De quibus videsis Moralistas, e. gr. Lehmkuhl, Theol. mor. I 1148 nota.

Q. 184. *Quomodo Ecclesia acquirat bona per vectigalia et taxas?*

R. Ecclesiae competere ius imponendi iusta vectigalia pro sustentatione congrua clericorum et pro

---

et utensilibus ex reditibus ecclesiasticis comparatis. Illa enim, si agatur de Cardinalibus in Curia Romana residentibus, ipso iure ad pontificium sacrarium spectant; Cardinales vero qui sunt episcopi residentiales extra Curiam Romanam tenentur, ut in dispositione de sacris utensilibus prae oculis habeant ceterisque praeferent ecclesias cathedrales a se gubernatas. Cf. Breve Pii IX «Quum plurimi» 11 Sept. 1846 et const. «Cum illud» 1 Iun. 1847.

[1] In l. 3, tit. 26, n. 138.

expensis cultus certum est ac consuetudine omnium saeculorum probatum. In Vetere Testamento Levitis et sacerdotibus ex divina lege debitas fuisse decimas (quae nihil aliud sunt quam vectigalia) constat diversis locis Sacrae Scripturae [1], et in Novo Testamento Christiani iubentur Ecclesiae ministris praebere necessaria ad vitam honeste ac decenter traducendam [2]. Merito Angelicus Doctor docet fideles obligari ad vectigalia ecclesiastica tum ex iure divino tum ex iure naturali, licet quantitas determinata tributorum sit iuris ecclesiastici [3]. Decimae, de quibus Angelicus Doctor, veteres auctores et Corpus iuris (diversis in locis) loquuntur, sunt decima pars fructuum vel redituum, quam fideles pro clericis et cultu solvere tenebantur. Diversimode distinguebantur (reales, praediales, personales, mixtae, maiores, minores seu minutae, novales etc.); de quibus omnibus sicuti etiam de historia videsis Devoti, Instit. can. l. 2, tit. 16. Nostris temporibus ius decimarum magnas mutationes subiit, et non possunt statui regulae generales valentes pro omnibus regionibus. Nonnullis regionibus vectigalia ecclesiastica supervisioni et consensui gubernii civilis subiciuntur, quod quidem certe iniustum est, attamen ab Ecclesia toleratur [4]. Tales leges civiles hunc saltem bonum effectum habent; ut etiam rebelles efficaciter cogantur ad vectigalia solvenda. Qui detrectant vectigalia ecclesiastica solvere, peccant et possunt gravibus poenis ecclesiasticis puniri. Omnes tamen istae poenae sunt ferendae sententiae (saltem ex iure communi).

Praeter decimas antiqui Christiani solebant offerre pro cultu et sustentatione clericorum primitias i. e. rerum primos fructus. Dabantur praesertim ex uvis et frumentis,

[1] Cf. Lv 27, 30.
[2] Cf. Mt 10, 10; Lc 8, 3; 10, 7; 1 Cor 9, 7 9 10 13 14.
[3] S. th. 2, 2, q. 87, a. 1 ad 2.
[4] Cf. Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 48 et § 53.

certaque exstabat precum formula, quae in earum benedictione adhibebatur. Nunc fere ubique primitiae desierunt, ac si regio est in qua adhuc tribuuntur, ex statutis particularibus noscitur, quid et quantum dari debeat [1]. Per modum coronidis hic quaedam subiciuntur de vectigalibus, quae non a laicis, sed potissimum a clericis aliquando exiguntur. Sunt census, exactiones et procurationes, de quibus agitur in Decretalibus Gregorii IX l. 3, tit. 39.

Omissis aliis nominis census acceptationibus, quae videri possunt apud Reiffenstuel in hunc tit., census hic sumitur prout est annua pensio, quae ex reditibus ecclesiae vel beneficii in signum subiectionis (non dominii) solvitur episcopo vel eiusdem auctoritate et iusta ex causa aliis, e. gr. patrono, seminario etc. Nostris diebus census raro sunt in usu; in non paucis vero dioecesibus episcopus postulat sic dictum «seminaristicum» pro sustentatione seminarii dioecesanii [2] vel «cathedraticum» sive «synodaticum» pro sustentatione ecclesiae cathedralis. Iuxta veterem disciplinam pro cathedratico solvebantur duo solidi [3], iuxta modernam praxim quantitas cathedratici determinatur consuetudine; sic e. gr. in dioecesi Birminghamensi in Anglia cathedraticum est una guinea (guinee). Hodie cum reditus beneficiorum saepe sint imminuti vel onerati aliis expensis, cumque saepe aliter provisum sit fabricae ecclesiae cathedralis, solutio cathedratici vel «mediae

[1] Cf. Devoti l. c. § 2.

[2] Cf. Conc. Trid. sess. 23, c. 18 de reform. Quamvis verba Concilii Tridentini videantur satis clara, tamen in praxi quam plures difficultates et controversiae de taxa seminaristica ortae sunt, unde permultae decisiones S. C. C. hac de re prodierunt prout videri potest apud Schulte-Richter 212 sq. Regulares exempti ex statuto Tridentino obligantur ad solvendam taxam pro seminario. Excipiuntur tantum monasteria Ordinum Mendicantium et pauca alia instituta. Cf. Schulte-Richter l. c. et Reiffenstuel l. c. n. 37.

[3] Cf. Reiffenstuel in hunc tit. n. 11.

annatae» non semper urgeri solet nec potest[1]. Regulares non tenentur solvere cathedraticum de monasteriis et ecclesiis suis exemptis, si vero illis concreditae sunt ecclesiae saeculares, profecto ad cathedraticum obligantur, sicut ceterae ecclesiae saeculares[2]. Exactiones quamvis possint sumi generalius pro quibuslibet tributis collectis, pedagiis etc., attamen in sensu huius tituli sumuntur pro subsidio extraordinario, quod iusta de causa a Summo Pontifice vel ab episcopo imponitur et vocatur communiter subsidium caritativum vel brevius «caritativum». Antiquis temporibus Summi Pontifices in variis regionibus talia subsidia exegerunt[3], e. gr. ius spolii, ius annatarum etc. Hodiernis temporibus exactiones papales fere omnes desierunt[4]. Ad hoc ut episcopus valeat licite exigere «caritativum», requiritur praeter consensum capituli iusta et rationabilis causa ad commune bonum dioeceseos pertinens[5]. Tales causae sunt e. gr. expensae propter visitationem ad limina Apostolorum; quando adsunt magna debita quae episcopus vel eius antecessor contrahere debuit propter

---

[1] Cf. S. C. C. 22 Dec. 1906, apud Acta S. Sedis XL 151.

[2] Cf. Reiffenstuel l. c. n. 12 et 13.

[3] Cf. Wernz, Ius decr. III, n. 224; Sägmüller, Kirchenrecht § 193.

[4] Hodie adhuc in usu sunt taxae in pallii receptione (vigesima pars unius annatae; const. Urbani VIII «Dudum felicis» 7 Febr. 1642) in collatione dispensationum (const. Pii X «Sapienti consilio»; Norm. commun. c. 11) et aliquod annatarum genus quod vocatur «servitia communia». Quae quidem servitia communia sunt fructus primi anni, beneficiorum consistorialium, e. gr. episcopatuum. Solet tamen loco istorum fructuum primi anni solvi aliqua summa pecuniae determinata. Cf. Sägmüller, Kirchenrecht § 193.

[5] 1. An episcopi pingues reditus habentes possint exigere subsidium caritativum a suis clericis dioecesanis? 2. An episcopi . . . possint illud exigere nulla urgente causa et inconsulto eorum capitulo? 3. An possint illud exigere a clericis beneficiatis . . . quorum reditus vix sufficientes ad honestum victum? S. C. C. respondit: Ad 1 2 3 negative; apud Schulte-Richter 337, n. 27.

bonum dioeceseos etc.[1]. Regulares exempti non tenentur huiusmodi caritativum subsidium solvere, nisi tamen sunt deservitores ecclesiarum saecularium[2]. Procuratio intelligitur praestatio victus et honestae sustentationis exhibenda episcopis aliisque praelatis eorumque decenti comitatui tempore visitationis canonicae[3]. Haec praestatio potest fieri in natura vel pecunia numerata[4]. In «Procuratione» non includuntur expensae itineris. Has enim visitator ipse portare debet[5]. Obligatio praestandi procurationem incumbit omnibus ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis, quae reapse et quidem legitime visitantur. Unde patet illa instituta ecclesiastica, quae exempta sunt a visitatione, etiam eximi a procuratione praestanda[6]. Hodiernis temporibus multis in locis procurationes in desuetudinem abierunt vel normis particularibus taxae solvendae determinantur. Pariter portio canonica i. e. quarta pars earum rerum, quae ecclesiae vel pio loco relictae fuere, ex antiquo quidem iure[7] episcopis competebat, hodie tamen ubique terrarum sublata est per contrariam legitimam consuetudinem.

Scholion. Nulla regula generalis statui potest de taxis solvendis tum a clericis tum a laicis pro quibusdam dispensationibus et functionibus ecclesiasticis. In unaquaque fere dioecesi specialis norma observatur. Celeberrima «Taxa Innocentiana» sic dicta, quia ab Innocentio XI die 1 Oct. 1678 approbata et praescripta fuit, laudabiliter quidem adhuc nostris diebus observari potest, sed non videtur adhuc habere vim stricte obligatoriam nec ipsa S. Congregatio Concilii interrogata de obligatione huius taxae rem definire voluit, ut testatur A. Lucidi, De visitatione ss. liminum I, n. 218 (ed.

---

[1] Cf. Reiffenstuel l. c. § 2, n. 30.
[2] Cf. ib. n. 27. [3] Cf. c. 6 X 3, 39.
[4] Cf. Reiffenstuel in h. tit. n. 59. [5] Cf. ib. n. 56.
[6] Cf. ib. n. 51—56 67 68. [7] C. 14 20 X 3, 26.

1883). Cum autem episcopi teneantur in visitatione ss. liminum rationem reddere de taxa usitata in sua dioecesi, consultius est, quod episcopus specialem taxam proponat et approbationem apostolicam obtineat. Non est igitur in auctoritate episcopi taxam suae dioeceseos libere mutare [1]. Nonnisi summa cum iniuria aliqui murmurant contra taxas ecclesiasticas, nam certum est illas esse in se licitas, iustas et multo magis moderatas quam taxas a curiis civilibus exactas. S. Congregatio Concilii die 10 Iun. 1906 sapientes regulas hac de re statuit: libere i. e. sine taxa conferantur ecclesiastica sacramenta. Quod vero ad reliquos actus, qui directe non respiciunt administrationem sacramentorum, uti sunt dispensatio a denuntiationibus matrimonii etc., servandae sunt laudabiles consuetudines et ratio prudenter habenda est locorum, temporum et personarum. Vere pauperes eximendi sunt a quibusvis expensis [2].

Q. 185. *Quomodo Ecclesia acquirat vel amittat bona titulo praescriptionis?*

R. 1. Praescriptio definiri potest: «acquisitio dominii per continuatam possessionem certo tempore a lege definito» [3]. Cum in definitione dicatur «certo tempore a lege definito», agitur hic de lege ecclesiastica. Ecclesia enim utpote societas perfecta regitur propriis legibus et non legibus civilibus.

2. Praescriptione legitima dominium rerum temporalium posse acquiri tum in foro interno tum in foro externo, ab omnibus admittitur, licet inter auctores disputetur, utrum praescriptio iure naturali, an iure gentium, an iure positivo sit stabilita.

---

[1] Cf. Lucidi l. c.

[2] Apud Collectan. de Prop. Fid. II, n. 1939. Cf. novam constitutionem Pii X «Sapienti consilii» et Normas adiectas.

[3] Ita Moran O. Pr., Theologia moral.[2] n. 1056.

3. Conditiones ad legitimam praescriptionem requisitam sunt: res apta, bona fides, titulus, possessio, tempus, de quibus omnibus in particulari videsis Moralistas, e. gr. Moran I, n. 1058 sq vel Lehmkuhl I 918 sqq.

4. Ecclesia i. e. singulae personae iuridicae ecclesiasticae possunt titulo praescriptionis bona temporalia acquirere sicut aliae personae privatae. Utrum autem in hac praescriptione acquisitiva sit iudicandum iuxta legem canonicam an iuxta legem iustam civilem illius regionis in qua praescriptio obtinet? Respondetur cum distinctione: observandae sunt leges civiles regionis, si agitur de acquirendis bonis laicalibus. Nam bona laicalia principalius reguntur legibus civilibus regionis et non lege ecclesiastica, sicuti etiam singulae personae ecclesiasticae iuridicae tenentur observare leges civiles iustas regionis in contractibus, e. gr. in emptione et venditione. Econtra non leges civiles sed leges ecclesiasticae observandae sunt, a) quando agitur de praescriptione inter duas personas iuridicas ecclesiasticas, e. gr. inter duas parochias, inter duo monasteria, et b) quando agitur de praescriptione acquisitiva laicae personae contra bona ecclesiastica. Ratio est, quia in utroque casu agitur de bonis vere ecclesiasticis, quae non subsunt legibus civilibus, sed legi canonicae. Hodiernis temporibus fere nullibi civilia gubernia curant de lege canonica quantum ad praescriptionem, unde in foro conscientiae non raro magnae difficultates oriri possunt. Casu occurrente melius est petere condonationem vel transactionem amicabilem a S. Sede.

5. Iuxta legem canonicam a praescriptione excluduntur:

a) omnia iura, quae lege divina in Ecclesia constituta sunt, e. gr. primatus iurisdictionis Romani Pontificis;

b) ecclesiae consecratae respectu privatae personae laicae. Nihil autem impedit, quominus parochia vel monasterium aliquam ecclesiam consecratam praescriptione legitima acquirat. Pariter persona laica praescriptione

acquirere potest calicem consecratum, aliasque res sacras, quae forsan sunt in possessione alicuius privatae personae, unde non recte loquuntur quidam auctores dicentes omnes res sacras non posse praescribi [1];

c) res furtivae aut vi possessae, donec vitium purgatum fuerit;

d) limites certi dioecesium et parochiarum. Quodsi limites sunt dubii, quadragenaria praescriptio dominium transfert [2];

e) beneficia ecclesiastica sine legitimo titulo a clericis obtenta, quia Reg. 1 iur. in VI° statuit simpliciter: «Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri»;

f) onera Missarum etiam longissima consuetudine [3].

6. Iuxta legem canonicam ad quamlibet legitimam praescriptionem requiritur praeter alia necessaria tempus 30 annorum, si deest titulus (cf. tamen supra q. 18).

Cum titulo vero res mobiles non pretiosae praescribuntur triennio; res mobiles pretiosae sicuti et res immobiles privatorum hominum decennio inter praesentes et vicennio inter absentes; res immobiles ecclesiasticae praescribuntur quadraginta annis, immo res immobiles Ecclesiae Romanae non praescribuntur nisi centum annis; bona Benedictinorum (per communicationem privilegiorum etiam bona Ordinum Mendicantium) 60 annis [4].

ARTICULUS IV.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Q. 186. *Quid veniat nomine administrationis bonorum ecclesiasticorum?*

R. Administratio, prout hic sumitur, continet omnes illos actus, qui ad conservationem bonorum ecclesiasti-

[1] Cf. Wernz, Ius decr. III, n. 299. [2] C. 9 X 2, 26; c. 4 X 3, 29.
[3] Cf. S. C. C. 18 Aug. 1843, apud Wernz l. c.
[4] Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. I, n. 922.

corum atque ad receptionem et distributionem fructuum eorum requiruntur. Excluduntur autem actus acquisitionis et alienationis. Sicuti Ecclesia habet liberum dominium in sua bona, ita etiam habere debet eorum liberam administrationem. Hodiernis tamen temporibus gubernia civilia non raro se immiscent huic administrationi, e. gr. in Germania, Austira, Italia etc. Quodsi Ecclesia tolerat talem abusum, statuta uniuscuiusque regionis observanda sunt [1].

Q. 187. *Quinam sint legitimi administratores bonorum ecclesiasticorum?*

R. 1. Summus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum est Romanus Pontifex vi primatus iurisdictionis, et ideo leges de administrandis bonis ecclesiasticis pro universa Ecclesia fert; attamen in praxi solet magnam libertatem relinquere inferioribus administratoribus singularum ecclesiarum (salvo tamen suo beneplacito pro maioribus alienationibus de quibus infra art. sequ.).

2. Episcopus est supremus, non autem immediatus administrator omnium bonorum suae dioeceseos ad loca pia, instituta religiosa, ecclesias parochiales etc. pertinentium. Excipiuntur tantum bona religiosorum exemptorum, quae administranda sunt iuxta approbata statuta uniuscuiusque religionis. Diversimode diversis in regionibus episcopi hanc administrationem exercent, unde consulenda sunt statuta particularia. Administratio episcopalis in praxi saepe solet se extendere tantum ad supervisionem et visitationem.

3. Beneficiarii sunt proprii administratores bonorum beneficialium.

Q. 188. *Quinam sit aptus modus administrationis?*

R. In illis regionibus, ubi Ecclesia tolerat interventum gubernii civilis in bonis ecclesiasticis administrandis,

[1] Cf. Vogt, Kirchl. Vermögensrecht § 19.

solent exsistere particulares minutae ordinationes de administrandis bonis fabricae ecclesiasticae, quae quidem normae sedulo observandae sunt, ne querelae oriantur ex parte potestatis civilis, neve maiora mala eveniant. In aliis regionibus solent episcopi praescribere, quomodo singula bona ecclesiastica sint administranda. Singulis administratoribus incumbere strictissimam obligationem, omni qua possunt diligentia administrandi, conservandi, immo et meliorandi bona ecclesiastica ipsis concredita, in aprico est. Nam si coelestis Pater familias a quolibet villico exacturus est strictam rationem administrationis, nonne hoc multo severius faciet ab illis villicis, qui bonis Ecclesiae et pauperum regendis praepositi sunt? Ante omnia quilibet administrator ecclesiasticus tenetur libros administrationis in optimo ordine habere (librum inventarii, librum dati et expensi etc.), nam experientia quotidiana constat magna damna, immo et ipsam ruinam pecuniariam oriri ex libris administrationis non ordinatis. Deinde prorsus abstineat a sic dictis speculationibus pecuniariis modernis, nam praeter quod commercium clericis a iure canonico prohibitum sapiunt, sunt periculis plenae et eheu, experientia testante, saepe ad enormia damna bonorum ecclesiasticorum ducunt. Bona ecclesiastica reddantur fructifera modis ab episcopo dioecesano, a superioribus maioribus vel a Sancta Sede expresse approbatis et non aliter. Meminerint omnes administratores, se strictissime ad restitutionem obligari, si eorum gravi culpa bona ecclesiastica illis concredita minuta vel deperdita fuerint.

ARTICULUS V.

DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

Q. 189. *Quid intelligatur nomine alienationis bonorum ecclesiasticorum?*

R. Alienatio hic sumitur generalissime pro qualibet actione, qua bona ecclesiastica alia fiunt seu mutantur,

sive hoc sit emptione, sive venditione, sive commutatione, sive locatione, sive emphyteusi, sive hypotheca, sive donatione, sive cessione iuris etc. Quod constat ex multis textibus iuris, e. gr. c. 3 X 3, 24; c. 5 X 3, 13; c. 6 X 3, 17; c. 1 3 4 6 X 3, 19; c. 2 X 3, 20 etc. Requiritur autem, ut aliquis verus contractus[1] intercedat (sive gratuitus sive onerosus), nam si quis furatur bona ecclesiastica vel illa damnificat, vel si quis administrator ecclesiasticus repudiat bona Ecclesiae oblata, peccat quidem, sed non cadit in poenas contra alienantes latas. Ita sententia communior et verior. Ratio est, quia Ecclesia suis decretis voluit impedire frivolam vel incautam administrationem bonorum suorum, quae certo magno periculo exposita essent, si quilibet administrator pro libitu suo illa alienare posset. Plures auctores, e. gr. Schmalzgrueber, D'Annibale, Bucceroni, Hollweck, Wernz, Ius decr. III, n. 154, putant non esse alienationem, pecuniam accipere sine hypotheca, vel pecuniam mutuo dare in forma legitima et secura. Quae quidem sententia in praxi admitti potest, si agitur de parvis summis pecuniae (infra 600 francos), attamen si agitur de magnis summis pecuniae, haec sententia non videtur probabilis, quia non probata. Unde etiam S. C. C. 26 Ian. 1906 videtur illam reiecisse[2]. Sane quidem licet

[1] Ita intelligendam esse alienationem manifeste apparet ex Decreto S. C. C. ab Urbano VIII approbato d. 7 Sept. 1622 (apud Benedictum XIV, Raccolta di alcune Notificazioni II, notif. 69), quo regularibus prohibetur: «omnium rerum et bonorum immobilium ac pretiosorum mobilium alienationem omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur absque ipsius Congregationis licentia in scriptis et gratis concedenda». Casu quo regulares donarent illegitime bona immobilia vel mobilia pretiosa, dantes et recipientes non tantum incurrerent poenas contra alienantes sed etiam contra largientes munera latas.

[2] 1. «An pro alienatione publicarum versurarum (titres, actions, obligations) ad ecclesiastica entia vel ad pias causas tutelae ecclesiae subiectas spectantium, Apostolicum beneplacitum requiratur prouti pro alienationibus bonorum immobilium ac rerum pretiosarum?»

pecuniam acceptam, e. gr. pro fundationibus Missarum, mutuo dare securis titulis, cum Ecclesia ipsa praecipiat, ut huiusmodi pecunia quantocius in bonis fructiferis collocetur; insuper licet pecuniam, quae in administratione superest, vel hic et nunc non adhibetur, collocare in modernis institutis pecuniariis (dummodo sint secura) vulgo banque, caisse d'épargne etc. ad hoc ut foenus reportet, sed minime licet administratoribus ecclesiasticis sine solemnitatibus a iure ecclesiastico praescriptis magnam summam pecuniae aut commodare aut mutuo dare. E. gr. ecclesia vendit cum debita licentia fundum suum Viae ferreae et recipit 100000 francos. Requiritur nova licentia, ut ista pecunia ponatur in aliqua Banca vel aliis personis mutuo donetur, quae tamen licentia, ut per se patet, insimul cum prima licentia peti et accipi potest. Schmalzgrueber (l. c. n. 15) putat repudia-

2. An eadem facultas requiratur pro earundem permutatione in alias publicas versuras aut valores etiam immobiles?

3. An venditores et acquirentes obnoxii sint ecclesiasticis poenis sancitis a Conc. Trid. sess. 22, c. 2 de reform. ab Extravag. «Ambitiosae» et a const. «Apostolicae Sedis»?

S. C. C. die 17 Febr. 1906 respondit:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis. . . .

Ad 3. Affirmative quoad poenas in Extravag. «Ambitiosae» et const. «Apostolicae Sedis» statutas.

Ex hac declaratione S. C. C. apparet istas versuras (titres) considerari et quidem optimo iure tamquam bona immobilia vel potius tamquam res mobiles pretiosas*. Quod autem de istis versuris (titres) valet, nobis videtur (salva meliore sententia) etiam de pecunia valere cum prorsus sit eadem ratio in commercio hodierno. Sicuti enim pecunia numerata, quaelibet res emi potest, ita etiam istis versuris; immo in pluribus regionibus versurae aliquarum Bancarum (vulgo billets de banque) pro pecunia numerata habentur. In praxi videtur consulendum, ut episcopi et superiores ordinum religiosorum petant a S. Congregatione facultates habituales (casu occurrente) alienandi bona ecclesiastica huiusmodi, sicuti etiam plures episcopi reapse fecerunt et cum levibus restrictionibus obtinuerunt. Quod iam quoad sensum docuit Schmalzgrueber in l. 3, tit. 13, n. 2.

tionem hereditatis vel legati non esse alienationem, sed haec sententia non videtur probabilis, quia ex hereditate vel legato nascitur revera ius quaesitum Ecclesiae. Porro cessio iuris est vera alienatio ut auctores communissime docent. Unde praelatus repudians legitimam hereditatem (et idem dic de legato) Ecclesiae factam non tantum peccat, sed etiam poenas contra alienantes incurrit.

Q. 190. *Quaenam sint bona ecclesiastica, de quibus hic agitur?*

R. Omnino omnia illa bona materialia (quibus annumerantur maiores reliquiae), quae sunt in dominio alicuius ecclesiae vel ecclesiastici instituti, non autem illa bona, quae pertinent ad pia instituta laicalia. E. gr. aliquod nosocomium possidetur a sororibus alicuius instituti approbati. Omnia bona ad hoc hospitale pertinentia censentur ecclesiastica. Aliquod nosocomium vel opus pium possidetur ab urbe vel a gubernio civili, sed ibi deserviunt eaedem sorores. Omnia bona illius non sunt ecclesiastica sed laicalia. Ita sententia communis.

Q. 191. *Quid statuerit Ecclesia quoad alienationem bonorum ecclesiasticorum?*

R. 1. Pius IX in Bulla «Apostolicae Sedis» excommunicationem latae sententiae non reservatam latam contra «alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica sine beneplacito apostolico ad formam Extravagantis ‚Ambitiosae' de reb. eccl. non alienandis» iterum confirmavit. Paulus II a. 1468 (1469) statuit: «Ambitiosae cupiditati illorum praecipue qui . . . immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata . . . usurpare praesumunt occurrere cupientes, omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a iure expressis,

ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis et tunc ecclesiarum evidenti utilitati, ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt fieri prohibemus . . . Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quicquam alienare praesumpserit, alienatio . . . huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero contra praesentis constitutionis tenorem, si pontificali vel abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus ecclesiae sit penitus interdictus, et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi animo perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem a regimine et administratione ecclesiae vel monasterii, cui praesidet, in spiritualibus et temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero . . . administrationem quomodolibet obtinentes . . . ecclesiasticis cum cura et sine cura . . . beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati exsistant . . . Nihilominus alienatae res et bona huiusmodi ad ecclesias, monasteria et loca pia, ad quae ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere revertantur.» Haec Bulla a Paulo II edita nunquam fuit revocata, sed econtra ab Urbano VIII decreto 7 Sept. 1624 et a Pio IX const. «Apostolicae Sedis» fuit confirmata, unde certum est illam etiam nostris temporibus et quidem ubique terrarum obligationem habere.

2. Ad omnem alienationem bonorum ecclesiasticorum requiritur iusta causa, ita ut nec ipse Summus Pontifex possit licite alienare bona ecclesiastica sine iusta causa. Ratio est, quia omnes praelati ecclesiastici non sunt domini, sed tantum administratores bonorum ecclesiasticorum, quae servire debent utilitati Ecclesiae, ut supra dictum est. Tamquam iustae causae communiter enumerantur ab auctoribus: Ecclesiae necessitas, vel

evidens utilitas[1], pietas[2] vel ipsius rei alienandae inutilitas.

3. Praeter iustam causam alienationis requiritur iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam etiam beneplacitum apostolicum (vel licentiam alterius praelati ab Apostolica Sede rite delegati), si agitur de alienatione rerum immobilium maioris momenti vel rerum mobilium pretiosarum. Attamen si esset periculum in mora hoc beneplacitum apostolicum praesumi et res ecclesiastica alienari posset. Ratio est, quia nulla lex ecclesiastica positiva obligat cum magno incommodo. Deberet tamen postea accurate ratio reddi, quare alienatio tam urgens et necessaria habita sit.

4. Quaenam sint res immobiles maioris momenti, et quaenam sint res mobiles pretiosae, non una fuit et est sententia doctorum. Mirum est quam diversa quantitas a diversis auctoribus assignetur. Nulla clara et authentica determinatio hac de re exsistit[3]. Unde standum est consuetudini legitimae vel prudenti iudicio praelatorum ecclesiasticorum. Sane nostris temporibus valor pecuniae est triplo vel quadruplo minor quam Medio Aevo, unde illud quod veteres auctores docent, circa c. Terrulas 33, C. XII, q. 2 hodie non potest applicari. Concilium Baltimor. III a. 1884 statuit (n. 20): «Quando agitur de bonis et fundis dioecesis vel missionum permutandis aliisque agendis, quae speciem alienationis prae se ferunt, ubi summa pecuniae non excedat valorem quinque milium scutatorum (25 000 *Fr.*), episcopi liberi erunt; ubi vero negotium eam summam superet tunc requiritur consilium consultorum, eoque praehabito, necessaria est S. Sedis permissio.» In aliis regionibus, e. gr. in archidioecesi Coloniensi, ex licentia S. Sedis adhuc maior libertas concessa est.

[1] C. 8 X 3, 10. [2] Cf. c. 15 et 16, C XII, q. 2.
[3] Cf. Hollweck, Die kirchl. Strafgesetze § 158.

5. Alienatio bonorum ecclesiasticorum illegitima, sive ex deficiente iusta causa, sive ex deficiente beneplacito apostolico requisito, est prorsus irrita et invalida, ita ut inde nulla translatio dominii oriatur. Patet ex const. «Ambitiosae». Ecclesia potest bona illegitime alienata requirere, et novus possessor tenetur illa restituere. Ille vero administrator, qui sine beneplacito apostolico necessario bona ecclesiastica alienavit, non tantum incurrit poenas, de quibus n. 6 erit sermo, sed etiam tenetur Ecclesiam reddere indemnem. Quae quidem obligatio etiam ad heredes transit.

6. «Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico, ad formam Extrav. ‚Ambitiosae' de rebus ecclesiasticis non alienandis» incurrunt excommunicationem latae sententiae sed nemini reservatam. Utrum ignorantia etiam crassa excuset ab hac censura, non concordant auctores. Melior et communior sententia docet recipientes excusari ignorantia crassa, non vero ipsos alienantes[1]. Et quidem optimo iure mitius tractantur recipientes, quia facilius bona fides potest adesse; econtra alienantes severius puniendi sunt, cum Ecclesia illis bona administranda commiserit, quam administrationem sibi creditam non faciunt iuxta mentem Ecclesiae. Aliae poenae in constitutione «Ambitiosae» contra alienantes latae (cum videantur requirere sententiam iudicis declaratoriam) probabilius iam non incurruntur, et hoc quidem certum est, si istae poenae fuerint censurae stricte dictae, cum hodie tantum exsistant pro Ecclesia universali censurae in Bulla «Apost. Sedis» vel post illam noviter latae. Licet autem quilibet confessarius absolvere possit ab hac excommunicatione, cum illa non sit reservata, tamen absolutio dari nequit, nisi reus serio promittat, quantocius pactum initum rescindere, vel beneplacitum apostolicum petere pro

[1] Cf. Comment. Reatin. et Hollweck l. c. § 159.

ratificatione factae alienationis. Poenae vero, quas Urbanus VIII die 7 Sept. 1624 statuit contra regulares illegitime alienantes bona ecclesiastica, sc. privationem vocis activae et passivae omniumque officiorum obtentorum, et perpetuam inhabilitatem ad illa inposterum obtinenda, et hoc quidem «ipso facto absque alia declaratione», probabilius adhuc valent, cum nullibi revocatae sint. Quare pro regularibus severior viget disciplina [1].

7. Iure particulari (praesertim in ordinibus religiosis et de bonis capitulorum) particularia praecepta saepe lata sunt circa alienationem bonorum ecclesiasticorum, quae quidem, si non adversantur iuri communi, adamussim observanda sunt.

8. Alienare bona ecclesiastica non est idem ac usurpare bona ecclesiastica. Hac enim expressione usurpationis nunc tantum intelligitur occupare bona ecclesiastica quasi ex iure et auctoritate [2] neque est idem ac vendere seu liquidare bona ecclesiastica usurpata a gubernio civili. Unde S. Poenitentiaria his ultimis annis pluries respondit: Liquidatores bonorum ecclesiasticorum a gubernio Gallico usurpatorum non incurrere excommunicationem. Quomodo autem agendum sit cum illis, qui bona ecclesiastica usurpata emerunt a gubernio civili, non potest generali norma statui. Unde pro diversis casibus et regionibus S. Congregationes Romanae diversas normas praescripserunt [3].

---

[1] Cf. Piat, Prael. iur. regul. I² 603, qui recte docet eidem legi subici Moniales et omnes Congregationes votorum simplicium.

[2] Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. II, q. 37.

[3] Videsis Gennari Circa la composizione sui beni e sugli oneri eccles., et S. Poenit. 5 Aug. 1907.

APPENDIX I.

De iudiciis ecclesiasticis.

A veteribus et a quibusdam modernis auctoribus in longum et latum tractatur de iudiciis ecclesiasticis tum civilibus tum criminalibus. Attamen omnia illa, quae hac de re antiquitus praescripta fuere, hodiernis temporibus rarissime (si unquam et ullibi) in praxim reduci possunt vel reducuntur. Quod quidem adeo verum est, ut S. Congregatio Ep. et Reg. die 11 Iunii 1880 ediderit novam Instructionem pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum. Laici autem iam a longo tempore non solent citari ante iudicem ecclesiasticum in rebus criminalibus. Ordines regulares ex privilegio non tenentur ad «apices iuris» [1] et praeterea quilibet ordo solet habere specialem modum procedendi in causis disciplinaribus et criminalibus [2]. Quod vero attinet ad iudicia civilia, quae in foro ecclesiastico tractantur (e. gr. nullitas matrimonii vel professionis religiosae, res beneficiariae etc.), determinatus modus praescriptus est, qui

---

[1] Cf. const. «Ad augmentum» Bonifatii VIII (Bullarium O. Pr. II 47).

[2] Cf. e. gr. talem modum in Ordine Capucinorum ed. Romae 1901 apud Ried-Brig, Man. pract. iur. discipl. et criminalis. — Pius X novas normas statuit pro iudiciis in Curia Romana pertractandis, sive in Tribunali Rotae sive in Tribunali Signaturae Apostolicae. Cf. Lex propria c. 2 sqq.

non potest sufficienter cognosci regulis generalibus iudiciorum. Quae cum ita sint, scopo huius Manualis conformius esse visum fuit, praetermittere ea, quae auctores de iudiciis ecclesiasticis tractant. Videri possunt Lega, De iudiciis ecclesiasticis (4 voll.), vel Piat in suis Praelectionibus iuris regularis etc. Ne tamen discipuli omnino ieiuni sint in hac materia, subicimus Instructionem S. Congregationis supra citatam, addendo brevem commentarium super illam, exspectantes interim mutationes, quas nova codificatio iuris canonici afferet de iudiciis ecclesiasticis.

«Instructio S. Congregationis Episcoporum et Regularium pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum edita die 11 Iunii 1880.» [1]

«Sacra haec Ep. et Reg. Congregatio, praesentis temporis conditione, in qua Ecclesia versatur, accurate perpensa, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur, simulque et illud prae oculis habens, curias ecclesiasticas (ut plurimum) opportunis mediis carere ad conficiendum processum regularem (iuxta apices iuris), statuit, ut locorum Ordinariis concedatur facultas expressa procedendi formis magis oeconomicis in exercitio iurisdictionis disciplinaris in clericos. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaque maneat, et ut canonica processuum regularitas et uniformitas servetur, sequentes praestituit normas ab omnibus curiis servandas.»

---

[1] Haec Instructio edita fuit lingua italica, sed brevitatis causa non damus nisi translationem latinam fideliter factam iuxta textum italicum. Exsistunt diversae translationes; illa vero quae subicitur videtur clarior et textui originali conformior. Droste (Kirchl. Disziplinar- und Kriminalverfahren gegen Geistliche [1882] 11) recte adnotat hanc Instructionem quasi verbotenus esse compositam ex diversis responsionibus particularibus eiusdem Congregationis.

I.

«Ordinario incumbit pastorale onus curandi disciplinam correctionemque clericorum, qui ipsis subduntur, vigilandi super eorum mores et utendi remediis canonicis sive ad praecavendas sive ad corrigendas deordinationes.»

Nomine Ordinarii hic praeprimis venit episcopus dioecesanus, qui habet perfectam iurisdictionem in omnes clericos suae dioecesis non exemptos. Si autem regularis exemptus extra suum conventum deliquerit vel minus recte egerit, episcopus dioecesanus habet ius exigendi, ut superior regularis talem religiosum puniat. Quod si non fit, tunc episcopus ipse delinquentem punire potest. Sunt tamen casus, e. gr. sollicitatio ad turpia occasione confessionis sacramentalis; in quibus episcopus, quolibet alio superiore excluso, procedere debet contra omnes clericos etiam exemptos dioecesis suae (vide infra t. II, ubi de exemptione regularium agitur). Nihil etiam ex iure communi obstat, quominus sequentes normae adhibeantur a superioribus religiosis pro suis clericis. — Vicarius generalis, licet cum episcopo constituat unum tribunal, tamen in causis criminalibus habet iurisdictionem limitatam et saepe eget delegatione speciali episcopi (c. 2 in VI° 1, 13; cf. supra q. 107).

II.

«Ex his remediis alia praeveniunt malum, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora student amovere ea, quae aut scandalum, aut occasionem voluntariam, aut causam proximam delinquendi praebent. Posteriora vero tum delinquentes ad meliorem frugem revocare, tum damna ex crimine secuta reficere satagunt.»

III.

«Porro Ordinariis munus incumbit recensita hactenus remedia pro sua prudentia ac conscientia adhibendi, prout rerum et adiunctorum natura et canones ecclesiastici exigunt.»

Hac ordinatione conceditur Ordinariis magna libertas in clericorum suorum causis disciplinariis. Et valde quidem congruenter. Facile enim evenire potest, ut per formalem processum iudicialem contra

St. Albert's College Library

aliquem clericum maxima scandala oriantur in populo et clericus delinquens nedum corrigatur, sed potius in malo obstinetur. Hinc hodiernis diebus quam plurimi episcopi relicta forma iudiciali, nonnisi monitione et punitione paterna in clericos suos delinquentes procedere solent; quo quidem modo et iustitia servatur et delicta emendantur et delinquentium famae meliore modo consulitur.

IV.

«Mediis, quibus malum praecavetur, potissimum accensentur exercitia spiritualia, monitiones et praecepta.»

V.

«His tamen praemittenda est summaria facti verificatio, quae ab Ordinario scriptis notanda est, ut et ad ulteriora procedere possit, quatenus opus sit, et superiori auctoritati in casu legitimi recursus rationem reddere queat.»

Hac salutari ordinatione ex una parte evitantur frivolae accusationes, quae nostris temporibus non raro contra clericos innocentes (vel saltem minus culpabiles) attemptantur; ex altera vero parte episcopus (vel superior religiosus) post seriam et prudentem verificationem facti melius et severius procedere potest contra delinquentem, si ille forsan contumax esset, et in casu recursus ad altiorem superiorem suum agendi modum defendere. Quando superior aliquo modo sive per denunciationem sive per famam in cognitionem alicuius delicti a suo subdito commissi devenerit, tenetur prudenter inquirere, utrum revera tale delictum commissum sit. Cuius inquisitionis effectus (sicuti e. gr. testium depositiones, examen instrumentorum) sedulo scriptis notentur et conserventur. Peracta autem inquisitione, superioris est iudicare, utrum probationes sint sufficientes necne, et si quidem non habetur moralis certitudo, tamen superior potest denunciatum subditum ad se arcessere illique delictum denunciatum pandere, paterne monere vel etiam corrigere. Si subditus accedit et accusationem falsam vel improbabilem demonstrat, vel si emendationem seriam promittit et poenitentiam impositam humiliter acceptat, nihil ultra est agendum. Si autem non accedit vel monitiones paternas spernit, tunc monitio canonica legalis adhibenda est, quae ordinarie trina vice saltem spatio bidui interposito fit a superiore adhibitis actuario et duobus assistentibus. Si tamen periculum est in mora, sufficit una monitio peremptoria. Quomodo tunc procedendum sit, infra in n. 7 et 8 dicetur.

VI.

«Canonicae monitiones fiunt vel in forma paterna et secreta (etiam per epistulam aut interpositam personam) vel in forma legali, ita tamen ut aliquo modo semper facta admonitio probari possit.»

Monitiones canonicae debent registrari in Cancellaria episcopali. De iure essent faciendae successive tres monitiones canonicae, sed sufficit etiam una monitio peremptoria, dummodo tamen saltem sex dies postea conceduntur ad emendationem rei.

VII.

«Si monitiones frustra adhibitae fuerint, Ordinarius curiae mandat, ut delinquenti praeceptum opportunum intimetur, quo eidem, quid facere vel omittere debeat, indicatur, addita comminatione respondentis poenae ecclesiasticae, quam incurret in casu transgressionis.»

VIII.

«Praeceptum reo praevento intimatur a cancellario coram vicario generali vel coram duobus testibus probatae integritatis sive ecclesiasticis sive laicis.

§ 1. Actus subscribitur a partibus praesentibus quin et a praevento si velit.

§ 2. Vicarius generalis iurisiurandi vinculo obstringere potest testes, ut secretum servent, si rei natura, de qua agitur, id ad prudentiae normam exigat.»

Cum eo perventum est, iam praeliminaria processus proprii iudicialis habentur. Quae normae in n. 8 praescribuntur, fere includunt ea, quae a canonistis solent appellari «oblatio libelli» et «citatio rei». Fere eadem habentur in c. 11 X 2, 19: «Statuimus ut tam in ordinario iudicio quam extraordinario iudex semper adhibeat aut publicam (si potest haberi) personam aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribant.»

IX.

«Ad infligendas poenas quod spectat, Reverendissimi Ordinarii animadvertant, hanc Instructionem haud ef-

ficere ut solemnitates in iudiciis servandae iuxta sacros canones, apostolicas constitutiones aliasque ecclesiasticas sanctiones abrogatae censeantur, quotiescumque libere et efficaciter adhiberi possint, verum oeconomicus huiusmodi processus in iis casibus et iis curiis servandus praescribitur, in quibus solemnitates iudiciorum aut adhiberi nequeunt, aut minus expedire videantur.

Insuper vim suam plene retinet remedium extraiudiciale, quod ex informata conscientia appellatur et quod pro criminibus occultis adhibendum decrevit Conc. Trid. sess. 14, c. 1 de reform. iis tamen regulis et cautionibus, quas in eiusdem capitis interpretatione constanter adhibuit S. Congr. Concilii in pluribus resolutionibus ac nominatim in Bosniens. et Sirmiens. 20 Dec. 1873.»

Liberum est igitur, immo consultum est curiis ecclesiasticis, si nullum inconveniens oriatur, adhibere omnes solemnitates iuris in processibus criminalibus. Circa formam procedendi **ex informata conscientia** haec notentur:

a) Vigore Concilii Tridentini modo citati episcopi possunt procedere «ex informata conscientia» contra subditos ob delictum occultum, quacumque ratione sed cum morali certitudine cognitum (excepto illo, quod ex sacramentali confessione tantum cognoscitur). Talis potestas competit etiam superioribus religiosis et quidem iam ex iure Decretalium (cf. c. 5 X 1, 11).

b) Ex informata conscientia nulla autem alia poena infligi potest ac suspensio (temporanea) ab exercitio ordinum, ab officio et dignitatibus. Unde episcopus videtur non posse suspendere a b e n e f i c i o ex informata conscientia ut docet Ferraris, Prompt. Bibl. s. v. Suspensio n. 15, et Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 12, c. 8, n. 3 (cf. casum relatum in Thesauro Resol. S. C. C. CXXXVII 463). P a r i t e r n o n p o s s u n t a l i a e p o e n a e g r a v i o r e s i n f e r r i e x i n f o r m a t a c o n s c i e n t i a, ut docent auctores communiter.

c) Culpa ob quam infligitur suspensio debet esse o c c u l t a et quidem g r a v i s (cf. cit. Instr. n. 6). Censetur autem occulta, si neque in iudicium deducta est neque a tot et a talibus personis scitur, ut dici debeat notoria. Sin vero suspensio inflicta est ex informata conscientia propter delictum notorium vel deductum iam in iudicium, tunc talis suspensio probabiliter est valida (licet contrarium a nonnullis auctoribus teneatur; cf. Cavagnis, Inst. iur. publ. c. 3, a. 2)

datur tamen contra illam appellatio proprie dicta, sicut contra aliam sententiam episcopi. Ad hunc casum videtur alludere Norma IX, quando citat Causam Bosniens. et Sirm. Ista Causa celeberrima est; non invenitur quidem in Thesauro Resol. S. C. C. anni 1873 sed in tomo CXXXVII 253—261, ubi afferuntur resolutiones S. C. C. anni 1878. Summarium facti hoc est: Aliquis sacerdos accusatur a diversis personis variis criminibus valde atrocibus, damnatur a consistorio episcopali suspensione, quam sententiam episcopus ex informata conscientia confirmat. S. Congr. Conc. d. 20 Dec. 1873 decrevit contra hanc sententiam ex informata conscientia licitam esse appellationem, quod quidem indirecte forsan nullitatem suspensionis demonstrat, cum non detur appellatio proprie dicta contra suspensionem ex informata conscientia, ut infra (d) dicetur. Nihilominus sacerdos accusatus maximas aerumnas debuit pati, usque dum die 4 Maii 1878 S. Congregatio Concilii sententiam curiae episcopalis rescidit. Debuit igitur miser sacerdos fere per 10 annos maximas angustias pati ex odio hominum et falsis accusationibus inimicorum. Permagna prudentia S. Congr. Concilii in toto hoc processu elucet, sicuti etiam praeceps suspensio ex informata conscientia, unde ne similis casus iterum accidet, S. Congr. Ep. et Reg. in memoriam Ordinariorum notanter hic revocat Causam Bosn. et Sirm.

d) Non datur appellatio proprie dicta a suspensione ex informata conscientia, sed tantum recursus ad S. Sedem (cf. cit. Instr. n. 9 et 10). Qui si instituatur, praelatus a S. Sede requisitus, tenetur rationes pandere, ob quas talem poenam inflixit. Quare consultum est, ut praelati, antequam hanc poenam infligunt, probationes serias (quamvis extra-iudiciales) colligant, ut in casu recursus illas proferre valeant. Clericus qui neglecta suspensione ex informata conscientia solemniter exercet sacrum ordinem, fit irregularis, non obstante recursu iam interposito sed nondum iudicato a S. Sede.

e) Praelatus infligens hanc poenam non tenetur (summo iure quidem) reo manifestare crimen, propter quod punit, tenetur tamen (non viva voce sed in scriptis) accurate poenam intimare et mentionem facere se agere vi memorati decreti Tridentini. In praxi tamen multo consultius esse videtur, reo intimare saltem secreto causam suspensionis. Sic enim ille et melius se emendare et, si est innocens, melius se defendere potest, secus processus ex informata conscientia, ut iam dixit Benedictus XIV, De syn. dioec. l. 12, c. 8, potest evadere vera tyrannis. Ceterum ex quo suspensio ex informata conscientia est «remedium omnino extraordinarium», etiam casu omnino extraordinario et rarissimo est adhibenda, unde Concilium Tridentinum sess. 13, c. 1 de reform. pulcherrime admonet episcopos, «ut se pastores non percussores esse meminerint atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tamquam filios et fratres diligant, elaborentque,

ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur». Quae hucusque dicta sunt de hac suspensione praecipue desumpta sunt ex S. Congr. de Prop. Fide die 20 Oct. 1884 Statuto; quod quidem directe obligat tantum in locis missionum, indirecte autem in toto orbe, cum sit nihil nisi explicatio iuris communis. En adhuc quaedam excerpta:

1. «Suspensio ex informata conscientia non secus ac illa quae per iudicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.»

3. «Huiusmodi praeceptum semper in scriptis intimandum est die et mense designato, ideoque autem fieri debet vel ab ipso Ordinario vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimendum est, quod eiusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini decreti sess. 14, c. 1 de reform. ex informata conscientia vel ex causis ipsi Ordinario notis.»

5. «Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quodsi ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis» (e. gr. per mortem vel translationem ad aliam sedem).

6. «Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet crimen seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse occulta et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.»

7. «Ad hoc autem ut sit occulta, requiritur, ut neque in iudicium neque in rumores vulgi deducta sit neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.»

8. «Verum tenet etiam suspensio, si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus, aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.»

9. «A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis.»

10. «Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem.»

Nota. Suspensioni ex informata conscientia non videntur aequiparandae prohibitiones audiendi confessiones, praedicandi etc., quas superiores regulares aliquando faciunt contra subditos, qui imprudenter vel incaute egerunt. In istis casibus superior potius tamquam pater prospiciens bono communi et bono delinquentis quam ut iudex agit; attamen etiam heic non ex abrupto agendum est, sed monitiones paternae praemittantur. Per se patet, subditum qui huiusmodi prohibitionem spernit, peccare quidem contra oboedientiam, sed minime incurrere irregularitatem, cum non violaverit censuram, sicuti est propria suspensio ex informata conscientia inflicta propter grave delictum subditi.

X.

«Cum criminaliter procedi opus sit, sive ob praecepti infractionem, sive ob communia crimina, sive ecclesiasticarum legum violationem, processus confici potest formis summariis et absque strepitu iudicii, servatis tamen semper regulis iustitiae substantialibus.»

In praxi processus iudicialis tunc praecipue necessarius evadet, quando delinquens contemnit monitiones superioris, neque vitam suam emendare neque occasiones scandali vitare vult. Exemplum huius processus habetur in Causa Gaudisiens. relata in Thesauro Resol. S. C. C. die 24 Aug. 1878 CXXXVII 455 sqq. Regulae substantiales iustitiae enumerantur ab auctoribus sequentes:

a) Non potest procedi contra aliquem nisi accusatum, denunciatum aut infamatum.

b) Reus debet citari nec potest absens condemnari, nisi sit contumax.

c) Testes tum contra reum tum pro reo debent legitime vocari, admitti et sub iuramento audiri. Cf. infra sub XVIII.

d) Reo debet sufficiens tempus concedi pro sua defensione nec potest ei denegari defensor, vel consiliarius, vel procurator.

e) Exceptiones et appellationes legitimae debent admitti.

f) Reus non potest condemnari (saltem ordinarie loquendo), nisi per duos saltem testes idoneos (qui quidem sint contestes) sit convictus, vel confessus fuerit.

g) Sententia debet dari in scriptis. Cf. P. Theod. a Ried-Brig, Man. pract. iur. discipl. et criminalis 24—25, et Piat, Prael. iur. reg. II, pars 6, c. 1. Ceterum fere de singulis his sermo erit in Normis mox sequentibus.

XI.

«Processus vero ex officio instruitur aut post querelam exhibitam aut post notitiam, quae alio modo ad curiam pervenit atque ad finem perducitur eo consilio, ut maiore qua fieri potest cautione ac prudentia veritas detegatur et ut habeatur notitia tum criminis, tum reitatis vel innocentiae accusati.»

XII.

«Processus confici potest ab aliquo ecclesiastico viro probo ac idoneo, cui assistat actuarius.»

XIII.

«In quacumque curia adesse debet procurator fiscalis ad iustitiae legisque tutelam.»

Procurator fiscalis (in iure civili vocatur procureur du roi, Staatsanwalt) instituitur, ut ex officio urgeat legis observationem in punitione rei; debet iuramentum coram iudice et duobus testibus emittere de officio implendo iuxta normas iustitiae; non potest esse simul iudex, vel etiam actuarius; debet interesse auditioni testium, sicuti et sententiae prolationi. Interventus promotoris fiscalis cum non computetur inter solemnitates a iure naturali praescriptas, non ita necessarius est, ut Ordinarius non possit ex rationabili causa ab illo supersedere. Unde ad propositum dubium: «An sit necessaria praesentia promotoris fiscalis in iudicio summario, quando parochus per se ipsum defendat vel vindicet proventus ex iuribus stolae, quos dum essent controversi idem parochus applicuerit fabricae ecclesiae parochialis?» respondit S. C. C. Negative (24 Nov. 1906, apud Acta S. Sedis XL 44). Haec decisio valet sane in iudiciis civilibus tantum, sed videtur etiam posse applicari in iudiciis criminalibus (saltem levioribus). In causis autem gravioribus procurator fiscalis intercedat necesse est.

XIV.

«Si curia cursores non habet pro intimationibus et notificationibus faciendis, hoc munus suppleri potest ab aliqua persona qualificata, quae de facta notificatione fidem faciat, vel istae notificationes possunt transmitti ope commendationis penes tabelliorum officium, illis in locis in quibus hoc invaluit systema (vulgo «lettre recommandée») ita tamen, ut scripto constet de earum exhibitione, receptione aut reiectione.»

XV.

«Criminis iuridica exsistentia constitui potest ex processus confectione authenticis communita informationibus aut confessionibus extraiudicialibus, aut testium depositionibus. Transgressio vero alicuius praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus intimationis iis servatis de quibus supra art. VII et VIII.»

XVI.

«At vero, ut accusatus tamquam reus culpabilis haberi possit, ea iuridica probatione opus est, qua vel facti veritas omnino evidens sit, vel ea habeatur moralis certitudo, quae prudens dubium omnino excludat.»

XVII.

«Personae, quae examini subici debent, semper seorsim audiantur.»

XVIII.

«Testes sive ad probationem sive ad defensionem, nisi lex aliqua obstet, iurati esse debent, quin et si opus sit, iuramento ad secretum servandum adigantur.»

De qualitate et numero testium in longum et latum agunt canonistae, qui fusius de iudiciis tractant (videsis Ried-Brig l. c. 55—78). Quamplurimi non admittuntur ut testes idonei sc. a) ob defectum sufficientis usus rationis, b) ob defectum externi sensus, c) ob reverentiam servandam inter testem et illum contra quem deponit, d) ob culpam propter quam facultate testificandi privantur, e) ob praesumptionem vel suspicionem falsitatis in teste. Horum omnium attestationes si admittantur, non sunt probationes plenae nec sub iuramento fieri possunt.

XIX.

«Testium absentium aut in aliena dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica auctoritate loci quo morantur. Cui etiam facti prospectus transmitti debet, et tunc haec auctoritas petitioni respondet servando praesentis Instructionis normas.»

XX.

«Si vero quidam testes vel quoad factum vel quoad eius circumstantias veluti ad causam dirimendam omnino necessarii iudicentur, neque tamen audiri possint, vel quia non expedit, vel quia nolunt, mentio eorum in actis fiat et defectus eorum supplendus erit per alios testes,

qui de relato aut alia ratione noverint id quod exquiritur.»

XXI.

«Cum collectum fuerit omne quod opus est ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocetur iste ad examen.»

XXII.

«In citatione, nisi obstet prudentia, proponi ei debent per extensum accusationes adversus eum intentatae, ut se praeparare valeat ad eas disiciendas.»

XXIII.

«Si vero vel ex accusationum qualitate vel alia de causa id prudenter fieri nequeat, generali modo ei iniungendum erit, ut ad examen veniat et accusationem aliquam obiectam diluat.»

XXIV.

«Si iudicio sistere renuat, iteratur intimatio, in qua ei praefigitur congruus peremptorius terminus, simulque monetur, quod, si adhuc oboedire renuat, habebitur ceu contumax; et reapse ceu talis tractabitur, nisi legitimam absentiae causam probet.»

XXV.

«Quando in iudicio comparuerit, auditur in examine, et si alicuius momenti inductiones exhibeat, eae, quantum fieri potest, exhauriendae erunt.»

Benedictus XIII in Concilio Romano a. 1725 celebrato (tit. 13) graviter mandavit, ne iuramentum ullatenus a reis exigatur, nisi tamen ut testes quoad alios examinentur. «Alias examen sive constitutum et acta omnia nulla sint eo ipso et irrita omnique careant contra reos effectu.»

XXVI.

«Deinde ad contestationem facti criminosi deveniendum est, simulque probationes exhibitae discutiendae sunt,

quibus evincitur eum qui accusatur reum esse poenisque canonicis puniendum.»

XXVII.

«Cum hoc modo accusatus habeat plenam cognitionem eorum, quae contra ipsum in Actis exstant, potest respondere ad prolata et etiam se iuridice defendere.»

Ad plenam cognitionem procurandam omnino requiritur, ut accusato nomina omnium testium eorumque accusationes fideliter enuntientur (cf. Droste, Kirchl. Disziplinarverfahren 56 121).

XXVIII.

«Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam suam defensionem in scriptis; et hoc quidem praecipue in illo casu, quando ob dispositionem art. XXIII haud potuerit esse paratus ad responsa pro sua excusatione.»

XXIX.

«Processu absoluto Actorum instructor, restrictum (i. e. compendiosum conceptum) conficit essentialium conclusionum eiusdem.»

XXX.

«In die, qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico, qui tamen prius ab Ordinario approbandi erunt.»

XXXI.

«Si accusatus defensorem sibi constituere nolit, Ordinarius unum ex officio deputabit eidem.»

XXXII.

«Defensor caute haurit notitiam processus et restricti, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae quidem

ante causae propositionem scripto exhiberi poterit. Ipse quoque obstringitur secreto iurato, si Ordinario videatur, indolem causae id expostulare.»

XXXIII.

«Processus et restrictus deinde ad procuratorem fiscalem transmittitur, ut munere suo ex officio fungatur; itemque ad Ordinarium postea utrumque transmittitur, qui causae statu perfecte perspecto diem statuit, quo disceptanda et resolvenda sit, simul curans, ut accusatus certior de hoc fiat.»

XXXIV.

«Statuto die causa proponitur coram vicario generali adstantibus procuratore fiscali, defensore et cancellario.»

XXXV.

«Auditis tum voto procuratoris fiscalis, tum deductionibus defensoris, profertur sententia, cancellario dispositivam eius partem scribente ex dictato, in qua si accusatus damnatur, mentio expressa debet fieri canonicae sanctionis applicatae contra accusatum.»

Debet in sententiae prolatione clare et distincte exprimi accusatum ac in processu canonico damnatum ob tale vel tale delictum punitum iri tali vel tali poena iure canonico praestituta.

XXXVI.

«Sententia praevento indicitur, qui appellationem ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem interponere potest.»

XXXVII.

«Pro appellatione servantur normae statutae a Benedicto XIV const. «Ad militantes» 30 Mart. 1742, itemque huius S. Congregationis decretum 18 Dec. 1835 et litterae circulares 1 Aug. 1851.»

Decretum S. C. Ep. et Reg. diei 18 Dec. 1835 et litterae circulares diei 1 Aug. 1851 inveniri possunt apud Bizzarri, Collectanea in usum Secr. S. C. Ep. et Reg. (ed. alt.) 163 sq et 171 sqq, sed fere nihil aliud continent, quam quae in sequentibus articulis summarie indicantur, unde nihil speciale adnotandum occurrit de istis duobus decretis. Econtra de constitutione «Ad militantis» specialia haec notentur:

a) Ex appellationibus frivolis multa incommoda oriuntur et executio iustae sententiae saepe multum impeditur, unde Benedictus XIV huic malo mederi volens plures appellationes prohibuit; sed notandum est, nisi adsit iam trina sententia conformis, contra omnem sententiam iudicialem dari applicationem «in devolutivo», licet non «in suspensivo», i. e. semper licet appellare ad iudicem superiorem; attamen in multis casibus, sententia iudicis inferioris inde non suspenditur quantum ad eius effectus.

b) Casus in dicta constitutione enumerantur 32, in quibus tantum appellatio in devolutivo admittitur. Praecipui sunt: Ordinationes episcopi de sacrificio missae, de sacramentorum administratione, de cura animarum gerenda, de correctione morum, de sententia suspensionis ex informata conscientia. (Breviter isti casus explicantur a Piat, Prael. iur. reg. II, pars 6, c. 1; cf. supra q. 88.)

c) Regulares in materia oboedientiae nunquam possunt appellare in suspensivo. Ita idem Benedictus XIV die 6 Iul. 1754 apud Bizzarri l. c. (ed. alt.) 379. Unde quasi adagium pro regularibus valet: «Parcant et deinde recurrant». Nihilominus si regularis atrocem iniuriam a suo superiore pati cogeretur, videtur licita et valida appellatio etiam in suspensivo. Hoc enim requirit ipsum ius naturale et etiam agnitum fuit a S. Congr. Ep. et Reg. in casu relato a Bizzarri l. c. 270.

XXXVIII.

«Appellatio fieri debet intra decem dies a sententiae notificatione, quo termino inutiliter elapso, sententia exsecutioni debet demandari.»

XXXIX.

«Facta intra decem dies appellatione, curia absque mora transmittere debet ad superiorem auctoritatem ecclesiasticam, ad quam appellatum est, omnes actus originales causae, sc. processum, restrictum, defensionem et sententiam.»

XL.

«Auctoritas ecclesiastica superior, habita appellationis notitia appellantem monet, ut intra viginti dies defensorem sibi constituat, ab eadem superiore auctoritate approbandum.»

XLI.

«Si peremptorius hic terminus frustra elabatur, censetur appellans renuntiasse appellationis beneficio et ab auctoritate superiore appellatio consequenter dicitur perempta.»

XLII.

«Cum a sententia curiae episcopalis fiat appellatio ad Metropolitanam curiam, archiepiscopus in cognoscenda ac dirimenda causa servare debet normam in praesenti Instructione traditam.»

XLIII.

«Si contingat quod clericus contra fori privilegium a laica potestate ob communia crimina processui et iudicio subiciatur, Ordinarius hoc in casu facti criminosi summariam notitiam capit, simulque perpendit utrum ad sacrorum canonum praescriptum infamia aut irregularitas aut alia ecclesiastica sanctio locum habeat.

§ 1. Iudicio nondum expleto, vel quousque accusatus vinculis detinetur, consultius est ut Ordinarius sese contineat in remediis provisoriis adhibendis.

§ 2. Iudicio vero absoluto et accusato libertati redito, curia iuxta informationes prius habitas earumque indolem procedit, et quidem iuxta modum in hac Instructione praescriptum.»

XLIV.

«Si forte occurrant dubia aut difficultates practicae, Ordinarii ad vitandas contentiones et nullitates recurrant ad hanc S. Congregationem.»

Ex Aud. SSmi die 11 Iunii 1880.

SSmus Dnus Noster Leo Div. Prov. PP. XIII audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto S. Congregationis Episcoporum et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra

I. Card. Ferrieri Praef.
I. B. Agnozzi Secretarius.

Nota. Etiam illi ordines religiosi, qui habent specialem methodum procedendi in causis criminalibus, consultius normas suprapositas observant vel addunt; secus in casu appellationis ad S. Congregationem Reg. facile obvenire possent difficultates.

APPENDIX II.

Modus practicus tractandi res in Curia Romana.

Cum scopus principalis Manualis nostri sit servire usui practico, cumque constet experientia quamplurimos clericos laborare magnis difficultatibus, quando debent tractare aliquam rem sive causam in Curia Romana, sequentes normae multis erunt forsan pergratae. Casus autem difficiliores et rariores non tangimus, quia hoc longum esset, et insuper in istis casibus recurrendum est ad aliquem Procuratorem approbatum, vel etiam ad aliquem Advocatum in Curia Romana legitime recognitum. Nomina et habitationes istorum Officialium habentur in libris «La Gerarchia cattolica» vel in «Annuaire pontifical» (ed. a Battandier), qui quotannis publici iuris fiunt. Sicuti enim nemo potest tractare res graviores in tribunalibus civilibus sine adiutorio advocati, ita pariter est in Curia Romana. Etiam in rebus non ita gravibus, e. gr. in petitionibus facultatum et indultorum, res solet citius et facilius procedere, si proponatur ope alicuius Procuratoris seu Agentis Romani. Taxa solvenda istis Procuratoribus seu Agentibus non est magna. Etenim pro rescriptis maioribus solvuntur 6 franci, pro minoribus vero 3 franci; immo si petentes sunt pauperes (ut clerici religiosi), hae summae ad dimidiam partem rediguntur aut omnino condonantur, salvis tamen expensis pro tabellariis (vulgo «Porto») [1].

[1] Normae communes c. 11, n. 2 et 13.

Ceterum «in omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur non modo taxatio Sanctae Sedi solvenda et remuneratio Agenti debita, sed etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecesana curia pro exsecutione rescriptorum, si haec necessaria sit» [1].

Praeter Procuratores seu Agentes publicos et a Curia Romana approbatos, de quibus modo dictum est, quilibet potest pro suis privatis negotiis tractandis in Curia Romana «deputare quemlibet suae fiduciae virum dummodo catholicum, integra fama, et ad Officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem» [2]. Ergo numquam aliquis Officialis alicuius Congregationis vel Tribunalis potest deputari Agens vel Procurator pro negotiis tractandis in eadem Congregatione vel Tribunali, in quo ipse laborat. Nihil autem obstat, quominus Officialis unius Congregationis sit Procurator seu Agens in alia Congregatione. E. gr. administer Congregationis Regularium nequit deputari Agens seu Procurator in eadem Congregatione Regularium; minime autem prohibetur, ne iste administer sit Agens seu Procurator in Congregatione de disciplina sacramentorum vel in Congregatione Concilii etc. — Episcopus potest ipse per se in variis Apostolicae Sedis Officiis negotia libere tractare; quoties autem vult negotia tractare ope alterius, tunc tenetur eligere aliquem virum a Congregatione Consistoriali approbatum tamquam publicum Agentem seu Procuratorem vel Advocatum. Nihil quidem obstat, quominus episcopus procuratorem eligat virum nondum approbatum, sed tunc iste procurator electus tenetur, antequam exerceat mandatum, postulare inscriptionem in albo Procuratorum, quod patet in Officio a Secretis Congregationis Consistorialis [3]. — «Christi

[1] Normae commun. c. 11, n. 1. [2] Normae commun. c. 9, n. 1.
[3] Normae commun. c. 9, n. 3 et 9; c. 10, n. 4.

fideli cuique patet aditus ad Sanctae Sedis Officia, servata rite forma, quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis.»[1] Abrogatae igitur esse videntur ordinationes quorumdam Ordinum Religiosorum, in quibus vetitum fuit sub gravibus poenis, ne subditi aliquod negotium pertractarent in Curia Romana, nisi mediante Procuratore Generali Ordinis. Nihilominus non tantum valde congruum, verum etiam valde proficuum est, si subditi religiosi omnia negotia in Curia Romana tractanda prius submittant Procuratori Generali Ordinis. Etenim Curia Romana non solet subditis religiosis rescriptum mittere, nisi prius Procurator Generalis aut Superior Generalis votum aut commendationem dederit. Dantur tamen duae exceptiones: 1. In omnibus ad forum poenitentiale pertinentibus confessarius regularis, quando indiget speciali facultate, adeat directe et non mediante Procuratore Generali S. Poenitentiariam. Ratio est, quia secus posset adesse periculum laedendi sigillum sacramentale. 2. Quando regularis impar sustinendi iniustitias vere intolerabiles inflictas a proprio superiore (quod hodie sane rarissime accidit) recursum habet ad S. Congregationem Regularium. Valde enim absonum esset, si subditus querelas suas contra proprium superiorem deberet mediante hoc ipso superiore mittere ad auctoritatem maiorem.

Cum episcopis magnae potestates concedi soleant per sic dictas «facultates quinquennales» in rebus ad forum poenitentiale pertinentibus, confessarii tum regulares tum saeculares brevius et facilius obtinent facultatem petitam per litteras ad curiam episcopalem missas, dummodo tamen non adsit periculum laesionis sigilli sacramentalis. Quod quidem periculum facile adesse potest praesertim in minoribus parochiis. Exsistente periculo laesionis sigilli petitio dirigenda est ad S. Poeni-

[1] Normae commun. c. 10, n. 1.

tentiariam (cf. formularia infra posita). Sacerdos saecularis vel regularis volens porrigere aliquam petitionem ad rem indulgentiarum pertinentem, vel volens obtinere aliquod indultum, e. gr. imponendi diversa scapularia, benedicendi rosaria, numismata, cingula etc. vel legendi libros prohibitos, multo melius hoc facit mediante episcopo vel superiore regulari. Etenim istae gratiae atque indulta non solent concedi nisi praehabita commendatione vel consensu Ordinarii. Cum talium precum habeantur formularia apud Behringer (Die Ablässe), ad illum auctorem notissimum remittimus lectorem.

I. Regulae generales, quae observari debent in litteris porrigendis ad Congregationes, Tribunalia et Officia Curiae Romanae.

Charta in qua petitio scribitur, non sit ex palea confecta, sed adhibeatur charta sic dicta «Palomba» (quia aquaceo signo columbae figura in illa impressa est) extensionis 210 × 285 mm. In omnibus curiis episcopalibus atque in grandioribus urbibus huiusmodi charta facile inveniri potest.

Atramentum debet revera esse atrum seu nigrum et non alterius coloris.

Idiomate latino ut sit conscripta petitio melius est, licet alia idiomata non prohibeantur.

Forma petitionis haec sit: Beatissime Pater! quae quidem incoeptio adhibenda est in omnibus petitionibus, quia revera Summus Pontifex gratiam concedit, licet mediantibus Congregationibus Romanis. Unica exceptio est S. Poenitentiaria, ad quam supplices litterae diriguntur cum incoeptione: Eminentissime D. Cardinalis! In ipsa petitione primo debet breviter et clare exponi species facti. Deinde subiungitur petitio et ultimo adduntur rationes propter quas petitio porrigitur (cf. infra exempla).

Subscriptio debet clare et legibiliter exprimere cognomen et agnomen Oratoris, sicuti etiam eius

officium et domicilium. Romae multum insistitur, ut cognomen plenis characteribus scribatur. Unde non sufficit scribere e. gr.: I. Ariosto, sed scribi debet: Iosephus Ariosto.

Taxae solvendae in omni rescripto, indulto et dispensatione sunt modicae; immo pauperibus partialiter aut totaliter remittuntur. Econtra taxae solvendae Advocatis et Procuratoribus in causis iudicialibus, quae coram tribunalibus Rotae et Signaturae Apostolicae tractantur, non ita parvae sunt (cf. Lex propr. tit. 3, c. 3); pauperibus tamen etiam in istis tribunalibus ius est exemptionis ab expensis iudicialibus et gratuiti patrocinii (ib. c. 4). Rescripta S. Poenitentiariae et Congregationis de Propaganda Fide semper gratuito conceduntur [1].

II. Formularium quarumdam petitionum ad S. Poenitentiariam dirigendarum.

1. Eminentia Reverendissima!

Titius sacerdos et parochus absolvit (semel, bis, ter . . .) complicem in peccato turpi, et quidem extra casum extremae necessitatis. Immo non obstante censura incursa pluries exercuit sacros ordines. Maxime dolens de peccatis commissis et remota omni peccati occasione, humiliter absolutionem ab Eminentia Vestra postulat.

Dignetur Eminentia Vestra Rev^ma^ responsum mittere infrascripto confessario, aut alii confessario ab oratore eligendo.

Köln, Severinstr. 10 (Germania). Carolus Schmitz, Parochus.

2. Eminentissime D. Cardinalis!

Caius sacerdos et parochus semel absolvit suum complicem in peccato turpi. Cum autem sincerae poeni-

[1] Cf. Normae commun. c. 11, n. 15 et Normae pecul. c. 8, n. 3.

tentiae manifesta signa dederit, et in urgenti necessitate missam celebrandi, ne gravia scandala orirentur, exstiterit, absolvi illum a peccatis et censuris cum onere recurrendi ad S. Poenitentiariam eiusque standi mandatis. Enixe petiit a me, ut vellem hunc recursum pro illo facere, quod quidem misericordia motus hisce facio.

Responsum dignetur mittere Eminentia Vestra Rev^ma ad infrascriptum confessarium

humillimum servum Em. Vestrae

Fr. Camillum Müller, Ord. Praed.

London N. W. Haverstock Hill, St. Dominic's Priory. (Inghilterra).

3. Eminentissime D. Cardinalis!

Tullius, laicus, infandae Sectae Massonicae abhinc 40 annis nomen dedit bene cognoscens prohibitiones et poenas ab Ecclesia contra Massonicos latas. Accidit etiam, ut in Massonicorum conventiculis multoties et acriter propugnaret errores contra fidem et bonos mores. Nunc autem iam a pluribus annis amplius nullum commercium cum Secta Massonica habuit, officia ecclesiastica frequentavit et vitam spectabilem duxit, ita ut eius conditio tamquam assecla Sectae Massonicae prorsus ignoretur in loco, ubi habitat. Unum superest, ut Ecclesiae reconcilietur, cuius mandata tam proterve despexit. Proinde maxima ductus poenitentia de commissis peccatis enixe postulat absolutionem a censuris, paratus oboediendi omnibus ecclesiae mandatis.

Responsum dignetur mittere . . . ut supra.

4. Eminentia Reverendissima!

Sempronius, dum in matrimonio suo primo vixit, pluries adulterium commisit cum Aurelia, quacum etiam de matrimonio futuro post mortem suae uxoris stipulavit. Mortua prima uxore revera novum matrimonium

iniit cum Aurelia nesciens adesse impedimentum criminis. Decem inde annis elapsis Sempronius instituit confessionem generalem apud me infrascriptum confessarium et nullitas secundi matrimonii detegitur. Cum autem Sempronius sit in bona fide, et ex dissolutione putativi matrimonii, cuius nullitas est prorsus occulta, maxima scandala et damna oritura essent, petit humiliter dispensationem super dicto impedimento criminis pro foro interno.

Responsum dignetur mittere . . . ut supra.

Nota. Ut supra dictum est, haec quarta petitio multo melius dirigitur ad episcopum dioecesanum, si non adsit periculum laesionis sigilli sacramentalis. Habent enim hodiernis temporibus fere omnes episcopi delegatam facultatem dispensandi in huiusmodi impedimentis matrimonii.

Cum fere omnes Congregationes sedem habeant in Palazzo della Cancelleria Apostolica, super involucrum petitionis (vulgo «enveloppe») scribi potest hoc vel simili modo:

Italia

Al Eminentissimo Cardinale

L'Eminentissimo Maggior Penitenziere

Cancelleria Apostolica

Roma.

Italia

Alla S. Congregazione dei Regolari

Cancelleria Apostolica

Roma.

III. Brevis explicatio quarumdam formularum, quae adhiberi solent in Responsis Sacrarum Congregationum.

1. In responsis S. Poenitentiariae ad forum internum pertinentibus solet praescribi: «Statim hisce litteris laceratis.» «Statim» significat infra tres dies ab exsecutione dispensationis. Minime etiam prohibetur, ne confessarius ad sui instructionem transcribat responsum (omittendo praesertim tempus rescripti accepti) et hoc transcriptum caute custodiat, ita tamen ut nullum periculum laesionis sigilli occurrat.

2. In responsis aliorum Tribunalium vel Congregationum solent sequentes formulae adhiberi:

a) In causis litigiosis respondetur non raro hoc modo: affirmative vel negative, subiungitur tamen «ad mentem», «iuxta modum», «ita tamen», quae formulae vel similes significant responsionem esse datam cum aliqua modificatione vel conditione. Haec conditio aliquando reticetur, saepius tamen manifestatur hoc modo: «mens est ut. . . .»

b) «Lectum» aut «Lectum ad instantiam», aut «Relatum», aut «Non expedire» aut «Nihil», quae formulae omnes significant S. Congregationem nolle dare responsum.

c) «Dilata» aut «Dilata et coadiuventur probationes», aut «Suppleantur acta iuxta instructionem dandam», aut «Coadiuventur probationes et ad mentem», quae omnia significant resolutionem casus differri, usque dum novae probationes allatae fuerint.

d) «Dilata ad proximam infallanter», aut «Dilata post Aquas» vel «post Reges» vel «post Agnos» vel «post Cineres» vel «post Ignem», aut «Dilata ad primam» aut «Dilata ad proximam omnino et infallanter», quae quidem significant decisionem deferri ad proximam Congregationem Generalem, vel post Ferias autumnales

vel post Epiphaniam vel post Pascha vel post ferias Bachanalium vel post Pentecosten.

e) «Non proposita» vel «Reproponatur cum iisdem», quae significant causam esse ex certo motivo non propositam, vel debere iterum cum iisdem probationibus proponi.

f) «Ad iudices suos» vel «Ad Ordinarium qui utatur iure suo.» Istae similesque formulae significant causam esse dirimendam a proprio et immediato superiore petentis.

g) «Dentur decreta . . .» vel «Detur decretum . . .» significant rem iam alias esse decisam.

h) «In decretis» vel «Orator gaudeat impetratis» significant appellationem ab Oratore propositam contra decretum alias latum non admitti, sed standum esse decreto prius dato.

i) «Nihil transeat.» Haec formula aliquando etiam adhibetur in Curiis Episcopalibus et significat in negotio sive iudiciali sive extraiudiciali non esse ulterius procedendum propter exceptionem interpositam, e. gr.: Factis proclamationibus matrimonialibus aliquis denuntiat impedimentum. Tunc Curia Episcopalis dat decretum «Nihil transeat», praecipiens scilicet, ne matrimonium celebretur, antequam exsistentia impedimenti denuntiati sit verificata.

k) «In decisis» vel «Recedendum a decisis.» Istae formulae significant responsionem antea datam confirmari vel revocari.

l) «Affirmative et amplius» vel «Negative et amplius.» Hae formulae notificant praesentem responsionem esse definitivam et amplius non admitti novum recursum vel novam petitionem.

Si quae aliae formulae sint usitatae in Curia Romana, vel rarius occurrunt, vel facile intellegun

BREVIS CATALOGUS AUCTORUM,

qui de iure ecclesiastico scripserunt.

Quamvis hic catalogus neque valeat neque velit afferre omnes auctores (praesertim iuniores) qui de iure canonico scripserunt, tamen magnae utilitatis erit pro studentibus, qui facile invenire possunt saltem principaliores scriptores de iure canonico eorumque opera, quique hoc modo quasi in nuce habent historiam litterariam iuris canonici. — Saepe accidit, ut unus idemque auctor non tantum de iure canonico, sed etiam de aliis disciplinis scripserit; eius opera non canonistica hic non enumerantur.

Abbas antiquus, decretalista saec. XIII, ex Gallia oriundus; scripsit: «Lectura sive Apparatus ad Decretales Gregorii IX» inter 1261 et 1275, et praeterea: «Lectura in Constit. Innocentii IV» et «Distinctiones». Vocatur Abbas antiquus, ut distinguatur ab Abbate iuniore. Eius nomen particulare nescitur.

Abbas Siculus vocatur etiam «iunior» vel Panormitanus vel Nicolaus de Tudeschis O. S. B., Sicilianus (1386—1445); Archiep. Panormitanus et postea Card. Pseudopapae Felicis V. Vir maxime eruditus in iure canonico. Vocatus est «lucerna iuris clarissima». Notissimus ex «Lectura in Decretales», «Lectura in Sextum», «Lectura in Clementinas». Scripsit etiam «Consilia», «Quaestiones» et «Repetitiones»; «Tractatus super Conc. Basileense». Eius opera collecta prodierunt 9 voll. Venetiis 1617. Non obstante eius errore circa superioritatem Concilii super Papam, eius opera iuridica prae ceteris excellunt.

Abbo († a. 1004), Abbas monast. Floriacensis, collectionem 52 capitula continentem iuris eccl. edidit.

Aichner, S., Germanus, Episc. tit. Sebaste, antea Episc. Brixinensis. Edidit «Compendium iuris ecclesiastici», opus concinne et solide scriptum et iam decies editum.

Alanus, Anglicus (circa 1208). Professor Bononiae collectionem fecit Decretalium Innocentii III aliorumque Paparum. Hanc

collectionem constantem ex 290 cap. (et 56 cap.) ignotus auctor cum collectione Gilberti Angli coadunavit et glossavit. Non est typis expressa. Valde probabiliter iste Alanus cum Gilberto aliisque scholaribus et Magistris Bononiae ordinem Praedicatorum intravit sub B. Reginaldo vel S. Dominico. Cf. Schulte I 85 et 189; Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 24.

Albenga, Iacobus (Ioannes) de († 1274), Episc. Faventinus. Docuit Bononiae: unicus fuit glossator quintae ex sic dictis quinque compilationibus antiquis. Cf. Schulte I 205.

Albertus Beneventanus (postea Gregorius VIII, † 1187). Fecit glossam Decreti. Cf. Migne, Patr. Lat. 202, 1537—1564.

Albizzi, Franc., Italus (1593—1684), Cardinalis. Scripsit inter alia: «De iurisdictione, quam habent Cardinales in ecclesiis suorum Titulorum», «De inconstantia in iure admittenda vel non». Cf. Kirchenlexikon I 442.

Alciati, Andreas (1492—1550), celeberrimus Magister Bononiensis. Scripsit inter alia plura opera: «Commentaria in aliquot iuris can. rubricas et capitula», «Iudiciarii processus compendium» etc. Vocatur a Schulte III 448: «Begründer der wissenschaftlichen Jurisprudenz der Neuzeit».

Alexander III vide Bandinelli.

Algerus, prius scholasticus Leodiensis, postea monachus monast. Cluniacensis († circa 1130). Scripsit ordine quodam systematico secundum analogum modum postea a Gratiano servatum «Liber de misericordia et iustitia» (opus iuris systematicum de disciplina ecclesiastica, in quo ostendit quibus in casibus misericordia servanda et quando potius iustitia exercenda) et alia opera a Gratiano usitata. Cf. Migne, Patr. Lat. 180, 727—972.

Allègre, G., Gallus. Praeter eius «Compendium de impedimentis matrimonii» scripsit opus gravioris momenti cui titulus «Le Code civil commenté» (4 voll., Par. 1888), quo singulos articulos iuris gallici sub ratione theologica et iuridica expositos habes.

Alphonsus de Liguori, S., Eccl. Doctor, fundator Congr. SS. Redemptoris (1696—1787). Inter eius opera moralia ius canonicum largam partem obtinet, e. gr. de irregularitatibus, censuris, privilegiis etc.

Alteserra (Hauteserre), Anton. (c. 1602—1682), prof. in universitate Tolosana. Praeter eius comment. in Decretales Innocentii III et in Clementinas scripsit opus cum titulo: «Ecclesiasticae iurisdictionis vindiciae adversus Caroli Fevreti et aliorum tractatus de abusu» (Par. 1703) et plures dissertationes iuridicas. Cf. Kirchenlexikon I 638. — Eius frater Franciscus etiam scripsit de iure can., sed est minoris momenti.

Amalarius, Diaconus Metensis, amplificavit «Regulam Chrodogangi». Hoc opus ut norma pro clero monarchiae Francorum praescriptum fuit in diaeta Aquisgranensi 817. Quantum ad Eucharistiam, nonnulla erronea docuit.

Amort, Eusebius, Bavarus (1692—1775), Canonicus regularis Lateranensis; vir multis disciplinis peritus. Scripsit: «Elementa iuris can. veteris et moderni» (Ulmae 1757) aliaque plura opera, quae non parum laudantur a S. Alphonso de Lig. et Benedicto XIV. Immerito male loquitur de illo Schulte III 174 sqq.

Anania (Anagni), Ioannes de († 1457); vir magnae scientiae et sanctae vitae; moriens voluit vota solemnia profiteri Ord. Servorum B. M. V. Conscripsit bonum commentarium super quinto libro Decretalium, super Sexto, de iubilaeo aliaque opera iuridica. Fuit discipulus Petri de Ancharano.

Ancharano, Petrus de, ex Etruria oriundus (c. 1330—1416). Maximus fuit canonista et iurisconsultus suo tempore, dictus «ancora iuris». Praeter eius Consilia et iuris Responsa in gravissimis controversiis data scripsit quoque: «Comment. in Decretales», «Lectura super Sexto», «Lectura super Clementinis», commentarium in regulas iuris etc.

André, Ioan. Franc. (1809—1881), parochus gallus. Edidit «Somme théorique et pratique de tout le droit canonique» (2 voll.) et quaedam alia opera iuridica.

André, Michael, vicarius generalis Corisopitensis. Edidit «Cours alphabétique et méthodique de droit canonique», pluries impressum etiam fuit additionibus auctum a Condis et Wagner (Paris. 1894). Alia quoque opera iuridica confecit.

Andreae, Ioan., Italus (c. 1270—1348). Celeberrimus canonista, «fons et tuba iuris», «rabbi doctorum» salutatus, qui composuit glossam ordinariam in Sextum et in Clementinas. Alia opera eius sunt: «Novella in Sextum et Additiones ad apparatum Sexti», «Novella in Decretales Gregorii IX», Additiones ad Speculum iudiciale Guil. Durantis, quod ultimum opus Schulte (II 205) putat esse optimum inter omnia opera Ioannis Andreae. In fine vitae suae ingressus est Ordinem Praedicatorum. Cf. Quétif et Échard I 627.

Angelis, Philippus de († 1881), Romanus canonista. Scripsit: «Praelectiones iuris can. ad methodum Decretalium Gregorii IX exactae» (9 voll.). Morte praeventus non potuit totum opus perficere.

Angelus a SS. Corde O. Carm. Disc.: «Manuale iuris communis regularium et specialis Carmelitarum Discalceatorum» (2 voll., Gandae 1899).

Angilramnus († 791), Episc. Metensis. Non est dubium quin compilatio canonum, quae sub titulo: «Capitula Angilramni» nota

est, non ab Angilramno sit composita. Editionem criticam horum Capitulorum confecit Hinschius 1863.

Annibale, Ios. de, Italus († 1892), Card., Episc. Carystensis. Scripsit optimum commentarium «Reatinum» in Bullam «Apost. Sedis» iussu Card. Mauri O. Pr. Eius praeclarum opus: «Summula Theologiae moralis» (3 voll.) quamplura continet de iure canonico et pluries editum est usque ad hos ultimos annos.

Ansegisus, S. († 833), Abbas Fontanellensis. Capitularia quaedam Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, primus in unum corpus redegit, cui collectioni tres subiunxit appendices; opus quod multum adhibebatur in conciliis comitiisque in Gallia, Germania et Italia; solet citari: «Collectio Capitularium Ansegisi» (Migne, Patr. Lat. 97, 489 sqq). Iste Ansegisus non est confundendus cum Ansegiso, Archiep. Senonensi. Cf. Kirchenlexikon I 886.

Anselmus, Episc. Lucensis († 1086), composuit collectionem canonum tredecim libris distinctam, quae tamen nondum (saltem integre) est typis divulgata. Haec collectio non est confundenda cum alia quae vocatur «Anselmo dedicata» et quae fere biscentum annis ante in Italia confecta est ab auctore ignoto.

Antonelli, Ioan. Car., Velitrensis († 1694), Episc. Ferentinus. Scripsit tam aperte quam concise: «Tractatus de regimine ecclesiae episcopalis» etc. (Velitris 1650), «De iuribus et oneribus clericorum» (Romae 1699), «Tractatus de loco legali» (Venet. 1744), «Tractatus novissimus de tempore legali» (ib. 1753).

Antoninus, S., O. Pr. (1389—1459), Archiep. Florentinus; sanctitate, scientia et dexteritate consiliandi aeque celeber. Scripsit plura opera valde nota. Ad ius canonicum pertinent plures tractatus in eius «Summa Theologiae moralis», e. gr. de beneficiis, de censuris etc. Idem opus prodiit sub titulo: «Iuris pontificii et caesarei Summa» (Venetiis 1582). Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 818.

Appeltern, Pater Victor ab, O. Cap.: «Compendium praelectionum iuris regularis» (Tornaci 1903), opus valde concinne elaboratum.

Augustinus, Antonius, natus 1517 Caesaraugustae, Auditor Rotae factus 1544 Romae, 1555 Episc. in Italia inferiore (Alife), 1561 Episc. Ilerdensis (Lerida), demum (1576) Archiep. Tarraconensis, qualis e vita excessit 1586. Maxime fovebat historiam iuris canonici. Publicavit: «Emendationum et opinionum iuris civilis libri 4» (Venetiis 1543); etiam opus praeclarius: «De emendatione Gratiani dialogorum libri 2», cui, editione Decreti nova iussu Gregorii XIII prodiente posthoc, inde apposuit «Additiones»; prodiit post mortem eius Tarrac. 1587. Opera eius edita sunt 8 voll. Lucae 1765—1774. Cf. Hurter, Nomenclator III 351.

Augustinus Triumphus (aliquando «Ioannes Anconitanus» vocatus) O. S. A. (1243—1328), de iure canonico scripsit: «De potestate Praelatorum», «De potestate Collegii mortuo Papa», «Summa de potestate ecclesiastica» aliaque opera. Cf. Kirchenlexikon I 1692.

Avanzini, Petrus, elaboravit utiles commentarios de Constitutione «Apostolicae Sedis» (ed. 3, Romae 1874).

Azpilcueta, Martin de («Navarrus» vulgo vocatus), Hispanus (1493—1586), Canonicus regularis. Suo tempore notissimus; diu vixit Romae ut Poenitentiarius. Inter alia praeclara opera scripsit: «Consilia et Responsa», «Comment. in ius canonicum». Opera eius omnia prodierunt 5 voll. Lugduni 1594 et 1595.

Bachofen, A., O. S. B., scripsit: «Compendium iuris regularium» (Neo-Eboraci 1903).

Baldus de Ubaldis, Perusii natus (c. 1319 [iuxta alios 1327] ad 1400); maximus suo tempore iuris can. Doctor. Opera eius magnae erant auctoritatis, praecipue: «Lectura super l. 1 2 3 Decretalium», «Additiones ad Speculum iudiciale Durantis», duo tractatus «De schismate» in defensionem electionis Urbani VI.

Ballerini, Hieronymus (1702—1781), frater Petri Ballerini quocum laboravit.

Ballerini, Petrus, Veronae (1698—1769). Fecit optimam editionem operum S. Leonis M., cui praeclaram addidit appendicem: «De antiquis tum editis tum ineditis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque tractatus in quattuor partes distributus» (Venet. 1757). Item scripsit adversus Febronium «De vi ac ratione primatus Rom. Pont. et de ipsorum infallibilitate in definiendis controversiis fidei» (Veronae 1766), «De potestate eccles. Summorum Pont. et Conciliorum generalium» (ib. 1768).

Baluzius, Stephanus, Gallus (1630—1718); vir incredibilis laboris et sollertiae, recepit tonsuram clericalem et possedit plura beneficia ecclesiastica. Plurima opera scripsit vel edidit; de iure canonico: «Notas ad Gratiani Decretum», «Capitularia regum Francorum», «Reginonis abb. Prumiensis libri duo de ecclesiastica disciplina» etc.

Bandinelli, Rolandus, postea (1159) Papa Alexander III. Edidit «Stroma» sive Summa quaedam vel compendium Decreti Gratiani c. 1147 (noviter edita 1874 cura Thaner). Alia opera huius eruditissimi viri inveniuntur apud Migne, Patr. Lat. t. 200. Utrum sit idem ac magister Bandinus, non constat. Cf. Schulte I 118.

Bangen, Ioan., Rhedensis (1823—1865). Decoratus laureis theologiae et iuris canonici civilisque. Scripsit opus commodum et utile: «Instructio practica de sponsalibus et matrimonio» etc. (Monasterii 1858), et «Die Römische Kurie» etc. (ib. 1854).

Barbatia, Andreas de († 1479), celeber canonista; homo doctus sed singularis. Praeter alia scripsit: «Additiones ad Nicolai de Tudeschis Commentaria super Decretalibus».

Barbosa, Augustinus, ex Lusitania oriundus (1589—1649). Vir eruditus ingensque memoria, canonicis disciplinis incubuit Romae. Anno ante mortem factus Episc. Ugentinus. Opera sua mirabilia sunt propter cognitionem quaestionum iuris can. atque auctoritatem quam habuit latissimam. Scripsit inter plura alia: «Iuris eccles. universi libri 3» (Lugd. 1634 et 1645), «Collectanea eorum Doctorum, qui in suis operibus Conc. Tridentini loca referentes illorum materiam incidenter tractarunt» (Lugd. 1642). Hoc ultimum opus, prodiens sub titulo: «Remissiones Doctorum super varia loca Conc. Trid.» (Olysip. 1618), condemnatum fuit. Sub novo autem titulo hodie non invenitur in Indice. Opera eius omnia apparuerunt Lugduni 1698—1716 in 20 voll. in fol.

Bargilliat (Abbé), Gallus, prof. seminarii Corisopitensis. Fecit «Praelectiones iuris canonici» iam in ed. 25 nunc exsistentes.

Barthel, Ioan. Casp., Germanus (1697—1771), Prosperi Lambertini discipulus; scripsit plura de iure can., e. gr.: «De pallio», «De concordatis Germaniae» etc. Liberiores sententias non semel tuetur.

Bartholi, Ioan., natus Venetiis 1695; gradum in utroque iure adeptus est, Archiep. Nazianzenus, qualis mortuus est 1776. Rogatu Rom. Pont. Benedicti XIV edidit «Institutiones iuris canonici».

Bartholomaeus Brixiensis a. 1245 correxit «Glossam ordinariam» Decreti a Ioanne Teutonico factam, quae inde in Decreti editionibus communiter imprimitur. Alia opera iuridica ab aliis auctoribus confecta de novo edidit (cf. Kirchenlexikon I 2055), e. gr. «Casus Decretorum» a Benencasa Senensi compilatos. Cf. Schulte I 171.

Basilius, S., scripsit tres epistulas canonicas ad Amphilochium datas ad melius ordinandam formam canonicam poenitentiae. Cf. Migne, Patr. Graec. 32, 663 715 et 794.

Bastien O. S. B. scripsit: «Directoire canonique à l'usage des Congrégations à vœux simples» (Abbaye de Maredsous 1904).

Baysio, Guido de, mortuus est 1313 Avenione apud Curiam Rom. Pont.; Archidiaconus Bononiae ibique cum laude docuit ius canonicum. Fuit auctor subdivisionis distinctionum 1ae et 2ae partis Decreti et quaestionum 3ae partis in «partes». Scripsit Apparatum ad Decretum cui titulus «Rosarium» et «Apparatus sive Commentarius in Sextum».

Bazianus (Bassianus), Bononiensis († 1197); notissimus quod primus fuerit «Doctor utriusque iuris». Scripsit Apparatum in Decretum. Cf. Schulte I 154.

Becker, Iulius de, prof. Lovaniensis; scripsit «De sponsalibus et matrimonio praelect. canon.» (ed. 2 aucta et emendata).

Begnudelli Basso, Franc. Anton., Tridentinus, obiit Frisingae 1713. Publicavit: «Bibliotheca iuris canonico-civilis practica» etc. (Frising. 1712), opus utile pro praxi.

Bellamera, Aegidius, Episc. in locis pluribus; obiit c. 1392. Collegit decisiones Rotae ab a. 1374 usque ad a. 1377. Edidit: «Praelectiones in Decretalium libros» et «in Clementinas»; etiam tractatus de permutatione beneficiorum ecclesiasticorum.

Bene vide Delbene.

Benedictus XIV, Summus Pontifex, antea Prosper Lambertini vocatus (1675—1758); forsan principatum obtinet inter omnes Summos Pontifices quantum ad scientiam iuris canonici. Eius opera omnia saepius edita sunt e. gr. Prati 1852, 28 voll. in 4^0, et inter illa adhuc saepius editum est opus vere classicum: «De synodo dioecesana». Fr. Schulte III 507 vocat hunc librum «das wichtigste neuere wissenschaftliche Buch, das für das kanonische Recht besteht».

Benedictus Levita, auctor incertus collectionis capitularium, quae de universa disciplina eccles. versatur, divisae in 3 libros cum 4 appendicibus. Attamen multo maior pars capitularium est ficta ab ipso auctore, ut hodie constat (cf. supra q. 38).

Beneventanus vide Collivacinus.

Berardi, Carolus Sebast., ex Unelia († 1768); prof. iuris can. in universitate Taurinensi. Scripsit: «Commentaria in ius eccles. universale» (Aug. Taurin. 1766 et saepius), «Institutiones iuris eccl.» (ib. 1769). Notissimus ex «Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti» etc. (ib. 1752—1757 et saepius), opus valde criticum sicut et alia opera et laude haud indignum; aliquando tamen auctor est hypercriticus.

Beringer, Franc., S. J. (1838—1909), edidit opus notissimum et optimum: «Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch» (ed. 13, Paderb. 1906).

Bernardus Compostellanus vel Antiquus, Bononiae (c. 1208). Auctor collectionis Decretalium quae Bononiae nomen adepta est «Romana Compilatio».

Bernardus Papiensis vide Papiensis.

Bernardus Parmensis de Botone vide Botone.

Beroius, August., Bononiensis (1474—1554). Celeberrimus canonista, fuit laicus et matrimonio iunctus. Adeptus lauream utriusque iuris docuit in universitate Bononiensi per 50 annos. Inter eius discipulos recensentur duo, qui postea Rom. Pontifices facti sunt, scil. Pius IV et Gregorius XIII. Scripsit: «Lecturae seu Commen

taria in libros Decretalium» (Lugd. 1550 et saepius), et edidit «Quaestiones» et «Consilia».

Beusch, Guil., S. J., Germanus († 1743). Publicavit opus canonico-legale cui titulus: «De pactis et contractibus in genere» (Ingolstad. 1736); etiam «Prodromus iuris controversi» (ib. 1737). Cf. Migne, Cursus theol. t. XVI.

Binder, Matthaeus Ios., Germanus (1822—1893); Episc. S. Hippolyti (St Pölten). Scripsit: «Praktisches Handbuch des kathol. Eherechtes. Für Seelsorger im Kaisertum Österreich» (S. Hipp. 1862; ed. 4, Frib. 1894), «Additamenta ad enchiridion iuris eccl. cum appendice, leges dioecesanas circa administrationem bonorum eccl. et beneficialium continente» (Viennae 1861).

Biner, Ios., S. J. († 1766), composuit; «Apparatus eruditionis ad iurisprudentiam, praesertim ecclesiasticam (13 voll. in 4°; Augustae Vindel. et Friburgi 1754—1766), opus eruditione plenum.

Binterim, Antonius Ios., O. S. F., Düsseldorpii natus 1779, † 1855; christianus archaeologista. Opera eius passim tractant de quaestionibus iuris canonici.

Bisiniano, Simon, scripsit «Summam Decreti» circa a. 1175.

Bizzari, Card.: «Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Ep. et Reg.» (ed. 2, Romae 1885), opus valde utile pro iure Regularium.

Blesensis, Petrus, compilavit «Speculum iuris canonici» circa 1180, prima vice editum Berolini 1837 a Theoph. Reimaro. Non est confundendus cum avunculo suo eiusdem nominis. Cf. Hurter, Nomenclator II 169.

Bleynianus, Antonius, in Delphinatu (1568—1626); prof. iuris can. Valentiae. Scripsit: «Introductio in theoriam et praxim beneficiorum eccles.», opus Indici insertum; etiam «Institutiones theoret. et pract. seu rudimenta iuris can.» (Valentiae 1660).

Blondel, David (1591—1655), minister protestanticus. Notus est propter eius librum: «Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes» (Genev. 1628, in 4°), in quo contra Turrianum probavit falsificationes Pseudo-Isidori, quod tamen iam longe ante illum aperte enuntiabant auctores catholici, e. gr. Turrecremata.

Boehmer, Iustus Henning (1674—1749), Protestans. Procuravit bonam editionem «Corporis iuris can.» (Magdeb. 1747). Multa alia opera edidit, e. gr.: «Ius ecclesiast. protestantium» (5 voll. in 4°, Halae 1714—1737). Habuit quattuor filios, qui etiam plura de iure can. scripserunt. Cf. Schulte III 92 sqq.

Boenninghausen, Franc. (1825—1867), edidit opus accuratum et utile cui titulus: «Tractatus iuridico-canonicus de irregularitatibus» (Monasterii 1863).

Bohic, Henr. de, Gallus (natus 1310); prof. utriusque iuris in universitate Parisiensi. Scripsit: «Distinctiones in libros quinque Decretalium» (1348).

Bonal, A., Societatis S. Sulpitii presbyter. Praeter «Institutiones theol.» etiam composuit «Institutiones canon.» ad usum Seminariorum (iam in ed. 4 iuxta novissima Decreta exarata, 2 voll.), opus simplex et clarum.

Bonifatius VIII (antea vocatus Benedictus Caietanus; † 1303); insignis evasit in iure canonico et plurimas epistulas et Bullas edidit (inter quas celeberrima est Bulla «Unam Sanctam»); adiuvantibus tribus doctis viris edidit etiam «librum sextum Decretalium», qui adhuc habet vim legis, nisi sit novis legibus pontificalibus mutatus.

Bonizo, Episc. Sutrinus et postea Placentinus; publicavit collectionem canonum in 10 libros divisam (c. 1089).

Bordoni, Franc., III. Ord. S. Franc. Generalis († 1671). Plura scripsit opera de iure regularium, e. gr.: «Tractatus de professione regulari» (Mediolani 1635). Opera omnia iuridico-regularia et moralia, 6 voll. in fol., Lugduni 1665.

Botone, Bernardus de, Parmensis († 1266); canonista celeberrimus; docuit Bononiae. Canonicus fuit cathedralis Bonon. et postea Capellanus Papae. Fecit glossam ordinariam in Decretales Gregorii IX. Scripsit etiam: «Casus longi» et «Summa» de titulis Decretalium.

Bouix, Dominicus (natus in Bagnères-de-Bigorre 1808); in Societatem Iesu intravit, sed post 17 annos egressus est. Tunc operam dedit disciplinis canonicis. Intrepidus fuit inimicus Gallicanismi. Adfuit Concilio Vaticano. Publicavit plures tractatus, scil. «De principiis iuris canonici», «De concilio provinciali», «De capitulis», «De iure liturgico», «De iudiciis eccles.», «De iure regularium», «De parocho», «De episcopo», «De Curia Rom.», «De Papa». Sub titulo «Institutiones iuris canonici» omnes isti tractatus 2. editione publicati sunt.

Brabandere, de, Episc. Brugensis († 1895); scripsit opus multum usitatum et clarum: «Iuris canonico-civilis compendium».

Brancati, Franc., Card. († 1675). Scripsit opus pluries editum et valde bonum: «De privilegiis cardinalium». — Iste Brancatus non est confundendus cum Laurentio Brancati (vocatur etiam de Laurea) O. F. M. († 1693), qui praeter alia opera scripsit: «Epitome Canonum», quae saepius edita fuit.

Bucceroni, Ianuarius, S. J., prof. in Romana universitate Gregoriana. Scripsit: «De censuris in genere et in specie», «De constitutione ‚Apostolicae Sedis' secundum omnes decisiones SS. RR. Congregationum» (ed. 5, Romae 1899).

Burchardus, Episc. Wormatiensis (c. 1012). Aliis adiuvantibus paravit magnum «Collectarium canonum» in 20 libros divisum ad usum cleri curati et ordinandorum (Migne, Patr. Lat. 140).

Burgt, van de, Canonicus Ultraiectensis; scripsit clare et concinne de matrimonio (Sylvae Ducis 1859); opus postea plures editiones habuit, quarum ultimam (1908) procuravit C. M. Schaepman.

Butrio, Antonius de (1338—1408), celeberrimus canonista, Doctor utriusque iuris et prof. Bononiae. Vir apprime eruditus et pius maxime aestimatus est a Gregorio XII aliisque. Scripsit: «Comment. in 5 libros Decretalium», «Comment. in Sextum», cui addi possunt «Repetitiones», «Tractatus» et «Consilia».

Cabassutius, Ioan., Oratorii presbyter, Gallus (1604—1685); vir maximae eruditionis et pietatis. Celeber ex opere utili: «Theoria et praxis iuris can.» etc. saepissime edito.

Caietanus vide Vio.

Calderinus, Ioan., Italus († 1365), filius adoptivus Ioannis Andreae. Vocatur «Doctor decretorum famosissimus»; scriptor practicus. Inter alia «Repertorium iuris», «Consilia», «Tabula auctoritatum et sentent. bibliae», tractatus «Super materia interdicti ecclesiastici», «Repetitiones in ius can.», tractatus novos «De haereticis» et «Super Clementinis» conscripsit.

Camillis, de († c. 1870), prof. iuris can. Romae; edidit «Institutiones iuris can.» (Romae 1869, iam in ed. 9).

Campegius, Thomas, Italus (1481—1564), Doctor utriusque iuris; adfuit Concilio Tridentino. Notissimus ex opere «De auctoritate S. Conciliorum» (Venet. 1561). Etiam scripsit: «De auctoritate et potestate Rom. Pont. in Ecclesia Dei» (ib. 1555), «De residentia pastorum», «De pluralitate beneficiorum», «De reservatione benefic.», «De pensionibus», «De unionibus Ecclesiarum», «De coadiutore episcopi», «An pontifex possit incurrere labem simoniae». — Praeter istum Campegium dantur adhuc alii eiusdem nominis, scil. Laurentius, frater Thomae, Alexander nepos, et Camillus O. Praed., qui omnes quaedam opera canonistica ediderunt. Cf. Hurter, Nomenclator III 126.

Canisius, Henricus (1548—1610), vir singulari virtute atque doctrina praeditus; Doctor utriusque iuris. Celeberrimum opus est eius «Summa iuris can.» in 4 libros Institutionum contracta. Alia opera sunt: «Praelectiones academicae», «Comment. in librum 3 Decretalium», «De immunitate eccles.», posthuma dissertatio «De sponsalibus et matrimonio». Scripsit quoque plura opera de historia ecclesiastica. Non est confundendus cum B. Petro Canisio S. J., cuius fuit ex fratre nepos.

Carranza, Barthol., O. Pr., Archiep. Toletanus († 1576). Edidit opus valde utile et saepissime reeditum: «Summa Conciliorum et Ponti-

ficum a Petro usque ad Paulum III» ; item scripsit de residentia Praelatorum. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 236 sqq.

Castellini, Lucas, O. Pr. († 1631); theologus celeber nec minus in iure canonico praestans, fuit per longum tempus Procurator generalis sui Ordinis et ab Urbano VIII creatus est Episcopus Caracensis in Calabria. De iure canonico scripsit: «De electione et confirmatione canonica praelatorum» (1 vol. in fol., Romae 1625). Cf. Quétif et Échard l. c. II 471.

Castro-Taveres, Hieronymus Vilella de, scripsit: «Compendio de dereito eccles.» (Recife in Brasilia 1855), in quo defenditur libertas Ecclesiae a civili gubernio.

Cavagnis, Felix, Card. (1841—1906). Concinnavit: «Institutiones iuris publici ecclesiastici, quas in Scholis Pont. Sem. Rom. tradidit» (iam ed. 4, 3 voll.), et «Elementa iuris publici eccles.», opera stilo plano exarata.

Cercià, Ant., S. J., Italus (1810—1865). Post mortem eius prodierunt «Lezioni di diritto canonico pubblico e privato» cura Raph. Cercià (Neap. 1867).

Chappuis, Ioan., Gallus, licentiatus iuris in universitate Parisiensi. Adornavit duas collectiones Extravagantium «Ioannis XXII» scil. et «communes», quas in sua famosa editione Corporis iuris can. primus inseruit (a. 1500).

Chokier, Erasmus, Belga (1569—1625); scripsit: «Tractatus de iurisdictione Ordinarii in exemptos» etc. (2 voll. in 4°, Colon. 1620), opus valde bonum. — Eius frater Ioannes (de Surlet, 1571—1656) etiam plura scripsit de iure can., e. gr.: «De beneficiorum permutationibus» (pluries editum et valde concinne elaboratum), Commentaria in regulas Cancellariae Apost. (etiam pluries editum et bonum).

Circa vide Papiensis.

Clemens V († 1314) novam collectionem Decretalium procuravit, quam Ioannes XXII 1317 publicavit et sancivit tamquam legem ecclesiasticam.

Clemens VIII († 1605) fecit quidem sic dictum librum septimum Decretalium compilari, sed approbationem authenticam denegavit.

Clericatus, Ioan. († 1717), plura scripsit pro praxi ecclesiastica, inter quae eminet opus: «Decisiones sacramentales theologicae, canonicae et legales».

Collivacinus, Petrus, Beneventanus, fecit iussu Innocentii III tertiam ex sic dictis quinque antiquis compilationibus.

Concha, Ferdinandus, notus ex opere «Derecho publico ecclesiast.» (Santiago de Chile 1872).

Coninck, Aegidius, S. J., Belga (1571—1633); ad ius can. spectat eius liber «De sacramentis et censuris».

Contius (Le Conte), Anton., Gallus (1517—1586); prof. iuris civilis. Laboravit in emendando Decreto Gratiani (Paris. 1556) et praesertim in notandis falsis Decretalibus. Etiam Decretales Gregorii IX aliasque collectiones novo emendatas publicavit Antwerpiae 1569.

Coriolanus, O. Cap., Italus († 1625), edidit librum «De casibus reservatis».

Corvinus, Arnoldus, de Beldern († c. 1680), scripsit de iure can. plura manualia valde clara et pluries edita. Cf. Schulte III 147.

Coustant, Petrus, O. S. B. († 1721), bene meruit de historia iuris can. per opus excellens (sed eheu non completum): «Epistolae Rom. Pontificum et eae, quae ad eos scriptae sunt a S. Clemente I usque ad Innocentium III» (vol. I, Paris. 1721).

Covarrubias, Didacus de, Toletanus (1512—1577); Episc. Civitatensis; adfuit ultimae sessioni Concilii Trid. Opera eius includunt: «Epitome de sponsalibus et matrimoniis» (1545), «Variarum ex pontificio regio et caesareo iure resolutionum libri 4» (Lugd. 1594), «Liber quaestionum practicarum» (ib. 1594) et alios tractatus exegeticos. Opera eius magni aestimabantur.

Craisson, D., Gallus († 1881), notissimus auctor in Gallia. Edidit opera practica et solida: «Manuale totius iuris can.» (Paris. 1863; 4 voll., Paris. 1894), «Elementa iuris can. ad usum Galliae seminariorum» (Pictavii 1866), «De la Sépulture ecclésiastique d'après les saints canons et la loi civile en France», et alia plura gallice scripta.

Cremonensis vide Sicardus.

Cresconius, Episc. in Africa (c. 690), composuit collectionem cui titulus «Concordia canonum», cuius prima pars quandoque est appellata «Breviarium» ab editoribus.

Cucchus, Marc. Ant., prof. iuris in universitate Ticinensi. Primus ordine systematico «Iuris can. institutiones» composuit opere duplici, unum «minores», alterum «maiores» vocans (Lugd. 1564 et 1574). Probabiliter etiam edidit: «Pandectarum iuris can. pentateuchus» (Patavii 1597).

Cujacius (Cujas), Iac. († 1590), celeberrimus in iure civili. Scripsit de iure can. pauca, e. gr.: «Recitationes ad Decretalium Gregorii IX libros 2 3 4» (Francof. 1594).

Damasus, «Boemus», magister iuris can. Bononiae; inter 1210 ad 1215 «Summam Decretalium» edidit potius quam scripsit. Primus ipse collegit ex fontibus iuris can. 125 «Brocarda» sive regulas canonicas. Praeter «278 Quaestiones» etiam mentione digna est eius «Summa de ordine iudiciario» (ed. Wunderlich, Gottingae 1841). Cf. Schulte I 194 sqq.

Decius, Philippus, Mediolanensis (1453 ad c. 1535). Scripsit: «Commentum super rubrica de iudiciis» (Pisis 1494»), (700)

«Consilia» (Papiae 1512—1531), «Commentarius in Decretalia» (Lugd. 1531). Suo tempore vir praeclarissimus et spectatissimus propter miram docendi artem et disputandi. Scripta eius parvi aestimantur. Cf. Hurter, Nomenclator II 1337, et Schulte II 362.

Delbene, Thom., Theatinus, Italus (1623—1673). Insignis moralista, scripsit etiam de iure can.: «De immunitate et iurisdictione eccles.» (Lugd. 1650), «De officio s. Inquisitionis circa haeresim» (Avenione 1666) et «Tractatus de iuramento».

Delvaux, Andr. Vallensis, Belga († 1636), prof. iuris Lovanii. Publicavit: «Paratitla s. summaria et methodus explicandi Decretales D. Gregorii IX» (Lov. 1628), «De beneficiis libri 4» (Mechl. 1646).

Demochares (de Mouchy), Ant., Gallus († 1574), prof. theol. in universitate Parisiensi. Fecit novam «Editionem Decreti Gratiani» emendatam et correctam.

Deshayes, G., scripsit: «Memento iuris ecclesiastici publici et privati ad usum Seminar. et Cleri» (ed. 2 emendata, Paris. 1895).

Deusdedit, Card. Gregorii VII (c. 1086), ex archivis Rom. compilavit collectionem in 4 libros divisam: de primatu S. Petri et Rom. Pont., de clero Rom., de bonis eccles. et patrimonio S. Petri, de immunitate ecclesiae tractantem.

Devoti, Ioan., Romanus (1744—1820), Archiep. Carthaginensis. Celeberrimus canonista atque in historia eccles. plane eruditus. Opera illius etiam ad hunc usque diem valent maxime. Praeter eius «Institutionum canonicarum libri 4» (Romae 1785), opus famosissimum et saepissime editum, reliquit etiam «Ius canonicum universum publicum et privatum» (ibid. 1803) et deinde pluries editum.

Dicastillo, I., S. J., Hispanus (1585—1653). Ex iure can. scripsit: «De censuris», etiam «De iure et iustitia».

Dionysius Carthusianus (1402—1471). Fere innumera reliquit opuscula (187). Ad ius can. pertinent: «De auctoritate Summi Pontificis» (est minoris momenti neque rectam doctrinam semper tuetur), «De plurium beneficiorum usurpatione» (duodecies editum).

Dionysius Exiguus, Scytha († c. 555) et monachus. Graecorum Synodorum canones in Latinum vertit et correxit; Collectionem Decretalium Rom. Pont. a Siricio (384) usque ad Anastasium II (498) incl. composuit, et tertiam fecit collectionem canonum graecorum cum versione latina, cuius exstat solum praefatio. Denique primam et secundam collectionem suam in unam redegit (cf. supra q. 37.)

Donatus, Hyacinthus, O. Pr., Italus († 1661); vir consultissimus casuum conscientiae concionatorque insignis. Opus eius magnum

fuit: «Rerum regularium praxis resolutoria» (4 voll., Coloniae 1675), de omnibus materiis quae ad religiosos pertinent tractans.

Doviatius (Doujat), Ioan. (natus Tolosae 1609, † 1688); prof. iuris can. Parisiis; vir eruditissimus atque virtute conspicuus. Edidit: «Praenotionum canonic. libri 5» (Paris. 1687, in 4°), «Historica iuris pontificii synopsis» (ib. 1670), «Specimen iuris can. apud Gallos usu recepti» (ib. 1671), «Notae ad Institutiones P. Lancelotti» (ib. 1684), «Histoire du droit canonique» (ib. 1675) aliaque plura.

Duballet, Canonicus; scripsit: «Cours complet de droit canonique et de iurisprudence canonique-civile (15 voll. in 8°, Paris. 1896 sqq), opus sat notum in Gallia.

Dupin, Andr., Gallus (1783—1865). Duo eius opera: «Manuel du droit public ecclésiastique français» (Paris. 1844) et «Libertés de l'église Gallicane» (ib. 1824), cum sint principiis Gallicanismi infecta, in Indicem sunt relata.

Durandus de S. Porciano, Guilelmus, O. Pr., Magister S. Palatii et Episc. Meldensis († 1334); vocatus «Doctor resolutissimus» propter vim quacum sententias suas, aliquando singulares et sibi peculiares, ursit. Theologus maximi ingenii, sed infeliciter principiis Divi Thomae minime haesit. Praeter opera theologiae scripsit: «De iurisdictione eccles. et de legibus».

Durantis, Guilelmus, Gallus (c. 1237—1296), Episc. Mimatensis; probabiliter fuit versus finem suae vitae sodalis O. Pr. (cf. Quétif et Échard I 480). Notissimum est eius «Speculum iudiciale», ob quem librum appellatur «Speculator». Scripsit etiam: «Rationale divin. officiorum» ad liturgicam magis pertinens, «Speculum legatorum», «Breviarium glossarum et textuum iuris canonici» aliaque opera iuridica. Cf. Quétif et Échard l. c.

Duval, Andr., Gallus (1564—1638). Acerrimus impugnator Gallicanorum, Simonis Vigorii (contra quem scripsit: «De suprema Rom. Pont. in Ecclesia potestate», Paris. 1613, et «Tractatus de Summi Pontificis auctoritate», ib. 1622) et Edm. Richerii (contra quem: «Libelli de eccles. et politica potestate elenchus pro suprema Rom. Pont. in Eccl. potestate», ib. 1612).

Elinga, Franc. Ianssens, O. Pr. († 1705), Prior provincialis. Scripsit plura de auctoritate et infallibilitate Summi Pontificis (Brugis 1689—1701). Cum additionibus etiam de novo edidit «Summam Conciliorum» a Carranza collectam (Lovanii 1668).

Engel, Ludov., O. S. B., ex Austria inferiore oriundus († 1674); vir maximi ingenii atque virtutis religiosae; Doctor utriusque iuris. Opus principale fuit «Manuale parochorum» (Salisburg. 1661), suo tempore magnae utilitatis posteaque saepissime editum. Illius sunt quoque «Collegium universi iuris can.» (ib. 1671; opus

valde laudatum), «Forum competens» (ib. 1663), «Privilegia monasteriorum» (ib. 1664).

Epo, Boetius, ex Frisia oriundus (1529—1599); Doctor utriusque iuris; in universitate Duacensi prof. iuris. Reliquit «Antiquitatum ecclesiast. syntagma» (Duaci 1578), «Heroicarum et ecclesiasticarum quaestionum libri 6» (ib. 1588).

Ernst, Anselmus Franc. († 1755), scripsit 43 dissertationes de variis quaestionibus iuridicis, inter quas: «De iure domuum religiosarum» (Moguntiae 1724) et «De iure praelatorum saecularium et regularium» (ib. 1732).

Espen, Zegerus Bernh. van, Belga (1646—1728), prof. iuris can. in collegio Hadriani VI Lovanii. Scripsit magna eruditione plura opera iuridica, inter quae eminet eius «Ius ecclesiasticum universum» (Lovanii 1700 et saepius); sed Iansenismo fuit addictus et Summo Pontifici infensus. Eius opera omnia pluries in Indicem librorum prohibitorum relata sunt a S. Officio (ultimo 1734).

Fagnanus, Prosper, Italus (1598—1678). Praeclarissimus canonista, sed rigidarum sententiarum assecla; anno aetatis 44 lumina amisit, sed nihilominus adhuc per 28 annos maxime laboravit in Rom. Congregationum negotiis, et iussu Alexandri VII dictavit «Ius canon. seu commentaria absolutissima in 5 Decretalium libros» (Romae 1661, Colon. 1681 et saepius), opus doctum et practicum et adhuc magnae utilitatis.

Faventinus, Ioan., Episc. Faventinus († 1190); scripsit principalem Summam Decreti et Glossam.

Febronius vide Hontheim.

Feije, Henr. Ioan. († 1894), optimus canonista. Notissimum est opus eius: «De impedimentis et dispensationibus matrimonii» (ed. 3, Lovanii 1884); plures alias dissertationes de iure can. scripsit.

Fermosini, Nic. Rodriguez, Hispanus († 1669), Episc. Asturicensis. Scripsit tractatus permultos de quaestionibus iuris canonici, civilis atque criminalis. Omnia eius opera prodierunt Lugd. 1656—1670, sed in meliorem ordinem digesta Colon. Allobrogum 1741, 14 voll. in fol. Bene sed nimis diffuse tractat praesertim de iudiciis ecclesiasticis. Cf. Hurter, Nomenclator II 245.

Ferrante, Ios., Italus (1754—1803), prof. iuris can. in universitate Romana. Reliquit «Elementa iuris can.» (Romae 1854 et 1872), opus nitide et concinne digestum.

Ferrari, Aloys., Praepositus generalis Clericorum Regul. S. Pauli (Barnabitarum); scripsit: «De statu relig. comment. ad usum praesertim Cleric. Reg. S. Pauli» (ed. 2, Romae 1899).

Ferrari, Ios. († 1874), prof. iuris can. Genuae. Edidit: «Summa institutionum canonicarum» (Genuae 1847), opus concinne et practicum, iam in ed. 6 emendatum iuxta nova decreta; exposuit:

«Theoria et praxis regiminis dioecesani», praesertim sede vacante (Paris. 1876).

Ferraris, Lucius, O. F. M., Italus († c. 1670). Concinnavit: «Prompta Bibliotheca canonica, iuridica, moralis, theologica necnon ascetica, polemica, rubricistica, historica», opus notissimum et saepius prelo commissum.

Feßler, Ios., Tirolensis (1813—1872); prof. historiae eccles. et iuris can.; Episc. auxiliaris Brixinensis, deinde Episc. S. Hippolyti (St Pölten). Fuit institutus a Pio IX Secretarius Conc. Vaticani. Praeter celebrem librum «Institutiones Patrologiae» (2 voll., Oeniponte 1851), opus classicum de SS. Patribus, edidit etiam plures alios lingua germanica scriptos, scil.: «Über die Provinzialkonzilien und Diözesansynoden» (Oenip. 1849), «Der Kirchenbann und seine Folgen» (Viennae 1860), «Das letzte und nächste allgemeine Konzil» (Frib. 1869), «Sammlung vermischter Schriften über Kirchengeschichte und Kirchenrecht» (ib. 1869), etiam «Das kirchliche Bücherverbot» (Viennae 1859), «Die wahre und die falsche Unfehlbarkeit der Päpste, zur Abwehr gegen Dr Schulte» (ib. 1871), «Das Vatikanische Konzil, dessen äußere Bedeutung und innerer Verlauf» (ib. 1871), et «Der kanonische Prozeß» (ib. 1860), opus maioris momenti.

Flamesburiensis, Robertus, scripsit ineunte saeculo XIII suum «Poenitentiale». Cf. Schulte I 209.

Fleury, Claudius († 1723): «Institutiones iuris can.» in Indicem sunt relatae.

Fliscus, Sinibaldus (Innocentius IV). Ut homo privatus «Apparatus in 5 libros Decretalium» Gregorii IX publicavit (c. 1245), opus valde bonum et pluries typis impressum. Scitu digna est eius sententia de dispensabilitate votorum solemnium et explicatio in c. 6 X 3, 35.

Fontana, Vinc., O. Pr. († 1676): «Constitutiones, Declarationes et Ordinationes Capitulorum Generalium S. Ord. Fr. Praed.» (Romae 1862, iterum editae).

Franciscus de Pavinis, Italus († c. 1484). Ius can. docuit Patavii, ubi canonicatum est adeptus. Scripsit «Explicationes in regulas Cancellariae Apost.» et «Tractatus de visitatione Episcoporum», «De officio et potestate Capituli sede vacante», de decimis et «De caritativo subsidio». Sed praeclarus est, quod decisiones Rotae collegerit.

Fredoli (de Frédol) vel «Stadellus», Berengarius († 1323); Episc. Biterrensis, Cardinalis. Scripsit: «Elucidarium summae Hostiensis» (Basileae 1573), «Inventarium (seu Repertorium) ad Speculum Durantis» (Romae 1474). Illius ope et scriptis usus est Bonifatius VIII ad componendum librum 6 Decretalium.

Freisen, Ios., prof. Paderbornae. Scripsit opus valde eruditum: «Geschichte des kanonischen Eherechts» (1888 et 1893), etiam alia opera ad historiam iuris pertinentia edidit.

Frey, Franc. Andr., Bavarus (1763—1829). Acerrimus impugnator principiorum Iosephinismi et scriptorum Wessenbergii, contra quos plura opera protulit, e. gr.: «Kritischer Kommentar über das Kirchenrecht» (3 voll., 1812—1820).

Fulgentius Ferrandus, Africanus († c. 546), Carthagin. Ecclesiae diaconus. Fecit collectionem canonum sub titulo «Breviatio canonum».

Fuscarariis, Aegidius de, Italus († 1289); fuit primus laicus qui docuit ius can. Bononiae. Scripsit: «De ordine iudiciario», «Lectura in Decretales», «Quaestiones» et «Consilia».

Galensis (Wallensis, iuxta alios Volaterranus), Ioan.; de eius vita nihil certi est notum. Fecit compilationem Decretalium (inter a. 1210—1215), quae dicta est compilatio secunda.

Gallandi, Andreas, Oratorii presbyter († 1779). Edidit: «De vetustis canonum collectionibus dissertationum sylloge» (Venetiis 1778, fol.), opus valde utile.

Gambarus, Petrus Andr., Italus (1480—1528); Episc. electus Faventinus. Mentione digna sunt tria opera: «Comment. in Extravag. Iulii II de electione simoniaca Rom. Pont.» (Romae 1528), «Tractatus de beneficiorum permutatione» et «De officiis et auctoritate legati a latere» (Venetiis 1585).

Garcia, Nic., Abulensis († c. 1613), Canonicus et prof. iuris canonici. Scripsit doctissimum tractatum «De beneficiis ecclesiast.» (Caesaraugustae 1609).

Gardellini, Aloys., Italus: «Collector decretorum authenticorum S. R. C.» ad 1826. Nova editio: «Decreta authentica S. R. C.» (1898) melior est.

Gasparri, Petrus, Card.; scripsit: «Tractatus canonici de matrimonio» (2 voll., ed. 2, Par. 1893), «Tract. de S. Ordinatione» (2 voll., ib. 1894) et «Tract. canonicus de SS. Eucharistia» (2 voll., ib. 1897), opera valde bona et solida.

Gatticus, Ioan. Bapt., Canonicus Regularis Lateran. († 1754). Edidit opus valde bonum: «De oratoriis domesticis et usu altaris portatilis» (ed. 2 aucta prodiit cura Assemani 1770 in fol.).

Gelasius I, Papa. 494 scripsit epist. ad Imperatorem Anastasium I, in qua defendit distinctionem inter potestatem civilem et ecclesiasticam.

Geminiano, Dominicus de S., Vicarius Episc. Mutinensis, adfuit Pisanae Synodo 1409, Bononiae prof. iuris et Auditor Camerae Romae. Fecit «Commentarius in libros Decretalium», «Commentarius in Sextum» aliosque commentarios.

Gennari, Casimirus, Card., scripsit: «Consultazioni morali, canoniche, liturgiche» (2 voll.), «Sulla privazione del beneficio ecclesiastico» (1 vol.), opera valde utilia pro praxi.

Gerbert, Martinus, Abbas O. S. B., Germanus (1720—1793). Celeber bibliothecarius et magnus fautor studiorum. Scripsit libros permultos de theologia dogmatica, morali, ascetica, mystica, exegetica, symbolica et de aliis materiis. Notissimus autem est propter scripta de historia et sacra musica. In iure canonico inter alia publicavit: «Principia theol. canonicae quoad exteriorem Ecclesiae formam et gubernationem» (Mon. S. Blasii 1758), «De communione potestatis eccles. inter summos Ecclesiae principes, Pontifices et episcopos» (ib. 1760), «De legitima potestate ecclesiastica de iure circa sacra et profana» (ib. 1761).

Gerlach, Herm., Germanus († 1886), Canonicus Limburgensis, scripsit: «Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts» (ed. 4, Paderb. 1885), opus valde utile, nitide scriptum.

Gibalinus, Iosephus, S. J., Gallus (1592—1671); vir tam doctus quam pius et zelo animarum praeclarus. Scripsit complures libros de iure can., ex quibus mentione sunt digni: «Scientia canonica et hieropolitica» (Lugd. 1670), «Disquisitiones canonicae de clausura regularium» (ib. 1648), «De irregularitate can. sacrorum ordinum» etc. (ib. 1652), «Disquisitiones can. et theol. de s. iurisdictione in ferendis poenis et censuris eccl.» (ib. 1655) etc.

Gibert, Ioan. Petrus, Gallus (1660—1736); vir insignis tum pietate tum eruditione; Doctor utriusque iuris, prof. iuris can. Parisiis. Praecipuum illius opus fuit «Corpus iuris can. per regulas naturali ordine digestas». Scripsit gallice librum suo tempore celebrem: «Institutions ecclésiastiques» (Paris. 1720) et plures alios minoris momenti.

Gilbertus, natione Anglus, confecit collectionem Decretalium plurium Paparum usque ad Innocentium III ineunte saeculo XIII. Probabiliter Bononiae in Ordinem Praedicatorum intravit (cf. supra Alanus).

Giobbio, Adolphus, scripsit de Concordatis in Gallia (1 vol. in 8°), «Lezioni di diplomazia ecclesiast.» (4 voll. in 8°).

Giovine, Petrus, Episc., scripsit: «Consultationes can. de dispensationibus matrimonii» (2 voll. in 8°, 1866).

Giraldi, Clericus regularis Scholarum Piarum († 1775), aliquos tractatus Barbosae de novo edidit cum additamentis. Notum autem et utile est praesertim eius opus: «Expositio iuris pontif.» (2 voll. in fol., Romae 1769; nova ed., 4 voll. in fol., ib. 1829).

Goffredus de Trano, Italus († 1245), Card.; docuit cum laude ius can. Bononiae. Scripsit Glossas in Decretales Gregorii IX

et «Summam super rubricis Decretalium» (Basileae 1487), opus quod saepe editum est.

Gomez, Ludovicus, Hispanus († 1553); Episc. Sarnensis, Auditor Rotae Romanae, Patavii ius can. docuit. Fecit «Collectionem decisionum Rotae» (Paris. 1546) scripsitque «Comment. in (13) Regulas Cancellariae Apost.» (ib. 1545), «De reservationibus papalibus et legatorum» (Romae 1539).

Gonzalez, Emmanuel Tellez, vide Tellez.

Gousset, Thomas, Gallus (1792—1866), Archiep. Remensis et Card.; prof. theol. moralis, de iure can. scripsit: «Exposition des principes du droit canonique» (Paris. 1859).

Grandclaude, Eugenius, Gallus († 1883). Edidit «Ius canonicum iuxta ordinem Decretalium recentioribus Sedis Apost. decretis et rectae rationi in omnibus consonum» (3 voll. in 8°, Paris. 1882).

Grassi, Iac. Ludov., Italus († 1893), Canonicus. Collegit «Serie dei vescovi ed arcivescovi di Genova» (1872), «Catalogo dei Liguri che ebbero alte dignità ecclesiastiche» (1858).

Gratia Aretinus, Italus (saec. XIII). Fecit glossam in II compilationem; probabiliter auctor est cuiusdam libri «De iudiciorum ordine». Cf. Schulte I 197.

Gratianus O. S. B. vel Camaldulensis, Italus; Bononiae magister theologiae. Fecit ipse pro iure can. fere idem quod Petrus Lombardus, «Magister Sententiarum» (iuxta aliquos scriptores: eius frater), pro theologia scholastica, Eusebius pro historia ecclesiastica et S. Hieronymus pro S. Scripturae disciplina fecerunt, ita ut communiter habeatur «Pater iuris canonici». Vix aliquid de eius vita constat. Probabiliter prodiit Decretum 1150. Mortuus est ante 1179. Magnum illius opus inscriptum est «Concordia discordantium canonum», sed iam diu vocatur «Decretum» Gratiani. Origines suas hausit ex collectionibus praeexsistentibus secundum methodum ab Algero adhibitam. Etsi maximae auctoritatis, attamen ut opus hominis privati numquam factus est codex legalis.

Gratianus, Card. († 1197); scripsit glossas in Decretum olim multum usitatas. Cf. Schulte I 146.

Gregorius, Card., c. 1110 produxit collectionem, cui titulus «Polycarpus», in 8 libros divisam secundum ordinem systematicum.

Gregorius Tolosanus (Pierre Grégoire, 1540—1597) scripsit: «Iuris can. seu pontificii partitiones» etc. (Lugd. 1594), «Paratitla iuris can.», «De beneficiis eccles.» aliaque plura opera minoris momenti. Cf. Kirchenlexikon V 1178.

Grueber, Rup., Canonicus Regularis; scripsit: «De privilegiis religiosorum», opus posthumum cum additionibus Eusebii Amort (Aug. Vindel. 1748), opus solidum et clarum.

Hallaeus (Halley), Petrus, Gallus (1611—1689). Docuit litteras humaniores cum maximo plausu posteaque ius canonicum. Reliquit opus nitidum et eruditum: «Institutiones canonicae» (Paris. 1685), dissertationem «De censuris eccles.» (ib. 1659) aliaque opera parva.

Hallier, Franc., Gallus (1595—1659); Episc. Cabellicensis; magnus Iansenistarum inimicus. Notissimus ex opere: «De sacris electionibus et ordinationibus ex antiquo et novo Ecclesiae iure» (Paris. 1636). Ex illo etiam prodierunt: «De hierarchia ecclesiast. libri 4» (ib. 1646) et «Collectio ordinationum universi cleri gallicani circa regulares conditarum», opus quod edidit Gerbais (ib. 1665, in 4°).

Heimbucher, Max., Germanus; scripsit: «Die Orden und Kongregationen der kath. Kirche» (ed. 2, 3 voll., Paderb. 1907 sq), opus valde utile pro historia diversorum Ordinum et Congregationum religiosarum.

Heiner, Franc., Germanus, prof. iuris can. Friburgi Brisgoviae, nunc Auditor Rotae Romanae. Scripsit germanice: «Die kirchlichen Zensuren» (Paderb. 1884), «Grundriß des kath. Eherechts» (ib. 1889), «Kath. Kirchenrecht» (2 voll., ib. 1895) et plura alia de iure canonico.

Helyot, Petrus (Hippolytus; † 1716), scripsit bonum opus: «Histoire des ordres monastiques religieux et militaires» etc. Opus fuit continuatum a Bullot et Philipon (8 voll., Paris. 1838).

Henricus de Segusio († 1235), Card. et Episc. Ostiensis. Celeberrimus canonista, utriusque iuris Doctor. Elucubravit: «Lectura in Decretales Gregorii IX» (Argentinae 1512), «Summa super titulis Decretalium» (Romae 1470, opus optimum et saepe editum), «Lectura in Decretales Innocentii IV». Vocabatur «pater canonum», «monarcha iuris», «fons iuris» et «utriusque iuris doctor».

Hergenröther, Iosephus, Bavarus, ex Wirceburgo (1824—1890), Cardinalis. Vir in historia eccles. et theologia doctissimus et iuris can. etiam peritus, erat quoque tenacissimae memoriae, magni ingenii et pietatis singularis. Praecipuum eius opus quod ad ius can. spectat, est «Katholische Kirche und christlicher Staat» etc. (Friburgi Brisg. 1872).

Hergenröther, Philippus (frater Ios. Card. Hergenröther, † 1890), concinnavit: «Lehrbuch des kath. Kirchenrechts» (Frib. 1888), «Die Appellationen nach dem Dekretalenrechte» (Eystett. 1875), «Der Gehorsam gegen die weltliche Obrigkeit» etc. (ib. 1877), «Die Sonntagsheiligung» etc. (Wirceb. 1878).

Hinschius, Paulus (1835—1898), prof. Berolini; protestanticae religionis, inter modernos doctores protestanticos iuris canonici facile

princeps. Ingenti labore et eruditione scripsit: «Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland» (6 voll., Berol. 1869—1897). De novo edidit Decretales Pseudo-Isidori (Lips. 1863). Plura alia scripsit de iure canonico.

Hollweck, Iosephus, prof. Eystett.; scripsit: «Die kirchlichen Strafgesetze» (Mogunt. 1899), «Das kirchl. Bücherverbot» (1897) aliaque opuscula valde solida.

Holste, Lucas, Hamburgensis († 1661); ad religionem catholicam conversus multa scripsit. Ad ius can. pertinet opus cui titulus: «Codex regularum monasticarum et canonicarum, collectus olim a S. Benedicto Anianensi». Hunc librum valde utilem Brockie reedidit et auxit Augustae Vindel. 1759, 6 voll. in fol.

Hontheim, Ioan. Nic. (1701—1790), Episc. suffraganeus Trevirensis. Scripsit sub nomine Iustini Febronii: «De statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis» etc. (1763). Iste liber pluries editus et correctus est, sed etiam pluries strenue refutatus et in Indicem redactus fuit. Auctor retractationem misit Romam 15 Nov. 1778.

Huguccio, Pisanus († 1210), Episc. Ferrariensis. Principalis glossator Decreti. Publicavit: «Summa in Decretum», copiosum commentarium, sed numquam finitum.

Hurtado, Casp., S. J. († 1647); scripsit: «Disputationes de matrimonio et censuris» (Lugd. 1629), «Tractatus de sacramentis» (Antwerp. 1633).

Iacobatius, Dominicus, Romanus († 1528); advocatus consistorialis et Auditor Rotae; Episc. Lucerinensis, Card. et Vicarius Leonis X. Vir optimi ingenii et acerrimi iudicii. Celeberrimus ex opere comprehensivo et classico «De concilio» (Romae 1538).

Ianssens, Franc., O. Pr., vide Elinga.

Iasinski, Camillus, O. Pr. († 1644); scripsit: «Directorium electionum praelatorum ac aliorum officiorum in Ord. Praed. peragendorum» (Cracoviae et Brixiae 1654), «Summarium ordinationum Capitulorum generalium Ord. Praed. a capitulo 1220 usque ad capitulum 1647 celebratorum» (eodem loco et anno).

Icard, Ios., Superior S. Sulpitii († 1893), edidit: «Praelectiones iuris can.» (3 voll.), opus simplex, clarum et bonum.

Imola vide Ioannes ab Imola.

Ioannes Anconitanus vide Augustinus Triumphus.

Ioannes Andreae vide Andreae.

Ioannes de Deo, ex Lusitania oriundus († 1253); prof. iuris can. Bononiae. Plurima scripta reliquit, inter quae enumerantur: «Liber pastoralis», «Liber dispensationum», «Summa super certis casibus Decretalium», «Liber iudicum», «Notabilia», «Liber distinctionum», «Comment. super novellis decretalibus» (i. e.

Innocentii IV), «Liber quaestionum», «Cavillationes», «Continuationes» etc. et «Complementum Huguccionis».

Ioannes Faventinus vide Faventinus.

Ioannes Hispanus c. 1186 dicitur Summam fecisse, in qua recentiorum decretalium rationem habuit.

Ioannes Ieiunator († 595), Episc. Constantinopolitanus; vir maximae pietatis, qui edidit librum «Poenitentiale».

Ioannes ab Imola († 1436), Bononiae Doctor utriusque iuris. Eius scripta sunt: «Tractatus de appellationibus», «Comment. (incompletus) in Decretales Gregorii IX», «Comment. in Sextum» et «in Clementinas», «Consilia» et «Repetitiones».

Ioannes Scholasticus († 577). Adornavit collectionem canonum Apostolicorum et multorum conciliorum cum titulo «Syntagma canonum» inscriptam (cf. supra q. 36).

Ioannes Teutonicus (Semeca vel Hemeke), Germanus. Notissimus ex celebri opere «Apparatus in Decretum», qui paulatim ut Glossa ordinaria fuit receptus. — Plures scriptores sub nomine Ioannis Teutonici inveniuntur saeculo XIII, unde de illorum vita exsistit magna incertitudo et confusio. Duos ex illis ad Ordinem Praedicatorum pertinuisse certum est. Num autem etiam iste Ioannes Semeca fuerit Dominicanus, valde dubium est. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 523, et Schulte II 173.

Ioannes de Turrecremata O. Pr. vide Turrecremata.

Isidorus vel potius Pseudo-Isidorus. Auctor ignotus cuiusdam celebris collectionis, sed spuriae, ut hodie constat. Se vocat «Isidorus Mercator» sive «Peccator». Collectio ista originem duxit in Gallia c. 853 et tamquam authentica habebatur, usque dum Ioan. Torquemada O. Pr. († 1468) et Nic. Cusanus († 1464) imposturam detexerunt.

Ivo, S., Gallus (c. 1040—1116), Episc. Carnutensis. Sub Lanfranco studuit cum S. Anselmo in celebri monasterio Beccensi. Praeclarissimus canonista, magnae eruditionis ac pietatis. Lucerna occidentalis orbis, inquit Baronius, decus, ornamentum ac fulgor gallicanae ecclesiae. Praecipua illius opera: «Panormia» in 8 partes distributa, collectio canonum maximae auctoritatis ante Decretum Gratiani; «Decretum Ivonis», opus uberius in 17 partes distributum; 292 «Epistolae», 24 «Sermones», quorum mentione speciali dignus est ille «de convenientia veteris et novi sacrificii». Probabiliter ab Ivone prodiit etiam «Micrologus», «Chronicon de regibus Francorum» et «Comment. in Psalmos». Cf. Fournier, Les collections canoniques attribuées à Ives de Chartres.

Kober, Franc. Quirinus, prof. Tubingensis († 1897); scripsit: «Kirchenbann» (ed. 2, 1863), «Suspension» (1862), «Deposition und Degradation» (1867), opera utilia et bona.

König, Robertus, O. S. B., Germanus († 1713); Doctor utriusque iuris, rector universitatis Salisburgensis. Praeclarus ex opere concinno et solido: «Principia iuris can. ad 5 libros Decretalium redacta» (Salisb. 1691—1697).

Krimer, Ferdinandus, S. J. († 1703), scripsit: «Quaestiones canon. in 5 libros Decretalium» (Augustae Vindel. 1706), opus nimis prolixum sed satis clarum.

Kugler, Ioan., S. J., Bohemus († 1721); scripsit: «Tractatus theologico-canonici de matrimonio» etc. (Norimbergae 1713).

Kutschker, Ioan. Rud., Germanus († 1881), Archiep. Vindobonensis et Cardinalis. Germanice scripsit: «Das Eherecht der kath. Kirche nach seiner Theorie und Praxis» (5 voll., Vindob. 1856), «Die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchlichen Standpunkt aus betrachtet» (ib. 1838, ed. 3, ib. 1842).

Labbé, Phil., S. J. († 1667), celeberrimus propter suam collectionem Conciliorum, quae finita fuit a Gabr. Cossartio.

Laborans, Italus († c. 1189), Card.; voluit Decretum Gratiani in meliorem ordinem redigere. Eius opus vocatur «Codex compilationis». Partim editum est cum disquisitione Theineri a Migne, Patr. Lat. 204, 870 sqq.

Lainez, Iacobus, Praepositus generalis secundus S. J. († 1565). Ab illo sunt «Disputationes Tridentinae», inter quas eminet prolixa disputatio «de origine iurisdictionis episcoporum».

Lambertini, Prosper, vide Benedictus XIV.

Lämmer, Hugo, scripsit: «Institutionen des kath. Kirchenrechts» (Friburgi 1886, ed. 2 ib. 1892), «Zur Kodifikation des kanonischen Rechts» (ib. 1899).

Lancelottus, Ioan. Paulus, Perusinus (1522—1590). Celeberrimus canonista; iuris prof. Perusiae. «Institutiones iuris can.» ad modum Iustiniani institutionum scripsit hortatu Pauli IV, opus quod saepissime editum est. Etiam publicavit: «Comment. institutionum iuris can.», «De comparatione iuris pontificii ac caesarei» (Lugd. 1584), «Regularum ex universo pontificio iure libri 3» (Perus. 1587); fecit bonum «Indicem rerum Corporis iuris can.» sub auspiciis Gregorii XIII editum (Romae 1580).

Lanfrancus, Cremonensis (iuxta Schulte I 198: Cremensis), primus ius utrumque docuit Bononiae († 1229). Auctor fuit multarum glossarum in tres primas Decretalium compilationes.

Launoy, Ioan., Gallus († 1678); multa scripsit, sed fuit Gallicanismo valde addictus et hypercriticus. Fere omnia eius opera in Indicem relata sunt.

Laurentius, Ios., S. J., composuit «Institutiones iuris eccles.» in usum scholarum (ed. 2, Frib. 1908).

Laurentius Hispanus (saec. XIII), Bononiae fuit magister Tancredi. Collegit «Apparatum ad Decretum», opus utile et magno usui posteris. Composuit etiam apparatum in compilationem primam.

Laurin, Franc., Praelatus et prof. Vindobonensis; scripsit: «Der Zölibat» (1880) et opus praeclarum et solidum: «Introductio in Corpus Iuris Can.» (1889).

Laymann, Paulus, S. J., Germanus (1574—1635); insignis theologus moralis et iuris can. peritus. Opera illius cum maxima perspicuitate, soliditate, prudentia ac concinnitate scripta sunt. Praeter eius magnum opus «Theologia moralis» auctor fuit multarum quaestionum canon., quae collectae atque redactae sunt sub titulo «Ius canonicum R. P. Laymann» (3 voll., Dilingae 1663).

Lega, Mich., Decanus Rotae Romanae. Concinnavit opus optimum «De iudiciis ecclesiasticis» (4 voll. in 8°) et «Compendium praelectionum de iudiciis eccles.» (2 voll.).

Lequeux, Ioan. (1796—1866), Vicarius generalis Suessionensis et Parisiensis. Edidit «Manuale compendium iuris can.», prohibitum a S. Congr. Indicis 1851 et ab auctore retractum.

Leuren, Petrus, S. J., Germanus († 1723); vir insignis laboris, magnae sanctitatis ac eruditionis. Inter alia publicavit: «Forum ecclesiast. de universo iure can.» (pluries editum, e. gr. Venet. 1729, 5 voll.), «Forum beneficiale» (2 voll., Coloniae 1704 et Aug. Vindel. 1737), etiam «Vicarius episcopalis» (Col. 1708).

Lezana, Ioan. Bapt. de, O. Carm., Hispanus († 1659); theologus et commentator optimus in 1am partem Summae S. Thomae. In iure can. composuit: «Summa quaestionum regularium» (5 voll., Romae 1634, Lugd. 1656), opus utile pro iure regularium.

Lignano, Ioan. de, Italus († 1383), laicus et matrimonio iunctus. Maximum habuit favorem apud Rom. Pont. Urbanum V, Gregorium XI, Urbanum VI, quod contra Pseudo-Papam Clementem VII strenue pugnavit. Praeter «Consilia» et «Repetitiones» eminent quoque «Commentarius in Decretales Gregorii IX» et «Lectura super Clementinis». Cf. Schulte II 257.

Lombardi, C., publicavit «Iuris can. privati institutiones» (ed. 2, 3 voll. in 8°, Romae 1901).

Luca, Ioan. Bapt. de, Card. (1614—1683); vir inter principes illius saeculi iurisconsultos enumerandus. Eius opera sunt magni momenti pro cognitione Curiae Romanae eiusque praxi et collecta prodierunt hoc titulo: «Theatrum veritatis et iustitiae . . .» (pluries editum, e. gr. Lugduni 1697, 14 voll. in fol.). Alia huius auctoris opera videsis apud Hurter, Nomenclator II 566.

Luca, P. Marianus de, S. J., composuit «Institutiones iuris eccles. publici», quas iuxta methodum Card. Tarquini tradebat in schola

institut. canonic. in universitate Gregoriana (5 voll. in 8°), «Summa praelectionum in libros Decretalium», Comment. in l. 4 seu «De sponsalibus et matrimoniis», «De iudiciis ecclesiast. civilibus».

Lucidi, Aug. (saec. XVIII). Opus eius valde utile: «De visitatione sacr. Liminum. Instructio S. Congr. Concilii», saepius editum est. Novam editionem curavit Schneider (Romae 1883).

Lupus (de Wulf), Christ., O. S. Aug., ex Flandria oriundus (1612 ad 1681), prof. Lovanii; vir insignis eruditionis et singularis pietatis. Praecipuum eius opus est: «Synodorum generalium et provincialium statuta et canones cum notis et historicis dissertationibus» (5 voll. in 4°, Lovanii 1665). Hoc opus complectitur 6 priores tom. ex 12 tom., qui constituunt «Opera collecta Lupi» (Venetiis 1724—1729, 4 voll. in fol.).

Maaßen, Frid. (1823—1900), ab acatholicis parentibus natus, ad catholicismum conversus est a. 1851. Scripsit: «Geschichte der Quellen u. der Literatur des kanonischen Rechts im Abendlande bis zum Ausgang des Mittelalters» (Graecii 1870), opus valde bonum. Multa alia praesertim ad historiam iuris pertinentia scripsit. Cf. Schulte III 427 sq.

Maillane, Durandus de, Gallus (1729—1814). Scripsit gallice: «Institutions du droit canonique» (Lyon 1770), «Dictionnaire canonique» (Avignon 1761). Cum Martineau composuit schema constitutionis civilis cleri. Scripta eius malis principiis Gallicanismi inficiuntur.

Maioretus, Ioan., Gallus († c. 1666), prof. iuris in universitate Tolosana. Notus ex opere: «Comment. in libros 4 Institutionum iuris can. Ioannis Pauli Lancelotti» (Tolosae 1676).

Makée, P. L., iuris can. Doctor; scripsit: «Institutiones iuris eccles. tum publici tum privati ad usum Seminariorum» (ed. 5 iuxta moderna decreta emendata, Romae 1898).

Manacorda, Aemilianus, Episc. Fossanensis; edidit «Specimen iuris et disciplinae eccles.» (2 voll. in 8°).

Mandagot, Guilelmus de, Gallus (flōruit 1310), Cardinalis. Scripsit: «Libellus super electione facienda et eius processibus ordinandis» (Paris. 1506). Opere eius usus est Bonifatius VIII in compilatione l. 6 Decretalium.

Mansella, Ios., scripsit: «De causis matrimonialibus tractatus» (Romae 1881), opus bonum et praxi accommodatum.

Mansi, Ioan. Dominicus, Clericus regularis Matris Dei, Italus (1692 ad 1769), Archiep. Lucensis. Praeclarus historicus et theologus, qui zelo laboriosissimo et infatigabili laboravit. Praecipuum opus est «Nova et amplissima collectio SS. Conciliorum» (31 voll. in fol., Flor. et Venet. 1757—1798), quod tantum usque ad saec. XV typis mandatum est. Post obitum finitum fuit 1798 et nunc con-

tinuatum denuo editur Parisiis 1909, 43 voll. in fol. Plurima alia opera edidit et scripsit.

Many, S., presbyter S. Sulpitii, Auditor Rotae Romanae; scripsit: «Praelectiones iuris can.»; iam plura volumina apparuerunt et sunt laude digna.

Marc, Hugenin, scripsit: «Expositio methodica iuris can.» (ed. 5, Paris. 1892).

Marca, Petrus de (1594—1662), Archiep. (designatus) Parisiensis. Scripsit notissimum opus «De concordia sacerdotii et imperii», pluries editum et auctum a Baluzio et Boehmero, sed etiam pluries in Indicem librorum prohibitorum redactum propter Gallicanismi errores.

Martinus de Troppau (Strepus) O. Pr., Polonus († 1278); Papae Poenitentiarius et postea designatus Archiep. Gnesensis. Notissimus ex opere: «Index Decreti», communiter «Margarita Martiniana» vocatum et saepissime editum. Usque ad a. 1500 iam 19 editiones enumerantur a Stintzing, Gesch. der populären Lit. des röm.-kanon. Rechts in Deutschland 127. Celeberrimum est etiam Martini opus «Chronica de gestis summorum Pontificum et Imperatorum», quod saepissime editum fuit. Quétif (Scriptores Ord. Praed. I 361 sqq) cum magna eruditione solide probat fabulam Papissae Ioannae esse huic operi ingestam post obitum Martini.

Maschat, Remigius, ex Ord. Scholarum Piarum, Bohemus (1692 ad 1747); vir theologus et iuris can. prof., in musica etiam versatus et virtute conspicuus. Publicavit: «Cursus iuris can.» (Znoymae 1735), quod sub novo titulo «Institutiones canonicae» iterum edidit Ubaldus Giraldi 1759 (Ferrariae 1760), opus concinne et solide scriptum.

Matthaeucci, Augustus († 1722), scripsit: «Officialis curiae regularis» (Francof. 1711) et «Officialis curiae ecclesiasticae» (Venet. 1734).

Mayr, Cherubin., O. S. F., composuit: «Trismegistus iuris Pontificii universii» (5 voll. in fol., Aug. Vindel. 1750).

Melata scripsit: «De potestate qua matrimonium regitur» et «De matrimoniali iure civili apud praecipuas nationes».

Melchers, Paulus, Card. († 1895), scripsit: «De canonica dioecesium visitatione» cum appendice de visitatione S. Liminum (Coloniae ad Rhenum 1893).

Mercante, Franc., Italus (1770—1834); scripsit italice: «Compendio di diritto canonico con illustrazioni storico-dogmatiche e dissertazioni» (Prato 1820; quater editum).

Milasch, Nicod., Das Kirchenrecht der Morgenländischen Kirche.

Miranda, Ludov., O. F. M. (saec. XVII); scripsit plura opera vere egregia pro iure regularium, e. gr. «Directorium seu manuale

praelatorum regularium», saepe recusum et auctum; bona editio facta est Coloniae 1617 in fol.

Mocchegiani, R. Petrus, O. F. M., scripsit: «Iurisprudentia ecclesiastica», in 3 voll. ad usum et commoditatem cleri utriusque.

Monte, Petrus de, Italus († 1457); Episc. Brixiensis; artium doctor et iuris peritissimus. Composuit: «Repertorium iuris utriusque» (plures editiones, e. gr. Romae 1476, 2 voll. in fol.), opus copiosum; «De potestate Rom. Pont.» vel «de primatu» quoque scripsit.

Monte Lauduno (Montlezun), Guil. de, O. S. B. († 1343); prof. Tolosae. Plura reliquit opera: «Sacramentale», «Interpretatio in Sextum» (ineditum), «Apparatus in Decretales» (Tolosae 1524), «Super Clementinas» (Paris. 1517), «Ad Extravagantes Ioannis XXII», ex quo prodiit «Apparatus ad tres Extravagantes Ioannis XXII» (Romae 1745), postea receptum in editionem Constitutionum a Chappuis factam.

Monti, ex America Meridionali oriundus. Notus ex opere: «Elementos de derecho publico ecclesiastico» (Quito 1869).

Morinus, Ioan., Congr. Orat, Gallus (1591—1659). Ex Calvinismo conversus operam dedit archaeologiae maxima cum diligentia. Praeter plura opera archaeol. scripsit quoque: «Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae» etc. (Paris. 1651), «Comment. historico-dogmaticus de sacris Eccl. ordinationibus» etc. (ib. 1655).

Moy de Sons, Carolus Ernestus, ex Gallica familia natus Monachii 1799, † 1867; prof. iuris Wirceburgi et Monachii et postea Oeniponte. Inter alia scripsit: «Das Eherecht der Christen in der morgenländischen und abendländischen Kirche bis zur Zeit Karls d. Gr.» (Regiom. 1833). Est etiam fundator ephemeridis adhuc exsistentis: «Archiv für kath. Kirchenrecht».

Nacchiante (Naclantus), Iac., O. Pr. († 1569), theologus Tridentinus. Scripsit de ecclesiastica hierarchia, de clandestinis matrimoniis etc. Opera eius 2 voll. in fol. Venetiis 1567 et Lugduni 1656. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 202, et Schulte III 446.

Nardi, Franc., Italus (1808—1877); prof. in universitate Patavina, Romae Auditor Rotae et Secretarius S. Congr. Ep. et Reg. Reliquit in lingua italica: «Elementi di diritto ecclesiastico» (Patavii 1854).

Naso, Guilelmus (saec. XIII), scripsit: «Lectura super Decretalibus Gregorii IX».

Nasoni, Angelo, scripsit opus practicum: «Iuris can. Compendium», biennali scholae accommodatum (ed. 2 iuxta novissima decreta regesta).

Nassalski, M., scripsit: «Formularium legale practicum in usum Parochorum, Vicariorum, Foraneorum nec non Curiarum Episcopalium» (ed. 2, 1 vol. in 8°).

Navarrus vide Azpilcueta.

Nervegna, Ios., scripsit: «De iure practico regularium» (Romae 1900), opus parum scientificum.

Nevo, Alex. de, Italus, Vicetia oriundus († c. 1479). Docuit ius can. Pataviae per 26 annos. Praeter «Consilia», olim magnae auctoritatis, procuravit bonam edit. Decreti Gratiani (Venet. 1474) et publicavit «Comment. in libros Decretalium» (ib. 1473).

Nicollis, Laurent. Vigilius de, Tridentinus († 1745), Consiliarius Archiep. Moguntini et Salisburgensis et Protonotarius Apostolicus. Praeclarus ex opere practico: «Praxis canonica sive ius can. casibus explanatum» etc. (2 voll. in fol., Salisburg. 1729 et 1732). Hoc opus adhuc nostris diebus valde utile est pro practico usu.

Nuytz, Ioan. N., Italus († 1856), prof. iuris can. in academia Taurinensi. Opera minoris momenti reliquit, quae damnata sunt: «Institutiones iuris can.» (opus valde miserum, ut ipse Schulte III 547 confitetur), «In ius ecclesiast. universum tractatus». Sententiae plures Nuytz in Syllabo damnatae sunt.

Omnibonus (Ognibene), Italus († 1185), Episc. Veronensis; magister Bononiae, discipulus Gratiani et collega Rolandi. «Abbreviatio Decreti» ei tribuitur (c. 1156), numquam fuit typis impressa. Cf. Schulte I 119 sqq.

Pallottini, Salvator, scripsit: «Pugna iuris pontificii» etc. (1 vol.), «Sacerdotium et imperium seu Ius publicum civile eccles.» (2 voll.). Privata auctoritate confecit etiam opus bonum et utile, cui est titulus: «Collectio omnium conclusionum et resolutionum . . . Congr. Conc. ab a. 1564 ad a. 1860» (5 voll., Romae 1868).

Panormitanus vide Abbas Siculus.

Papiensis, Bern., Italus († 1213), Episc. Faventinus et Papiensis. Celeberrimus canonista; studuit Bononiae sub Gandulpho, Huguccione et Ioanne Hispano et postea ibi docuit. Auctor fuit primae compilationis antiquae Extravagantium. Alia opera ex calamo illius sunt: «Summa de matrimonio», «Summa de electione», et opus maioris momenti: «Summa Decretalium» et «Casus Decretalium». Aliquando nomen «Circa» illi additur. Cf. Schulte I 177.

Papp-Szilagyi, Ios., edidit «Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis Catholicae», opus bonum pro iure ecclesiae orientalis.

Parisius, Flaminius († 1603); prof. iuris can. Parisiis, Episc. Bituntinus. Scripsit: «De confidentia beneficiali prohibita» (Venet. 1598), duo tractatus «De resignatione beneficiorum» et «De residentia beneficiali» (Colon. Agripp. 1615).

Passerinus de Sextula, Petrus Maria, O. Pr., Italus (1594 ad 1677), Procurator generalis O. Pr. per 26 annos et Cathedrae Matutinae in Sapientia Rom. moderator per 22 annos. Fecit «Comment. in 1, 2 et 3 ll. Sexti Decretalium» (2 voll. in fol., Romae 1667—1670). Auctor fuit operis celeberrimi et adhuc valde utilis: «De electione canonica» (Romae 1661, in fol.); etiam «De hominum statibus et officiis inspectiones morales ad ultimas 7 quaestiones 2ae 2ae D. Thomae Aquinatis», 3 voll.: 1. «De statu perfectionis episcopi et religiosorum et de bonis eccles.» (ib. 1663, in fol.). 2. «De privilegiis et facultatibus religiosorum» (ib. 1663). 3. «De religioso statu, novitiatu, professione, translatione, reclamatione, eiectione, privilegiis» etc. (ib. 1670). Etiam tractatus «De indulgentiis» (ib. 1672, in fol.), «De electione Summi Pont.» (ib. 1670, in fol.), «Regulare tribunal». Scripsit etiam alia opera theologica. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 674.

Paucapalea, discipulus Gratiani et magister iuris eccles. Bononiae. Scripsit Summam (c. 1144—1150) et publicavit Glossas et Comment. in Decretum Gratiani. Etiam in Decreto inseruit «auctoritates», quae «paleae» appellantur; IIIam partem Decreti de Consecratione divisit in 5 distinctiones.

Pauwels, Ios., O. F. M., scripsit tractatum saepius editum et valde bonum de casibus reservatis (Lovanii 1755).

Pecorelli, Raph., Italus († c. 1849), prof. iuris can. in seminario Neapolitano. Notus ex opere solidae doctrinae cum nova commodaque disputandi methodo: «Iuris ecclesiastici maxime privati institutiones» (4 voll., Neap. 1842).

Pellizzarius, Franc., S. J., Italus (1596—1651), prof. theol. moralis. Edidit «Manuale Regularium» (2 voll., Venet. 1647; in Indicem relatum), et tractatus «De Monialibus» (Bonon. 1644; pariter in Indicem relatum). Reedidit hoc opus ultimum tamen Franc. Montano S. J. (Romae 1755), et sic correctum approbatum est.

Pennachi, Ios., prof. Seminarii Romani; scripsit ampla commentaria in Bullam «Apost. Sedis» (Romae 1883).

Permaneder, Franc. Mich., Bavarus (1794—1862); prof. iuris can. et historiae eccles. in lyceo Frisingensi posteaque in universitate Monacensi. Praeter suam famosam «Bibliothecam patristicam» edidit: «Handbuch des gemeingültigen katholischen Kirchenrechts mit steter Rücksicht auf Deutschland» (2 voll., Landishuti 1846) et «Die kirchliche Baulast» (Monachii 1853).

Petavius, Dionys., S. J. († 1652), celeberrimus vir. De iure can. pauca scripsit: «De episcoporum dignitate ac potestate», «De ecclesiastica hierarchia».

Petra, Vincent., Italus (1662—1747), Card., Secretarius S. Congr. Ep. et Reg. et S. Congr. Concilii. A Rom. Pont. Innocentio XII et Benedicto XIII multum aestimatus. Scripsit: «De S. Poenitentiaria Apost.» (Romae 1712) et praecipue «Comment. ad Rom. Pontificum Constitutiones» (ib. 1705), opera adhuc multum utilia.

Petronus de Senis, Italus († 1313), Doctor iuris et Ecclesiae Rom. Vicecancellarius et Cardinalis. Illius opere usus est Bonifatius VIII ad compilationem libri Sexti Decretalium.

Petrus Hispanus (saec. XIII), glossavit Decretum et primam compilationem antiquam. Cf. tamen Schulte I 153.

Petrus de Sampsone, Gallus († c. 1270), Bononiae discipulus Iacobi de Albenga et postea ibidem docuit Abbatem antiquum. Scripsit: «Summa Decretalium», «Distinctiones» et «Lectura in Decretales Innocentii IV».

Peyrinus, Laur., O. S. Franc. de Paula († 1648), cuius opera omnia prodierunt Venetiis 1648, 2 voll. in fol. Auctor magnae auctoritatis pro iure Regularium.

Phillips, Georgius, in civitate Regiomontana natus 1804 ex anglicis parentibus, † 1872. Docuit ius civile in Berolinensi universitate et ad fidem cath. conversus ius can. Monachii, Oeniponte et in universitate Vindobonensi. Praeter opera in iure civili praecipua sunt: «Die Diözesansynode» (Frib. 1849), «Kirchenrecht» (7 voll., Ratisb. 1845 sq), opus incompletum et a Vering continuatum, «Lehrbuch des Kirchenrechts» (ib. 1859—1862, iam in ed. 3, ib. 1881; versio latina: «Compendium iuris eccles.», ib. 1875).

Piatus Montensis, O. Cap. († 1906), edidit: «Praelectiones iuris regularis» (2 voll., ed. 3, Tornaci 1905), opus valde bonum, solidum et practicum. Pariter scripsit bona commentaria in Bullam «Apost. Sedis».

Pichler, Vitus, S. J., Bavarus (1670—1736); ius can. docuit Dilingae et Ingolstadii. Opera eius utilia sunt ac succincta: «Candidatus iurisprudentiae sacrae» (4 voll. in 8°, Ingolstad. 1716 sqq), «Candidatus abbreviatus sacrae iurisprud.» (2 voll. in 8°, Aug. Vindel. 1733), «Summa iurisprud. sacrae universae» (ib. 1723, in fol.), «Ius can. practice explicatum» (Ingolstad. 1728, 1735, 1746 etc.); nova editio facta est cum annotationibus etc. a Fr. Zaccaria (Pisauri 1758), qui adiecit «Epitomen praenotionum canonic. Doviatii».

Pierantonelli, Pacificus, scripsit: «Ordo iudiciarius in praxim traductus matrimonii causarum speciminibus» (2 voll. in 8°, Romae 1883).

Pignatelli, Iac., scripsit: «Consultationes canonicae» (4 voll., Venet. 1716—1722), opus utile et bonum.

Pirhing, Ernricus (Ehrenreich), S. J., Germanus († 1679?). Plura reliquit opera de iure can., scil.: «Ius can. in 5 libros Decretalium distributum» (5 voll. in fol., Dilingae 1674—1678), opus eruditum et classicum, ordine systematico et perspicaci. Scripsit etiam: «De iure scripto et non scripto» (ib. 1644, in 8°), «De iurisdictione et potestate praelatorum et rectorum Ecclesiae episcopis inferiorum» (ib. 1663, in 8°), «De iurisd. et potest. iudicis ordinarii» (seu praelati ecclesiastici; ib. 1652, in 8°), «De iurisd., officio et potest. iudicis delegati» (ib. 1664, in 8°), «De rescriptis» (ib. 1665, in 8°), «De constitutione et consuetudine» (ib. 1666, in 8°), «De renunciatione beneficiorum» (ib. 1667, in 8°). Cf. Hurter, Nomenclator II 250.

Pithou, Franc., Gallus († 1621), adiuvit fratrem suum Petrum in edendo «Corpus iuris canonici».

Pithou, Petrus, Gallus (1538, † 1596); procuravit bonam editionem Corporis iuris can., sed magis notus est ex libro: «Les libertez de l'Église Gallicane rédigés en 83 articles» (Paris. 1594), quo libertates Ecclesiae Gallicanae maxime propugnantur. In Indicem autem relatus est hic liber.

Pitonius, Franc. Mar., Episc. Imeriae († 1729); edidit plura statuta ecclesiastica, e. gr.: «Disceptationes ecclesiasticae», collectiones decretorum Romanorum Congregationum ad confessarios, ad matrimonium, ad s. ritus spectantium.

Planchet, Franc. Regis, scripsit: «Procedimientos ecclesiast. in causas criminales y disciplinarias con arreglo á lo decretado en el Concilio Plenario Latino Americano».

Plettenburg, Hunoldus, S. J., Germanus († 1693), scripsit: «Introductio ad ius can.» (Hildesiae 1692, in 8°). Fecit epitomen operis Ioannis B. de Luca «Relatio Curiae Rom.» cum titulo «Notitia congregationum et tribunalium Curiae Rom.» (ib. 1693).

Ponsius (Pons), Iosephus, S. J., Hispanus (1730—1816). Plura opera reliquit, e. gr.: «Ius can.», de ratione discendi et docendi ius can. (2 voll., Fulginiae 1794), «De antiquitatibus iuris can.» etc. (Spoleti 1807, in 4°), «De vita et honestate clericorum» ex canonibus et Corpore iuris can. sumptum (ib. 1800), «De materia et forma s. ordinationum et nominatim presbyteratus» (Bononiae 1775, in 4°).

Pseudo-Isidorus vide Isidorus.

Pyrrhus, Conradus, Canonicus Neapol. († 1686); scripsit opera valde divulgata: «Praxis dispensationum apostolicarum» et «Praxis beneficiaria».

Quesnell, Paschasius, Oratorii presbyter, Gallus (1634—1719), Ianseniānus; edidit collectionem canonum in aliquo manuscripto inventam, quae vocatur propterea «Collectio Quesnelliana».

Quintinus, Ioan., presbyter Ord. Hospitii S. Ioan., Gallus († 1561); prof. iuris in universitate Parisiensi, praesertim ex graecis fontibus traduxit in linguam latinam plura opera ad ius can. pertinentia, e. gr.: Syntagma canonum graecorum a Matthaeo Blastareo, Synodus Gangrensis, Commentarios Ioan. Zonarae etc.

Raymundus de Peñaforte, S., O. Pr. (c. 1175—1275); Poenitentiarius Papae, Magister generalis Ord. Praed.; compilavit iussu Gregorii IX 5 libros Decretalium, codicem legalem Ecclesiae usque ad nostros dies. Praeterea primus omnium scripsit: «Summa de poenitentia et matrimoniis», quem librum commentariis illustrarunt plures, inter quos eminet Ioannes de Friburgo, quem postea plures sic dictae Summistae imitati sunt. Edidit «Constitutiones Ordinis Praed. ad meliorem formam redactas». Plura alia scripta S. Raymundi memorant Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. I 108 sqq, quae tamen non videntur esse typis impressa.

Rebuffi, Petrus, Gallus (1487—1557); vir doctus atque pius. Docuit ius can. in pluribus universitatibus Gallicis. Plurima opera reliquit: «Praxis beneficiorum» (Venetiis 1554 et saepius editum), «Tractatus nominationum» (Paris. 1538 et saepius), «De pacificis possessoribus» (ib. 1538 et saepius), «Tractatus Concordatorum» (Paris. 1538 et saepius), opus maioris momenti, etc.

Regino, Abbas Prumiensis monasterii († 915) scripsit: «Libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis» (ed. Wasserschleben, 1841; cf. tamen Migne, Patr. Lat. 132).

Reiffenstuel, Anacletus, O. S. F., Germanus (1641—1703); vir doctissimus, humillimus et praesertim iuris can. consultissimus. Prof. theologiae moralis et philosophiae; ius can. docuit Frisingae. Praeter eius celebrem librum «Theologia moralis» composuit opus notissimum: «Ius canonicum universum» (Frisingae 1700), quod paucis annis quindecies editum est et in magno pretio a canonistis semper habitum. Prodiit huius operis compendium cum titulo «Ius canonicum universum» (3 voll. in 12°, Paris. 1853)

Richardus Anglicus, ex Anglia, cum cognomine «Pauper» († 1237). Docuit Bononiae et rediit in Angliam, ubi Episcopus factus est. Glossavit primam compilationem antiquam et composuit: «Ordo iudiciarius», «Distinctiones super Decretis», «Casus Decretalium». Cf. Schulte I 183.

Richter, Aemilius Ludov. (1808—1864); protestantismo quidem addictus, sed catholicismo non infensus. Praeclara opera scripsit de historia iuris can., e. gr.: «De Algero Leodiensi», «De collectione Anselmo dedicata», «De emendationibus Gratiani» etc. Valde meritus est de iuris can. scientia 1° propter suam nitidam editionem. «Corpus iuris can.» (2 voll., Lips. 1833), et 2° propter

utilissimam editionem: «Canones et Decreta Conc. Trid. cum Declarationibus S. Congr. Conc.» (ib. 1853).

Rieggèr, Paulus Ios. (1705—1775), plurimum promovit Iosephinismum spiritumque libertinum. Perplura scripsit de iure can., e. gr.: «Introductio in universum ius can.» (1758), «Institutiones iurisprudentiae ecclesiasticae» (6 voll., Vindob. 1780) etc.

Riganti, Ioan. Bapt., Italus (1661—1735); vir eruditus et virtute clarus. A nepotibus suis publicata sunt: «Comment. in Regulas, Constitutiones et Ordinationes Cancellariae Apost.» (Romae 1744).

Roccaberti, Ioan. Thomas de († 1699), Magister generalis Ord. Praed. et postea Archiep. Valentiensis; strenuus defensor auctoritatis Summi Pontificis. Scripsit: «De Rom. Pontificis auctoritate» (3 voll. in fol., Valentiae 1691). Collegit etiam scripta quamplurium auctorum de eadem materia in sua celebri «Bibliotheca maxima Pontificia» etc. (21 voll. in fol., Romae 1695—1699).

Rodriguez, Emmanuel, O. S. F., e Lusitania oriundus († 1613); canonista praeclarus et moralista. Notissimus ex opere: «Quaestiones regulares et canonicae», pluries edito, e. gr. Salmant. 1598. Aliud huius auctoris opus est: «Nova collectio privilegiorum Regularium ab Urbano II usque ad Clementem VIII (2 voll., Lugduni 1609).

Rolandus Bandinellus vide Bandinelli.

Roquette, Eugenius, Gallus (1817—1888), publicavit: «Institutiones iuris can. publici et privati» (2 voll. in 8°, Atrebati 1853—1856) vel «Institutiones iuris can. auctore R. de M.» (Paris. 1859).

Roskoványi, Augustus (1807—1892), Episc. Nitriensis, vir laboriosissimus. Non semper tamen utens acri iudicio in seligendis textibus. Scripsit permulta volumina, e. gr.: «De matrimoniis in eccl. cath.» (2 voll., Agriae 1837), «Rom. Pontifex tamquam Primas ecclesiae et princeps civilis» etc. (16 voll., Nitriae 1867 ad 1879) etc. Cf. Schulte III 778.

Roßhirt, Conradus Franc. (1793—1873), homo pius et valde laboriosus. Plurima opera canonistica conscripsit praesertim in lingua germanica, e. gr. «Lehrbuch des Kirchenrechts» (ed. 3, Scaphusi 1858). Nimis dure immo et iniuste de hoc auctore iudicat Schulte III 351, licet concedi debeat in eius operibus non raro deesse methodum et accurationem.

Roye, Franc. de, Gallus († 1686); composuit: «Institutiones iuris can.» (Paris. 1681, in Indicem relatae), «De iuribus honorificis ad Eccl.» (2 voll., Andegavi 1667), «De missis dominicis» (ib. 1672), «De iure patronatus l. 3 decret.» (ib. 1667) aliaque opera minoris momenti.

Rufinus, Gallus († c. 1179), magister decretorum Bononiae. Inter praecipuos glossatores (saec. XII) Decreti Gratiani recensetur, cuius

«Summa Decreti» (c. 1165) magni a posteris aestimata est et primum edita fuit a Fr. Schulte, sed satis mendose. Cf. Hurter, Nomenclator II 209.

Sägmüller, Ioan. Bapt., prof. Tubingensis; scripsit opus optimum: «Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts» (ed. 2, Frib. 1909) aliosque tractatus ad ius can. pertinentes, praesertim ad historiam iuris.

Salzano, Thomas Mich., O. Pr., Neapolitanus (1807—1890), Episc. titularis Tanensis, Archiep. Edessenus. Plura opera scripsit de quaestionibus ad historiam ecclesiast. spectantibus; de iure can.: «Lezioni di diritto canonico pubblico e privato considerato in se stesso e secondo l'attual polizzia del regno delle due Sicilie» (4 voll., Neap. 1845), saepius (13) editum; etiam bis latine «Institutiones iuris can.» (ib. 1834 et 1842), opus eruditum et usui valde accommodatum.

Samuellis, Franc. de, O. Pr. (saec. XVII), scripsit: «De canonica electione» (Venetiis 1644, in fol.), opus bonum et completum.

Sanchez, Thom., S. J., Hispanus (1550—1610). Passim ad ius can. spectat magnum illius opus «De sancto matrimonii sacramento disputationum libri 3» (Genuae 1602 et postea saepius editum).

Sanguineti, Sebast., S. J., Italus (1829—1893); prof. historiae eccles. et postea iuris can. in Romano collegio. Opus breve et accuratum: «Iuris eccles. institutiones» prodiit Romae 1884, in 8 (ed. 4, 1901).

Santi, Franc., Italus († 1885); composuit opus solidum et usui bene accommodatum: «Praelectiones iuris can.» (2 voll., Romae 1885 sq), in pluribus seminariis adhibitum (ed. 4 emendata et recentissimis decretis accommodata a Mart. Leitner, 5 voll., 1904 sq).

Sarti, Maurus, Ord. Camâldul., Bononiensis (1709—1766). Fautor historiae litterarum iuris can. in opere hortatu Benedicti XIV scripto: «De claris archigymnasii Bononiensis professoribus a saec. XI usque ad saec. XIV» (Bononiae 1769—1771).

Scaduto scripsit: «Diritto ecclesiast. vigente in Italia» (Firenze 1891, ed. 2, Torino 1894).

Schenkl, Maurus, O. S. B., Bavarus (1749—1816); suo tempore celebris. Reliquit: «Institutiones iuris ecclesiast.» etc. (2 voll., Ingolst. 1790—1791), opus saepe editum et correctum.

Scherer, Rud., prof. Vindobonensis, homo doctissimus. Scripsit: «Handbuch des Kirchenrechts» (2 voll. in 8°, Lips. 1886 ad 1898) et plura ad historiam iuris pertinentia.

Schmalzgrueber, Franc., S. J., Bavarus (1663—1735). Docuit theologiam moralem et philosophiam in 3 universitatibus et imprimis ius can. Dilingae et Ingolstadii. Varii tractatus collecti sunt in unum vol. sub titulo «Ius ecclesiast. universum» etc.

(Ingolst. 1717 et saepe editum); compendium «Succincta sacr. canonum doctrina» (3 voll. in 8°, Augustae Vindel. 1747), «Consilia seu responsa iuris» (2 voll. in fol., Ingolst. 1722; ed. 2, Aug. Vind. 1740).

Schmier, Franc., O. S. B., Germanus († 1728); canonista praeclarus universitatis Salisburgensis. Scripsit: «Iurisprudentia canonico-civilis» (3 voll., Salisb. 1716, opus pluries editum), «Consultationes canon. de coadiutoribus et coadiutoriis perpetuis pro ecclesiis Germaniae» (ib. 1724) aliaque plura opera iuridica. Cf. Schulte III 165. — Frater germanus Benedictus Schmier († 1744) etiam plura de iure can. scripsit.

Schneemann, Gerhardus, S. J. (1829—1885), plura scripsit. Pro iure canonico magni momenti est opus ab illo inchoatum: «Acta et decreta sacr. Conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis» (7 voll., Frib. 1870—1890).

Schneider, Philippus (1840—1906), prof. iuris can. Ratisbonae in Lyceo regio. Scripsit: «Fontes iuris ecclesiastici novissimi» (Ratisb. 1895), «Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen» (ed. 2, ib. 1892), opus nitide et concise compositum.

Schram, Dominicus, O. S. B. († 1797), scripsit: «Institutiones iuris eccles.» (5 voll., Aug. Vind. 1774), opus bonum et utile.

Schulte, Fridericus, Germanus, natus 1827; homo eruditissimus, sed etiam vanae gloriae cupidus et non semel aliorum auctorum acerbior ne dicam iniustus criticus; anno 1870 a religione catholica defecit. Scripsit quamplura opera canonistica, e. gr.: «Lehrbuch des kath. Kirchenrechts» (Giessae 1863), «Geschichte der Quellen und Literatur des kanon. Rechts (3 voll., Stutgardiae 1875—1880), opus valde utile, sed non raro in Ecclesiam odio infectum.

Sebastianelli, Guilelmus, composuit «Praelectiones iuris can.» (3 voll., Romae 1898 sqq).

Semeca vide Ioannes Teutonicus.

Sentis, Franc. Iac., Germanus (1831—1887); ius can. docuit Bonnae, deinde Friburgi Brisgoviae. Scripsit: «De iure testamentorum a clericis saecularibus ordinandorum» (Bonnae 1862), «Die ‚Monarchia Sicula'» (Frib. 1869). Edidit etiam «Clementis Papae VIII Decretales» (ib. 1870). (Cf. supra q. 48.)

Sicardus Cremonensis, Episc. Cremon. († 1215). Valde notandum est eius opus: «Mitrale seu de officiis eccles. summa» (apud Migne, Patr. Lat. 213, 13 sqq). Praeterea scripsit: «Summa canonum», qua nove ordinavit canones ordine systematico et sic primus dedit exemplum Institutionum iuris canonici.

Silbernagl, Isidorus († 1904), scripsit: «Lehrbuch des kath. Kirchenrechts» (ed. 4, 1903), «Eherecht der griech. Kirche» (1892).

Simeone, Ianuarius: «Lezioni di diritto canonico» (2 voll., ed. 3, Neapoli 1898).

Smith: «Elements of Canon Law» (3 voll., Neo-Eboraci 1890).

Socini, Marianus, Italus (1401—1467); studuit sub Panormitano: vir doctissimus et in variis disciplinis versatus et virtutis magnae. Plura opera ab illo prodierunt: «Lectura in Decretales» (ined.), tractatus «de oblationibus», «de obligationibus», «de citationibus» etc., «Repetitiones et Consilia».

Soglia, Ioan., Italus (1779—1856), Card., Episc. Auximensis. Concinnavit: «Institutiones iuris publici ecclesiastici» (3 voll., Laureti 1843 et saepius), opus excellens de primatiali potestate Rom. Pont.; «Institut. iuris privati et publici ecclesiast.» (ed. 5 ab auctore recognita et aucta, Paris. 1859; italice reddita ab Abrah. di Sussanna, Neap. 1864).

Soto, Domin. de, O. Pr. († 1560), celeberrimus theologus in Conc. Tridentino. Scripsit plura praesertim contra doctrinam Reformatorum. Quaestiones canonisticas tractat in suo opere saepius edito: «De iustitia et iure».

Sousa Monteiro, Anton. Xav. de, Lusitanus († 1876); scripsit: «Compendium iuris can. accommodatum studiis seminariorum Lusitaniae» (Conimbricae 1876).

Stephanus Tornacensis, Gallus († 1203); Canonicus Regularis, Episc. Tornac.; praeclarissimus canonista. Notissimus ex eius «Summa» in tres partes Decreti Gratiani.

Strein, Ioan., S. J., Germanus (1581—1662), Cancellarius universitatis Bambergensis; summa cum laude docuit. Scripsit practicam «Summam iuris can.» (Colon. 1658—1659). Alia eius opera parva videsis apud Schulte III 139.

Tamburini, Ascanius, Ord. Vallumbros. Generalis; scripsit: «De iure abbatum et aliorum praelatorum» (Lugd. 1640) et «De iure abbatissarum et monialium» (Romae 1638), opera diffusa sed bona. — Distingui debet a Th. Tamburini S. J., theologo moralista.

Tancredus, Italus (c. 1180 ad c. 1235), Archidiaconus Bononiensis; celeberrimus canonista saec. XIII. Magister decretorum et canonicus; ab Honorio III et Gregorio IX multum aestimatus. In vitam, mores et miracula S. Dominici inquisivit pro illius canonizatione. Composuit: «Summa de sponsalibus et matrimonio» (ed. Wunderlich, Gottingae 1841), «Ordo iudiciarius» (Lugd. 1515 et postea alibi), «Apparatus in compilationem» 1 2 3 (antiquarum compilationum).

Tardif, Adolphus, Gallus (1824—1890). Opus optimum elucubravit: «Histoire des sources du droit canonique» (Paris. 1887, in 8°).

Tarquini, Camillus, S. J., Italus (1810—1874), Card.; scientia insignis et iuris consultissimus. Reliquit opus solidum nitidumque:

«Iuris eccles. publici institutiones» (Romae 1862, saepe editum), dissertationem egregiam «Il regio placet» (ib. 1853).

Tartagnus, Alex. († 1477), prof. Bononiensis et Patavinus; scripsit: «Lectura in l. 3 Decretalium», «Consilia», saepissime edita.

Taunton, Ethelredus L., scripsit: «The law of the Church. Cyclopaedia pro iure can. pro iis qui Anglice loquuntur» (Londinii 1906), opus practico usui valde accommodatum, licet non omnimodo perfectum.

Tellez, Emmanuel Gonzalez († c. 1674), doctor Salmanticensis, prof. iuris can., consultor tribunalis ecclesiastici et Inquisitor. Notus ex opere bono sed diffuso: «Commentaria perpetua in singulos textus 5 librorum Decretalium Gregorii IX» (4 voll. in fol., Lugd. 1673).

Theiner, Augustinus, Congr. Orat. presbyter, Germanus (1804 ad 1874), doctus in historia ecclesiastica, qua in materia plurima opera scripsit. Ad ius can. spectant: «Acta genuina s. oecumenici Conc. Trid. ab Angelo Massarello conscripta» (2 voll., Zagrabiae et Lipsiae [1874]) et «Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et decretalium collectiones de historia fontium iuris tractantes» (Romae 1836, in 4°). Hoc ultimum opus vere classicum est.

Thesaurus, Carolus Anton., S. J., Italus († 1655). Ius civile docuit in universitate Pisana, ius can. in univers. Taurinensi. Opus unicum sed utile: «De poenis ecclesiast.» (Romae 1640; ed. nova et aucta a Ubaldo Giraldi publicata, ib. 1760; denuo ib. 1831).

Thomas Aquinas, S., O. Pr. (c. 1225—1274), in diversis suis operibus quaestiones iuris canonici tractat. Scripsit etiam Commentaria in primam et secundam Decretalem.

Thomassin, Ludovicus, Congr. Oratorii presbyter, Gallus (1619 ad 1695); vir insignissimae eruditionis et vitae regularis observator. Praecipua opera ad ius can. spectantia haec sunt: «Dissertationes, commentarii, notae in concilia generalia et particularia» t. I (et unicus; Paris. 1667, in 4°). Magnum eius opus fuit: «Ancienne et nouvelle discipline de l'Église touchant les Bénéfices et les Bénéficiers» (4 voll., Paris. 1678, saepe editum et emendatum). Plurimos alios tractatus scripsit ad theologiam dogmaticam, ad liturgiam ecclesiast., ad apologiam etc. spectantes.

Tolosanus vide Gregorius Tolosanus.

Torquemada vide Turrecremata.

Trano, Goffredus de, vide Goffredus de Trano.

Trombetta, Aloys., scripsit: «De iuribus et privilegiis Praelatorum Rom. Curiae», «Tractatus canonico-liturgici».

Trullenchus, Ioan. Algerus, Hispanus († 1644), reliquit: «De iure parochi» et «De vicario perpetuo».

Tudeschis, Nicolaus de, vide Abbas Siculus.

Turrecremata (vel Torquemada), Ioan. de, O. Pr., Hispanus (1388 ad 1468), Cardinalis. Suo tempore celeberrimus; vir insignissimae prudentiae ac eruditionis, virtutibus conspicuus. Magister S. Palatii, a Rom. Pont. Eugenio IV ac Pio II «fidei defensor» appellatus fuit. Complura opera reliquit, quorum sequentia ad ius can. pertinent: «Comment. in Decretum Gratiani» (6 voll. in fol., Lugd. 1519), «Gratiani decretorum libri 5 secundum Gregorianos Decretales ... distincti» (2 voll., Romae 1726), «Summa de Ecclesia» (ib. 1489, saepissime ed.), «De potestate papae et concilii generalis auctoritate»; tractatus «Quod non liceat appellare a concilio ad papam», tract. in favorem Eugenii IV «contra decreta concilii Constantiensis», quo depositus est Ioannes XXIII; «Apparatus super decreto unionis Graecorum» in concilio Florentiae celebrato ab Eugenio IV promulgato (Venet. 1561) etc.

Turrianus, Franc., S. J. (1504—1584), multa scripsit etiam de iure can., e. gr.: «De actis veris sextae synodi», «De votis monasticis». Infeliciter etiam scripsit pro authentia canonum Apostolorum; contra illum insurrexit David Blondellus.

Ubaldis, de, vide Baldus.

Ugolinus, Barthol., Ord. Erem. S. Aug. († 1610); scripsit: «De censuris et irregularitatibus» aliaque opera canonistica.

Vallensis, Andr., vide Delvaux.

Van Espen vide Espen.

Vecchiotti, Septimius, Italus († 1870). Ex operibus Card. Soglia excerpsit: «Institutiones canonicae» pro usu seminariorum (Taurini 1867, iam in ed. 19, 3 voll. in 8°), etiam «De matrimonio» (ib. 1868); sunt opera mediocris valoris.

Vering, Fridericus († 1896), scripsit: «Lehrbuch des katholischen, orientalischen u. protestantischen Kirchenrechts» (Friburgi Brisgoviae 1876, ed. 3, ib. 1893).

Vermeersch, Arth., S. J., Belga, scripsit: «De prohibitione et censura librorum» (Tornaci 1898), «Supplementa et Monumenta periodica» (4 voll.), «Praelectiones canon., De religiosis institutis et personis» (2 voll., Brugis 1907), opera solidae doctrinae.

Vidmar, Const. Ioan., O. S. B.; composuit: «Compendium repetitorium iuris eccles.» (ed. 3, Viennae 1907).

Villagut, Alphonsus, O. S. B. († 1623), multa de iure canonico scripsit, e. gr.: «Practica canonica criminalis» (1585), «De rebus eccles. non alienandis» (1603) etc.

Vincentius, Hispanus († 1244), Episc., Bononiae didicit ius canonicum. Concinnavit: «Apparatus ad Decretales Gregorii IX» et glossavit compilationem 1 2 3 et 4 (antiquarum compilationum).

Vio, Thomas de (Caietanus), O. Pr., Card. (1469—1534); homo acutissimi ingenii et celeberrimus propter eius commentarium in Summam theol. S. Thomae Aquinatis. Praeter eius scripta de philosophia et theologia edidit ad ius canonicum pertinentia plura opuscula, e. gr. de cambiis, de usura, de simonia, de censuris, de auctoritate Papae et Concilii etc. Eius «Summula peccatorum», opus aeque clarum ac profundum, etiam plura habet de iure canonico. Cf. Quétif et Échard, Scriptores Ord. Praed. II 14.

Vivès y Tuto, Ios. Calas., O. Cap., Card., quamplurima opera edidit, inter quae «Compendium iuris can., B. V. M. dedicatum» (ed. 4 aucta et emendata, Romae 1905).

Vivianus, Iulianus, Italus (1581—1641); prof. iuris civilis ac canonici Pisis; Pauli V et Urbani VIII gratia floruit. Publicavit opus practicum et habile: «Praxis iuris patronatus acquirendi, conservandi» etc. (Romae 1620, 1622, 1628).

Walter, Ferdinandus, Germanus (1794—1879); ius can. et civile docuit in universitatibus Heidelbergensi et Bonnensi. Concinnavit manuale Institutionum iuris ecclesiastici: «Lehrbuch des Kirchenrechts» (Bonnae 1822), quod iam 14 editiones (1871) est adeptum.

Weber, J., scripsit germanice: «Die kanon. Ehehindernisse samt Ehescheidung und Eheprozeß (ed. 4, Friburgi 1886; ed. 5 sub titulo: «Kathol. Eherecht» a Ios. Schnitzer, ib. 1898) et «Catechismus iuris can.», opera simplicia et clara.

Wernz, Franc. Xav., Praepositus generalis S. J.; scripsit: «Ius decretalium» ad usum scholarum (5 voll., Romae 1898—1906; ed. 2, 1905 sqq), opus plane egregium tum quoad historiam iuris can. tum quoad explicationem doctrinae.

Wex, Iac., S. J., Germanus (1663—1711); professus est theologiam moralem Ingolstadii, deinde ius can. Oeniponte. Edidit: «Ariadne Carolino-canonica» de universo iure can. tractans novo ordine ac methodo facili» (Augustae Vindel. 1708), «De sponsalibus» (Oenip. 1692, in 12°), «Manipulus decimarum» (ib. 1692, in 8°), «De praelatis regularibus» (ib. 1694).

Wiestner, Iac., S. J., Germanus (1640—1709). Opera eius sunt: «Ius asylorum» etc. (Ingolstadii 1689), «Alienatio canonica rerum Ecclesiae temporalium» (ib. 1692), «De canonicis impedimentis coniugiorum» (ib. 1696), «Institutiones canonicae» etc. (Monachii 1705—1706), opus laudatum et multum usitatum; nonnullos errores historicos continet.

Wulf, de, vide Lupus.

Zabarellis, Franc. de, Italus († 1417), cum laude maxima docuit ius can. Florentiae et Patavii, ita ut Romam evocatus et Cardinalis factus est. Praeter Repetitiones, Tractatus, Consilia praesertim mentioni digna sunt: «Comment. in 5 libros Decretalium» et «Lectura super Clementinis».

Zaccaria, Franc. A., S. J., Italus (1714—1795); vir maximae eruditionis et in omni theologia versatus, praesertim in historia ecclesiastica. Complura opera reliquit ad hist. eccles. et nonnulla ad ius can. pertinentia. Cf. de Backer, Bibliothèque des Écrivains de la Comp. de Jésus VIII (ed. 2) 1381 sqq, et Hurter, Nomenclator III 419 sq.

Zallinger zum Thurn, Iac. Ant. de, S. J., Tirolensis (1735 ad 1813). Composuit: «Institutionum iuris naturalis et ecclesiastici publici libri 5» (Augustae Vind. 1784 et saepius), «Institutiones iuris ecclesiastici maxime privati, ordine decretalium» (5 voll. in 8°, ib. 1792 sq) et alia plura opera.

Zallwein, Greg., O. S. B., Bavarus (1712—1766), clarus prof. iuris in universitate Salisburgensi. Publicavit «Principia iuris ecclesiastici universalis et particularis Germaniae» etc. (4 voll., Augustae Vind. 1763), opus valde bonum.

Zech, Franc. Xav., S. J., Bavarus (1692—1772), per 30 annos docuit et scripsit de iure can. in academia Ingolstadii. Collegit «Praecognita iuris can. ad principia Germaniae accommodata» (Ingolst. 1749), «Compendium iuris can.» (ib. 1750), «De iudiciis ecclesiast. ad Germ. princ.» etc. (ib. 1765), «De iure rerum ecclesiast. ad princ. Germ.» etc. (2 voll., ib. 1758), «Hierarchia ecclesiast. ad princ. Germ.» etc. (ib. 1750), «Decas dubiorum», de peculio clericorum (ib. 1752), «De ambitu politico-legalis dissertatio» (ib. 1752), «De sponsalibus academiorum» (ib. 1754), «Dissertatio historico-iuridica de benignitate Rom. Ecclesiae moderata in criminosos» etc. (ib. 1761), «De electoris et electi potestate» (ib. 1761), «Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras» (ib. 1747), «De usuris et contractibus usurariis coërcendis» (Venet. 1761), opera magnae eruditionis.

Zenzelinus de Cassanis, Gallus († 1350); celeber doctor decretorum, Canonicus Biterricensis, Rom. Pont. Capellanus et Auditor causarum S. Palatii. Praecipuum eius opus fuit glossa Extravagantium, quae tamquam glossa ordinaria est accepta.

Zeuner, Albertus, O. Pr., Germanus († 1670); scripsit inter alia: «Dilucidatio regularum iuris in sexto Decretalium» (Augustae Vind. 1664).

Zitelli-Natali, Zephyrinus, Italus († 1887); scripsit: «Apparatus seu Compendium iuris eccles.» (Romae 1886; ed. nova, aucta et in meliorem ordinem digesta a Franc. Solieri, 2 voll. in 8°,

ib. 1907), «Enchiridion ad ss. disciplinarum cultores accommodatum» (ed. 4, ib. 1880), «De dispensationibus matrimonii iuxta ultimas decisiones» (ed. 2, ib. 1887).

Zoesius, Henricus, Belga († 1627), prof. Lovaniensis; scripsit «Comment. seu praelectiones ad decretales Gregorii IX» etc. (Lovanii 1647).

Zyphaeus, Franc., Belga († 1650), prof. Lovaniensis, Archidiaconus. Reliquit opera: «Iuris pontificii novi analytica enarratio» (Colon. 1641) et «Consultationes canonicae» (Antwerpiae 1640, in fol.).

INDEX RERUM

secundum ordinem alphabeticum.

(Numerus significat quaestionem, et nonnisi rarissime, quando scil. agitur de notationibus vel de appendicibus paginam. In hoc ultimo casu expresse notificatur pagina.)

Abbas valide et licite confert tonsuram et ordines minores suis subditis 59; num possit delegari ad conferendum subdiaconatum et diaconatum ibid., p. 114, nota; privilegia quaedam quantum ad consecrationem altarium 156, nota; quantum ad consecrationem campanarum 159.

Abbatissa, eius iurisdictio seu potestas in Ordine S. Birgittae 55, nota.

Actiones nummulariae vide Negotiatio.

Administratio vide Bona ecclesiastica.

Advocati in Curia Romana 121; an clerici possint exercere munus advocati in foro civili et ecclesiastico 70; advocati in processu ecclesiastico App. I XXX sqq.

Affectio beneficii 171, p. 378.

Agentes in Curia Romana sunt idem ac procuratores 121; taxa illis solvenda App. II, p. 442; quinam possint eligi agentes ibid., p. 443.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum quid sit 189; versurarum nummulariarum ibid., nota; poenae contra illicite alienantes, iusta causa, solemnitates iuridicae 191.

Altare, eius usus, forma, materia, consecratio 155; eius exsecratio 157; eius pollutio ibid.; Minister consecrationis 156; reliquiae ex ossibus Martyrum includendae ibid.; non sufficiunt reliquiae aliorum Sanctorum ibid.; vigiliae celebrandae sed non ieiunium praescribitur ante altaris consecrationem ibid.; requisita pro altari fixo ibid.; distinguitur duplex altare fixum scil. in sensu liturgico et in materia indulgentiarum ibid., nota 2; sepulcrum altaris ibid.

Altare portatile debet constare uno lapide naturali, duro et integro 158; non requiritur lapis marmoreus, prohibetur autem lapis puniceus ibid.; operculum sepulcri ibid.; exsecratio eius ibid.; privilegium altaris portatilis habent de iure Cardinales et episcopi tum dioecesani tum titulares 90, nota.

Altare privilegiatum est duplex: personale et locale 156, nota 2; debet esse fixum in latiore sensu ibid.; raro conceditur altare privi-

legiatum pro vivis et defunctis ibid.; indulgentia plenaria concessa altari privilegiato non potest applicari nisi uni animae ibid.
Alternativa. Privilegium alternativae 171.
Amovibilitas parochorum 79; remotio oeconomica ibid.; cooperatorum 83.
Anathemata vide Sacra supellex.
Annatae quaenam hodie sint adhuc in usu 184, nota.
Anulus quibus permittatur et quibus praescribatur 66, nota.
Apices dignitatum quid sint 161.
Appellatio contra sententiam episcopi 88; in suspensivo et in devolutivo ibid., nota, et in App. I, p. 439; debet fieri intra decem dies a sententiae notificatione ibid.
Applicatio missae praescripta parochis 81; episcopis 91; capitulis canonicorum 101.
Archidiaconus, eius officium in ordinatione clericorum 61, nota; dicebatur «oculus episcopi» 73, nota; eius officium in antiqua ecclesia ibid.; officium eius nunc solet demandari vicario generali 98.
Archiepiscopus vide Metropolita.
Archipresbyteri urbani seu civitatenses et rurales 73, nota; in capitulis canonicorum 98.
Auditores vide Rota Romana.
Auxiliaris episcopus vide Episcopus titularis, Vicarius in pontificalibus.

Barba. Quibus liceat portare barbam vel comam fictitiam 58, nota 3, et 66.
Basilicae maiores et minores 131.
Benedictio ecclesiae, et oratoriorum 133 et 134; oratorii privati benedictio in speciali 144, nota; coemeterii 145; sacrorum vasorum 159; paramentorum ibid.; benedictiones parochiales 80; benedictio puerperae non est benedictio parochialis ibid.; benedictiones reservatae episcopis 89.
Beneficium quando sit titulus ad ordines suscipiendos 59 et 62; notio et divisio beneficiorum 160; quaenam perpetuitas sit de essentia beneficii ecclesiastici ibid.; quinam reditus sint beneficiales ibid.; erectio beneficiorum 162; innovatio 163; translatio et transformatio 164; unio beneficiorum 165; incorporatio ibid.; divisio beneficiorum 166; suppressio 167; quis possit conferre beneficia 168; diversi modi collationis 169.
Bona ecclesiastica. Differentia inter dominium et proprietatem 178; cui proprie competat dominium 179; acquisitionis modi 180 sqq.; administratio 186; administratores 187; vide Alienatio.
Breve Apostolicum quid sit eiusque forma extrinseca 21.
Breviarium vide Officium divinum.
Bulla quid sit eiusque forma extrinseca 20; iuxta modernam praxim non expediuntur nisi per Cancellariam Apostolicam 127; diversa Bullaria 48.

Calix in primaeva Ecclesia, materia, consecratio, exsecratio, nova deauratio 159; tangi potest a clericis tonsuratis 63.
Camera Apostolica, eius competentia et officium 127.
Camerarius vide Definitor.
Campanae usus, benedictio, consecratio 159.
Cancellaria Apostolica. Regulae 48; nova eius ordinatio 127; regulae Cancellariae quantum ad reservationem beneficiorum 171.

Canones Apostolorum, eorum aetas et valor 35.
Canonia quid sit 98, p. 224, nota.
Canonicus. Origo capituli canonicorum 95; divisiones capituli 96; finis capituli 97; membra capituli 98; canonici honorarii ibid.; canonici exspectantes ibid., p. 224, nota; collatio canonicatus 99; qualitates promovendorum 100; obligationes erga ecclesiam 101; canonici iubilares 101; obligationes erga episcopum ibid.; iura canonicorum 102; insignia ibid.
Canonicus poenitentiarius, eius officium 98; quando sit exemptus a servitio chori ibid.
Canonicus theologalis, eius officium 98; debet obtinere gradus academicos ibid.
Capellania quid sit 161; capellaniae laicales, seu mercenariae ibid.; vide etiam Cooperator.
Capitulationes quid sint 113; fuerunt ab initio invalidae ibid.
Capitulum vide Canonicus.
Cardinalis nomen et origo 115; eorum officium et dignitas ibid.; forma creationis 116; ius optionis ibid.; eorum privilegia et insignia 117; eorum obligationes 118.
Caritativum subsidium praestandum episcopo 184.
Catechismus Romanus, eius auctores et approbationes 51; eius auctoritas in iure ecclesiastico ibid.
Cathedralis vide Ecclesia.
Cathedraticum nequit exigi a regularibus exemptis 30; quid sit in moderna praxi 184.
Census quid sit 184; vide Cathedraticum.
Charta qualis adhibenda in litteris ad curiam Romanam mittendis App. II, p. 445.
Chirurgia clericis interdicta 69.
Chorepiscopi quid fuerint 84, nota.
Christianitas quid sit 107.
Ciborium vide Vasa sacra.
Clementinae, earum scopus, fontes, auctoritas, commentaria et glossae 46.
Clericus. Significatio nominis 54; eorum status 55; eorum privilegia 63; eorum obligationes 64 sqq; amissio status clericalis 71; simplex clericus peragens officium subdiaconi in missa solemni 63; correctio clericorum App. I, p. 427.
Coadiutoria quid sit 82; concessio pontificiae coadiutoriae 171; cum iure successionis ibid.
Coelibatus clericorum 67; obligat vi voti ibid.; in Ecclesia Orientali ibid.
Coemeterium. Diversa nomina 144; benedictio vel consecratio 155; exsecratio 146; profanatio 147; pollutio 148; reconciliatio ibid.; immunitas 149; emptio et venditio sepulcri in coemeteriis 150.
Collatio beneficii quid sit 77; quaenam observanda sint in libera collatione beneficiorum 171.
Collectanea S. C. Epp. et Rit. et S. C. de Prop. Fide valde utilia sunt opera, sed privatae auctoritatis ut sunt collectiones 52.
Collectiones iuris ecclesiastici ante Concilium Nicaenum 35; Ecclesiae Orientalis 36; Ecclesiae Occidentalis a Nicaeno usque ad saec. VIII 37; collectiones apocryphae saec. IX 38; collectiones saec. X et XI 39; quinque compilationes antiquae 42; collectiones post Gregorium IX usque ad Bonifatium VIII 44.
Collegiata ecclesia vide Ecclesia
Coma ficta vide Barba.

Commendae regulares quid sint 161; non possunt conferri nisi a Summo Pontifice ibid.

Commercium clericis interdictum vide Negotiatio.

Competentia. Privilegium competentiae seu Odoardus 63; competentia singularum Congregationum et Tribunalium in Curia Romana 125 sqq; dubia circa istam competentiam solvit Congregatio Consistorialis, excipitur tamen S. Officium quod ipsum solvit dubia circa propriam competentiam orta ibid., p. 280.

Compromissum est forma electionis 170, p. 375.

Concilia oecumenica quid sint et quomodo sint fontes iuris ecclesiastici 22; quinam habeant vocem in illis ibid.; collectiones ibid.; Concilia Constantiense, Basileense et Lateranense V 50; Concilium Tridentinum 51.

Concilia particularia. Distinctiones, quaenam approbatio requiratur 30; quinam habeant vocem in illis ibid.; praecisa approbatione prorsus specifica S. Sedis statuta Conciliorum particularium non magis obligant regulares exemptos, quam alia statuta ab episcopo dioecesano lata ibid., p. 48.

Concordata. Diversa nomina; definitio, materia seu obiectum 24; theoria legalis, theoria pactorum, theoria privilegiorum 25; eorum necessitas et utilitas 26; eorum diversae formae 27; quomodo derogentur et abrogentur 28; sunt fontes iuris particularis 29.

Concursus ad officium parochiale obtinendum 78; ex iure Tridentino et iuxta praxim modernam ibid.; ius concursus pontificii 171.

Confirmatio. Sacramentum confirmationis requiritur ad ordines suscipiendos 61; confirmatio electionis canonicae 170.

Congregationes Romanae Cardinalium. Earum decreta sunt fontes iuris ecclesiastici 21; collectiones decretorum 51; earum origo et finis 122; earum numerus iuxta modernum ius 124; auctoritas earum ibid.; Congregatio S. Officii, Consistorialis, de disciplina sacramentorum, Concilii, negotiis religiosorum sodalium praeposita, de Propaganda Fide, Indicis, Rituum, Caeremonialis, pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, studiorum 125.

Congrua. Dos pro sustentatione parochi et pro expensis cultus in erectione parochiae 75; in aedificatione ecclesiae 132.

Consecratio ecclesiae 133; ecclesia ex ligno constructa nequit consecrari ibid., nota; quis possit consecrare ecclesiam ibid.; ritus consecrationis ibid.; cruces duodecim ibid.; consecratio altarium 156; minister consecrationis ibid.; consecratio episcoporum 86.

Consensus capituli quando requiratur 102; in dismembratione parochiae non exemptae 76.

Consilium capituli quando requiratur 102.

Consistorium Cardinalium quid sit et quotuplex 123; Congregatio consistorialis 125.

Constitutiones Apostolorum, earum divisio et aetas 35.

Constitutiones Pontificiae quomodo sint fontes iuris ecclesiastici 19; modus promulgandi ibid.; sunt triplicis formae 20.

Consuetudo quid sit 18; unde habeat vim legis ibid.; eius conditiones ut sit legitima ibid.; eius divisiones ibid.; consuetudines contra decreta discipli-

naria Concilii Tridentini ibid., p. 21, nota.
Cooperator parochi ex iure Tridentino et ex praxi moderna 83; potestas illius est prorsus delegata, eius congrua sustentatio, iura stolae illi per se non obveniunt ibid.; remotio illius ibid.
Corpus iuris canonici, quid hoc nomine intelligatur 49; eius partes ibid.
Corpus iuris civilis, eius partes et historia 50, Scholion.
Crematio cadaverum ab Ecclesia pr[illegible] fuit 154; non licet no[illegible] ietatibus crematio[illegible]um addictis ibid.; qu[illegible] propria voluntate crematinem sui cadaveris elegerunt, non possunt sepultura ecclesiastica donari ibid.
Crux. Cruces positae in consecratione ecclesiae non debent tegi; quando possint mutari 133, p. 315, nota; crucis particulas, quas thecis inclusas pectore prae se suspensas ferunt, episcopi successoribus transmittendas curent 183.
Curiales. Quid et qui sint curiales Curiae Romanae 121.
Curia Romana, quid sub hoc nomine intelligatur 114.

Dataria Apostolica, eius competentia 127.
Decanus ruralis, eius officium, potestas et privilegia iuxta modernam praxim 98, p. 97 et 98, nota.
Decimae vide Vectigalia.
Decretales Gregorii IX, earum redactor, scopus, fontes, divisio, auctoritas, commentaria et glossae 43; libri Sexti vide Sextus liber; Clementinarum vide Clementinae; falsae Decretales Isidori vide Pseudo-Isidorus.
Decretum Gratiani vide Gratianus.
Dedicatio vide Consecratio.
Defensor concedi debet accusato App. I x, p. 437; eius officium et modus agendi ibid., p. 438 sqq; potest esse laicus ibid., p. 437.
Definitor seu camerarius est adiutor decani ruralis 98, nota.
Degradatio clericorum 71; crimina ob quae infligi possit ibid.
Depositio clericorum 71; episcopi 94.
Diaconatus est sacer ordo et verum sacramentum 58; num possit conferri a simplici sacerdote (privilegium Innocentii VIII) 59; officia diaconi, quando possit baptizare vel Eucharistiam administrare 58; qualis necessitas in hoc casu requiratur 63.
Diaconissae in vetere Ecclesia 58, nota 6.
Dignitas vide Canonicus.
Dimissoriales vide Litterae dimissoriae.
Dioecesis. Erectio novarum dioecesium pertinet ad Congregationem Consistorialem vel (extra Italiam) ad Secretariam Status 125, p. 280; administratio dioecesis vide Episcopus, Vicarius capitularis.
Dionysius Exiguus, eius collectiones iuris ecclesiastici 37.
Dismembratio parochiae 76; omnino requiritur praeter alia consensus capituli ecclesiae cathedralis ibid.; appellatio contra dismembrationem est in devolutivo 88, nota.
Dispensatio. Facultas dispensandi concessa parocho 80; episcopo 88; singulis Congregationibus Romanis 125; dispensatio super impedimenta minora matrimonii iam non subest vitio obreptionis et subreptionis 125, p. 282, nota.

Distributiones quotidianae quid sint, origo ipsarum 101.
Domicilium ad ordines suscipiendos 59.
Dominium bonorum ecclesiasticorum apud quem resideat 179.
Dotatio ecclesiae praebet ius patronatus 174, p. 385.

Ecclesia est societas perfecta habens autonomiam 5; quousque se extendat eius potestas ibid.; esse membrum et esse subditum Ecclesiae non est idem 19, nota; habet ius acquirendi et possidendi bona temporalia 177; cui proprie competat dominium bonorum ecclesiasticorum 179.
Ecclesia (ut est aedificium). Diversa nomina in antiquitate 130; variae species 131; requisita ad aedificationem 132; quid de consensu episcopi ibid.; consecratio 133; benedictio 134; patronus vel titulus 135; exsecratio 136; pollutio 137; reconciliatio 138; immunitatis privilegium et quinam actus prohibeantur in ecclesia 139; ecclesiae Regularium quantum ad ius tumulandi 151.
Electio canonica episcopi 85; Summi Pontificis 111; ad beneficia et officia ecclesiastica 170.
Encyclica. Quid sint epistolae encyclicae 20.
Episcopus est iure divino superior presbyteris 58; utrum episcopatus sit sacramentum distinctum ibid.; quis sit proprius episcopus ordinandi 59; proprius episcopus novitii ordinandi ibid., nota; distinctiones episcoporum 84; chorepiscopi ibid., nota; quomodo instituantur 85; an iurisdictio episcopi sit immediate a Deo ibid., nota; qualitates episcopi requisitae 86; iura episcopi 88 sqq.; potestas eius legislativa et iudiciaria ibid.; sunt inquisitores nati ibid.; praecipui casus, in quibus tantum in devolutivo et non in suspensivo potest appellari contra sententiam episcopi ibid. et App. I XXXVII; privilegia honorifica 90; oratoria erecta in palatiis episcoporum censentur semipublica ibid.; possunt confiteri apud confessarium non approbatum ibid.; obligationes episcopi 91; translatio 92; renuntiatio 93; depositio 94; curia episcopalis 95 sqq; nequit dispensare in officio chorali 101.
Episcopus titularis num habeat vocem in Concilio oecumenico 22; directe nominari solet a Papa sine praevia electione 85; habet privilegium altaris portatilis et oratorii privati 90, nota; non tenetur ad visitationem liminum SS. Apostolorum 91; non potest Pontificalia exercere sine licentia Ordinarii ibid.; praecedit canonicos et dignitates capituli ibid.
Eucharistia. Dispensatio a ieiunio eucharistico 125, p. 285, nota; administratio Eucharistiae in oratoriis privatis 143; vasa sacra ad asservandam S. Eucharistiam 159.
Examen ordinandorum 61; relate ad regulares ibid.; parochi 78; vide Concursus.
Examinatores synodales et prosynodales 30 et 78, nota.
Exarcha vide Primas.
Excardinatio vide Incardinatio.
Exclusiva in electione Papae quid sit et quibus competat 111, n. 8.
Exercitia spiritualia ante ordines suscipiendos 61; imposita ad correctionem clericorum App. I, p. 428.
Exsecratio ecclesiae 136; coemeterii 146; altaris 157; calicis 159.

Exsequiae vide Coemeterium; ad quem spectent exsequiae canonici defuncti 102.
Exspectativae litterae 171.
Extravagantes Ioannis XXII et communes 47.

Familiaritas quando sit titulus ordinationis 59 62.
Fontes iuris ecclesiastici quid sint 12; fontes exsistendi 13; fontes cognoscendi 14.
Formulae adhibitae in responsis SS. Congregationum App. II, p. 449 sqq.
Forum. Privilegium fori 63; dispensationes a Poenitentiaria concessae pro foro interno 126; forum episcopale App. I, p. 433.
Functiones parochiales 80; episcopales sede vacante 102, p. 237, nota.
Fundationes ecclesiasticae quid sint 182; sunt veri contractus ibid.
Funera. Ius funera peragendi 151; vide Sepultura; imago defuncti non debet exponi durantibus exsequiis 154 nota, p. 342.

Glossae in Decretum Gratiani 41; in Decretales Gregorii IX 43; in Sextum Decretalium 45; in Clementinas 46; in Extravagantes 47.
Gratianus, eius Decretum 40; plura capitula desumpta sunt ex SS. Patribus 17; scopus, fontes, divisio, auctoritas Decreti 40; praecipui glossatores et commentatores 41.

Habitus clericalis obligatio, poena in transgressores 66.
Haeretici subiciuntur legibus Ecclesiae 56.
Hierarchia ecclesiastica obiective et subiective sumpta 57; includit potestatem ordinis, iurisdictionis et magisterii ibid.; gradus 58.
Honorarii canonici 98.
Honorifica iura clericorum 63; canonicorum 102; episcoporum 90; Patriarcharum 108; Primatum 109; Metropolitarum 110; Cardinalium 117; Legatorum 128; Summi Pontificis 112.
Horae canonicae vide Officium divinum.

Immunitas ecclesiis concessa quid importet 139.
Inamovibilitas parochorum 79.
Incardinatio. Quaenam requirantur pro incardinatione alicuius laici vel clerici 59.
Incorporatio beneficiorum alicui monasterio, capitulo aut seminario 165.
Index librorum prohibitorum, eius auctoritas et obligatio 52.
Informata conscientia vide Suspensio.
Insignia Romani Pontificis 112; Cardinalium 117; Primatum 109; Metropolitarum 110.
Institutio collativa tituli quid sit 77; quoad officium parochiale danda est infra duos menses ibid.; verbum «institutio» sumitur in quattuor sensibus 169, nota.
Institutio realis quid sit 77; a quonam facienda sit relate ad officium parochiale ibid.; ad officium episcopale 85.
Interstitia servanda in ordinibus suscipiendis 61.
Intitulatio est idem quod collatio beneficii 160.
Isidorus Mercator, eius falsae Decretales 38.
Iudicia ecclesiastica, quomodo sit procedendum App. I, p. 427 sqq.
Iuramentum praestandum ab officialibus S. Officii et Congregationis Consistorialis 125; ab episcopis 85.

Iura stolae cuius sint 80 et 83; orta sunt ex antiquis oblationibus fidelium 181.
Iurisdictio ecclesiastica, subiectum capax 55 170; parochi, episcopi, vicarii generalis, vicarii capitularis, Summi Pontificis, vide singula verba.
Ius. Diversae acceptiones huius nominis 2; ius subiective sumptum 3; obiective sumptum 4; in re et ad rem 3, nota; omne ius positivum derivari debet a iure naturali 4.
Ius ecclesiasticum subiective sumptum 5; obiective sumptum 6; eius divisiones 7; quid sit scientia iuris ecclesiastici 8; scientiae auxiliares et adminicula 9; utilitas scientiae iuris ecclesiastici 10; melior methodus 11.
Ius patronatus 77; divisiones 173; acquisitio 174; incapaces iuris patronatus ibid.; legitimi tituli ibid.; alienatio, donatio, permutatio et venditio ibid.; obligationes et iura 175; extinctio et suspensio 176.
Ius statuendi quid sit 31; capituli canonicorum 102.

Laici unde sic dicti 56; quinam proprie hoc nomine intelligantur ibid.; eorum obligationes et iura ibid.; non possunt conferre beneficia ecclesiastica 160, p. 357; non habent iurisdictionem ecclesiasticam, nec possunt eligere parochos 170; capellania laicalis vide Capellania; patronus laicus vide Patronus; excardinatio laicorum vide Excardinatio.
Legati, variae eorum denominationes 128; legati a latere, missi, nati ibid.; eorum auctoritas ibid.; Monarchia Sicula ibid.
Lex civilis quomodo sit fons subsidiarius iuris ecclesiastici 18, Scholion. Corpus iuris civilis Romani eiusque divisiones 50, Scholion.
Lex naturalis quomodo sit fons iuris ecclesiastici 15.
Liber septimus Petri Matthaei et Clementis VIII 48.
Lintea sacra facultas benedicendi 159.
Litterae Apostolicae, earum forma, divisiones, auctoritas 20.
Litterae dimissoriae pro ordinibus suscipiendis 60.
Litterae testimoniales pro ordinibus suscipiendis 59 et 60.
Ludi prohibiti quaenam sit praxis moderna 65, p. 141, nota.

Mare magnum quid sit 53.
Medicina vide Chirurgia.
Metropolita quid sit 110; eius iura ibid.
Missa. Applicatio pro populo vide Applicatio; obligatio missae conventualis in capitulis canonicorum 101; missa dicenda ab episcopo post consecrationem ecclesiae 133; pollutio ecclesiae durante missa 137; extra casum necessitatis missa non potest dici nisi in loco benedicto 142.
Monasterium. Incorporatio parochiae cum monasterio 165.
Mulieres num sint capaces iurisdictionis 55; cohabitatio mulierum clericis interdicta 65.

Negotiatio clericis interdicta (saltem lucrativa) 68.
Neo-conversi quomodo sint recipiendi in gremium Ecclesiae 56.
Nolae vide Campanae.
Nominatio in re beneficiaria diversis modis sumi solet 170, nota.
Novitius. Quis sit episcopus proprius novitii quantum ad ordinationem 59, p. 118, nota.
Nuntiatio novi operis quid sit 132.
Nuntii Apostolici quid sint, numerus eorum 128.

Oblationes fidelium, antiquissimus eorum usus 181; praxis moderna ibid.; quandonam oblationes fidelium considerentur ut reditus beneficiales 160.

Obligationes numulariae vide Negotiatio.

Oboedientia canonica clericorum ad quae se extendat 65; canonicorum erga episcopum 101.

Obreptio. Vitium obreptionis iam non potest locum haberi in dispensationibus matrimonialibus minoris gradus 125, p. 282, nota.

Officia civilia clericis interdicta 70.

Officia ecclesiastica vide Beneficium.

Officium divinum. Quinam teneantur ad officium divinum 65; disciplina in Ecclesia Orientali ibid.; obligatio restitutionis ob neglectum officium divinum 65; quantitas restitutionis ibid., nota.

Oratoria quid sint 140; divisio 141; quaenam statuantur de oratoriis publicis ibid.; oratoria semipublica 142; oratoria privata 143; oratorium privatum est privilegium personale et non locale ibid.

Ordines. Nomina et numerus 58; ordinationes Anglicanae et Iansenistarum 59; quaenam requirantur a) ad validam ordinationem 61; b) ad licitam ordinationem ibid.; ordinatio per saltum ibid.

Ostensorium vide Vasa sacra.

Pallium quid sit 110; quibus competat eius usus ibid.; archiepiscopi ex iure, quidam episcopi ex gratia illud habent ibid.; non licet illud portare extra provinciam ibid.; est ornamentum prorsus personale et cum archiepiscopo sepelitur ibid.; Papa habet plenissimum usum pallii 112; taxae in pallii receptione 184.

Papa est Romanus episcopus 111; num possit sibi successorem deputare ibid.; electio eius ibid.; quis sit eligibilis ibid.; praerogativa eius 112; quid faciendum, si Papa in haeresim vel amentiam inciderit 113; quaenam beneficia ecclesiastica conferantur a Papa 171; in quonam sensu illi competat dominium bonorum omnium ecclesiasticorum 179.

Paramenta sacra a quonam benedici possint 159.

Parochia, requisita ad erectionem illius via creationis 75; via dismembrationis 76; parochia regularibus concredita 83 165.

Parochus. Origo officii parochialis 72; parochi non sunt successores 72 discipulorum ibid.; diversa nomina parochi 73; etymologia nominis ibid., nota; diversa genera parochorum ibid.; ad quem pertineat parochos constituere 77; qualitates parochi 78; amotio parochi 79; parochi succursalistae ibid.; inamovibiles ibid.; iura parochi quantum ad sacramenta, ad benedictiones, ad funera, ad bona temporalia 80; obligationes parochi 81; professio fidei, residentia, praedicatio, applicatio missae pro populo, vigilantia in scholis, libri parochiales ibid.; coadiutores parochi 82; iura parochi quantum ad sepulturam 153.

Patena vide Calix.

Patriarcha quid et qui sint 108; habent praecedentiam ibid.; Patriarcha Occidentis vocatur Papa 112, Scholion.

Patrimonium est titulus ordinationis 61.

Patronus ecclesiae 135; vide Ius patronatus.

Paucapalea qui fuit 41; eius paleae ibid.
Pedum inter insignia Papae propria enumeratur 112.
Pensio quid sit 161; pensio laicalis et clericalis ibid.; ut est titulus ordinationis 62.
Personatus quid sit et quomodo differat a dignitate 96.
Poenitentiaria. Cardinalis Poenitentiarius etiam Sede Apostolica vacante suam iurisdictionem retinet 113; historia eius 126, nota; eius iurisdictio coarctatur ad forum internum 126; eius rescripta dantur gratis ibid.; formularia App. II, p. 446 sq.
Pollutio ecclesiae 137; coemeterii 148.
Pontificalia exercere potest Metropolita in sua provincia 110; episcopus titularis cum licentia Ordinarii 91; quomodo faciendum sit sede vacante 102, p. 237, nota.
Postulatio canonica ad officia et beneficia ecclesiastica 170, p. 375 sq.
Praebenda quid sit 96 et praesertim 160.
Praecedentia inter canonicos 102; controversiae de praecedentia dirimuntur a Congregatione Concilii; si autem agitur inter sodales religiosos, ad Congregationem Religiosorum; sin vero quaeritur de praecedentia inter Cardinales et Legatos, pertinet ad Congregationem Caeremonialem 125; praecedentia Primatum in Concilio oecumenico 109.
Praefectus apostolicus vide Vicarius apostolicus.
Praelatus quid sit 120; quomodo distinguantur praelati ibid.
Praescriptio modus acquirendi bona 185.
Praesentatio ad beneficia ecclesiastica 172; vide Ius patronatus; nemo potest seipsum praesentare ad beneficia ecclesiastica 175.
Praestimonium quid sit et quando sit verum beneficium 161.
Praeventio dupliciter in beneficiis exercetur a Summo Pontifice scil. concedendo exspectativas litteras vel concedendo coadiutoriam cum iure successionis 171.
Presbyteratus est verum sacramentum 58; nomen presbyteri in antiqua Ecclesia ibid.; presbyter potest delegari ad ordines minores et subdiaconatum conferendum 59.
Primas quid sit et quaenam sint eius iura 109.
Primicerius quid fuerit et quid sit 98.
Primitiae vide Vectigalia.
Primus lapis ecclesiae aedificandae poni debet ab episcopo (etiam pro regularibus) 133.
Prior conventus non potest se immiscere in officio parochiali commisso vicario curato conventus 83.
Privilegium quid sit 33; clericorum 63; episcoporum 90; canonicorum 102; vicarii capitularis ibid., p. 238; vicarii generalis 107; Summi Pontificis 112; Cardinalium 117; Legatorum et Nuntiorum 128; patroni ex iure patronatus 175.
Processus. Normae observandae in iudiciis ecclesiasticis App. I, p. 425 sqq.
Procuratio praestanda episcopis tempore visitationis canonicae 184.
Procurator in Curia Romana 121; procurator fiscalis in curia episcopali App. I, p. 434; quandonam debeat intervenire in iudiciis ibid.; eius officium et votum ibid., p. 438.

Profanatio ecclesiae 136; coemeterii 147.
Professio fidei emittenda a parochis 81; ab episcopis 86; a canonicis 101.
Protonotarii Apostolici, praecedentia eorum 102; vicarii generales et capitulares sunt de iure protonotarii apostolici durante munere ibid.; sunt quattuor classes Protonotariorum 120.
Pseudo-Isidorus, eius collectio Decretalium 38.
Punctator in capitulis canonicorum 98.
Pyxis vide Vasa sacra.

Quarta funeralium pertinens ad parochum 153.

Raymundus de Peñaforte redactor Decretalium Gregorii IX 43; eius methodus et scopus ibid.
Reconciliatio ecclesiae 138; coemeterii 148.
Recursus vide Appellatio et Suspensio ex informata conscientia.
Reductio ad communionem laicalem quomodo fieri possit 71.
Regulae Cancellariae Apostolicae vide Cancellaria Apostolica.
Regulae iuris, earum auctor et auctoritas 45.
Religiosi tamquam vicarii curati 83; in locis missionum degentes subiciuntur qua missionarii Congregationi de Propaganda Fide, qua religiosi autem Congregationi Regularium et propriis superioribus 125, p. 285.
Reordinationes in antiqua Ecclesia 59, nota, et praesertim 155, nota.
Rescriptum quid sit 32; rescripta gratiae et iustitiae; — diversa eorum vitia ibid.; obreptio et subreptio iam non possunt locum habere in dispensationibus matrimonialibus minoris gradus 125, p. 282, nota; taxa solvenda App. II, p. 442.
Reservatio beneficiorum quid sit 171; parochiae 77.
Residentia praescribitur parochis 81; episcopis 91; canonicis 101.
Resignatio parochi 79; episcopi 93; Summi Pontificis 113; iuris patronatus 176.
Rota Romana. Compositio, competentia, modus agendi 126.

Sacerdotium vide Presbyteratus.
Sacra Scriptura quomodo sit fons iuris ecclesiastici 16.
Sacrista in capitulis canonicorum 98.
Secretaria Brevium, eius officium 127.
Secretaria Status, eius officium in eligendis episcopis extra Italiam 125; eius officium in genere 127.
Seminaristicum quid sit et quomodo solvatur 184.
Sepulcrum vide Altare.
Sepultura infidelis polluit coemeterium et ecclesiam 137; excommunicati ibid.; benedictio sepulcri in coemeteriis civilibus 145; emptio et venditio sepulcri benedicti 150; ius sepulturae vel funera peragendi 151; ubi quisque sepeliendus sit 152; iura parochi quantum ad sepulturam 153; quibusnam sepultura ecclesiastica deneganda sit 153.
Servitia communia vide Annatae.
Sextus liber Decretalium, eius redactores, scopus, fontes, divisio, auctoritas, commentaria et glossae 45.
Signatura Apostolica est supremum tribunal cassationis, eius competentia 126.
Spectacula. Utrum clericis prohibeatur iis interesse 65, p. 140.

Status laicorum quinam pertinent ad hunc statum 56; iura et officia ibid.
Stylus curiae quid sit 18.
Subdiaconatus quandonam fuerit ordinibus maioribus annumeratus 58, nota; certo iam exsistebat tertio saeculo ibid.; ex delegatione Papae potest conferri a simplici sacerdote 59; non potest quis eodem die recipere quattuor ordines minores et subdiaconatum 61; titulus requisitus 62; quomodo simplex clericus exercere queat munus subdiaconi in Missa solemni 63.
Subreptio vide Obreptio.
Subsidium caritativum praestandum episcopo 184.
Supellex sacra, quid hoc nomine intelligatur 159.
Suspensio ex informata conscientia est temporanea App. I, p. 430; potest infligi ab episcopis et superioribus regularibus ibid.; sed nonnisi ob culpam gravem et occultam ibid.; non datur appellatio sed tantum recursus contra illam ibid.; debet in scriptis manifestari ibid.; clericus qui neglecta illa exercet s. ordinem, fit irregularis ibid.; rarissime est adhibenda ibid.; distinguitur a prohibitione audiendi confessionem ibid., p. 432.
Syndicatus. Vicarius capitularis tenetur ad syndicatum 102; non autem vicarius generalis 107.
Synodaticum vide Cathedraticum.
Synodus dioecesana. Solus episcopus est iudex et legislator 30; convocatio pertinet ad episcopum ibid.; non autem ad vicarium capitularem 102; quinam debeant convenire 30; quaenam debeant tractari in synodo dioecesana ibid.; iudices synodales et examinatores prosynodales ibid.
Taxa Innocentiana 184, Scholion; in rescriptis pontificiis App. II, p. 442 446.
Tempus legitimum pro ordinibus suscipiendis 61; intra quod praesentatio debeat fieri a patrono 77.
Terna quid sit 170, nota.
Testamenta pro causis piis 183; testamenta clericorum ibid.
Testes in iudiciis ecclesiasticis App. II, p. 433; quinam excludantur ibid., p. 435; ut plurimum debent esse iurati ibid.; accusato debent nomina testium eorumque testimonia fideliter patefieri ibid., p. 437.
Theatrum. Visitatio theatri clericis interdicta 65.
Thesaurus Resolutionum S.C.C. non est codex legalis, sed privata collectio 52.
Tiara papalis 112.
Titulus ordinationis 62; ecclesiae 135; oratorii publici 141; altaris fixi 156.
Tonsura clericalis non est ordo 58; quo tempore sit primitus introducta ibid.; formae diversae ibid.; potest conferri a simplici sacerdote 59; de iure communi Abbates et Cardinales presbyteri possunt primam tonsuram conferre suis subditis ibid., nota; potest conferri quavis die et hora 61; obligatio deferendi tonsuram 66.
Traditio divina, apostolica, ecclesiastica 17; quomodo sint fontes iuris ecclesiastici ibid.
Translatio parochi 79; cooperatorum 83, p. 190; episcopi 92.
Tribunalia Curiae Romanae 126; curiae episcopalis App. I.
Tridentinum Concilium. Num consuetudo possit invalescere contra decreta disciplinaria Concilii Trid. 18, nota; eius aucto-

ritas 51 ; catechismus eius auctoritate editus ibid.
Tutor. Tutoris et curatoris officium prohibetur regularibus et episcopis, non autem totaliter aliis clericis 70.

Unio beneficiorum quid sit, diversae species, unio parochiae cum monasterio 165.
Usurpatio bonorum ecclesiasticorum quid sit 161.
Utensilia sacra a clericis beneficiatis relinquantur ecclesiis 183.

Vacatio apud S. Sedem quid sit 170; parochiae 77.
Vasa sacra ad conservandam S. Eucharistiam et s. olea 159.
Vectigalia ecclesiastica 184.
Venatio clericis interdicta 65.
Vetero - Catholici. Nunquam conceditur, ut isti eadem ecclesia utantur qua catholici 139.
Vexilla prorsus profana non admittantur in ecclesia, vexilla autem nationalia tolerari possunt si adsit necessitas 139.
Vicarius apostolicus in locis missionum 85 et 91; hoc nomine aliquando vocantur Primates 109; vicarii apostolici et administratores apostolici 128.
Vicarius capitularis quando possit litteras dimissorias concedere 60; eius electio 102; iura eius ibid.; est protonotarius ibid.; quando cesset eius officium ibid.
Vicarius curatus quid sit 82; in ecclesiis Regularium 83; in ecclesiis collegiatis et cathedralibus 98.
Vicarius generalis in temporalibus, in pontificalibus, in spiritualibus 103; vicarius generalis in spiritualibus est successor archidiaconi inde a saeculo XIII ibid.; num teneatur institui ab episcopo 104; plures vicarii generales 105; eius qualitates 106; eius potestas 107.
Visitatio dioecesis 91; liminum SS. Apostolorum ibid.; vicarius generalis non potest propria auctoritate visitare dioecesim 107; ius hac in re vicarii capitularis 102; Metropolitae 110; vide Procuratio.

B. HERDER, TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS,
FRIBURGI BRISGOVIAE (GERMANIAE).

Opus gravissimum!

Praelectiones Dogmaticae quas in Collegio Ditton-Hall habebat **Christianus Pesch** S. J. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. Novem tomi. 8° Pretium: *M* 52.20 = *Fr.* 65.25; a dorsis corio relig. *M* 66.60 = *Fr.* 83.25

Operis tomi etiam separatim veneunt:

I. De Christo legato divino. De ecclesia Christi. De locis theologicis. *Editio tertia.* (XXVI et 416 p.) *M* 5.80 = *Fr.* 7.25; relig. *M* 7.40 = *Fr.* 9.25

II. De Deo uno secundum naturam. De Deo trino secundum personas. *Editio tertia.* (XIV et 386 p.) *M* 5.60 = *Fr.* 7.—; relig. *M* 7.20 = *Fr.* 9.—

III. De Deo creante et elevante. De Deo fine ultimo. *Editio tertia.* (XII et 396 p.) *M* 6.40 = *Fr.* 8.—; relig. *M* 8.— = *Fr.* 10.—

IV. De Verbo incarnato. De beata Virgine Maria. De cultu sanctorum. *Editio altera.* (XII et 352 p.) *M* 5.— = *Fr.* 6.25; relig. *M* 6.60 = *Fr.* 8.25

V. De gratia. De lege divina positiva. *Editio tertia.* (XII et 332 p.) *M* 5.60 = *Fr.* 7.—; relig. *M* 7.20 = *Fr.* 9.—

VI. De sacramentis in genere. De baptismo. De confirmatione. De ss. Eucharistia. *Editio tertia.* (XVIII et 452 p.) *M* 7.— = *Fr.* 8.75; relig. *M* 8.60 = *Fr.* 10.75

VII. De sacramento paenitentiae. De extrema unctione. De ordine. De matrimonio. *Editio tertia.* (XIV et 470 p.) *M* 6.40 = *Fr.* 8.—; relig. *M* 8.— = *Fr.* 10.—

VIII. De virtutibus in genere. De virtutibus theologicis. *Editio altera.* (X et 320 p.) *M* 4.80 = *Fr.* 6.—; relig. *M* 6.40 = *Fr.* 8.—

IX. De virtutibus moralibus. De peccato. De novissimis. *Editio altera.* (X et 414 p.) *M* 5.60 = *Fr.* 7.—; relig. *M* 7.20 = *Fr.* 9.—

Iudicia aliqua de hoc opere.

Divus Thomas, Placentiae:

«Revera cursus integer theologiae dogmaticae ad usum scholarum iuxta novam methodum, formamque, novisque tractatibus, adinventis, et scientiarum profectibus comparatus, auctus et respondens, qui tamen tenue manuale tantummodo non esset, neque in immensum, fere unice ad consulendum, opus evaderet, omnino desiderabatur. Perfectum ad hoc putamus opus P. Christ. Pesch evasisse; in quo et scholastica methodus, una cum libera ratiocinatione coniuncta, et Ecclesiae decreta omnia, patrumque testimonia multiplicia, sobrie tamen et ad criticae regulas discussa, et modernorum adinventa copiose adhibita, erroresque universi refutati inveniuntur, ut alumni, eo solo utentes, plene instructi evadant in theologicis disciplinis.»

La Civiltà Cattolica, Roma:

«Non crediamo di errare dichiarando quest' opera del Pesch **il miglior corso didattico di apologetica** che sia uscito finora. . . . L'opera del Pesch è un vero e solido fondamento della Teologia scolastica.»

The American Catholic Quarterly Review, Philadelphia:

"Indeed, when one takes up any of the splendid volumes of Father Pesch's course, one feels like congratulating students of theology in this generation on the possession of such a broad, solid, scholarly help in the pursuit of their studies. The number of works of this class is considerable, but the present is certainly amongst the very best; and besides, what should not be overlooked in this connection, in view of its excellent typography, paper and binding, it is procurable at a reasonable price."

Soluciones Católicas, Valencia:

"**El libro del P. Pesch es la mejor obra didáctica de Teología** que se ha escrito hasta el presente, superior en este sentido á las obras de Perrone, Franzelin, Hurter, Palmieri y Mazzella."

L'Université Catholique, Lyon:

«**L'oeuvre du R. P. Pesch est supérieure aux travaux similaires** par la belle ordonnance du plan général et des cadres particuliers, par l'enchaînement logique des parties, la rigueur d'une méthode qui se soutient partout au même niveau, la solidité de la doctrine, l'abondance des informations, la mise en valeur des preuves, la connaissance des objections modernes, une tournure neuve dans l'exposé des choses anciennes et jusque par la **langue**, qui est **simple, forte**, exempte des constructions enchevêtrées et des termes barbares qu'on rencontre trop souvent dans le latin théologique.»

Date Due			
SEP 1 5			

12078 348.00 P87
Vol. I
Frummer, Dom.
AUTHOR
Manuale Juris Ecclesiastici
TITLE
BORROWER'S NAME
DATE RETURNED
St. Albert's College Library